


Erārum Camaldulens ex Legato M. D.
Feliciani de Smogorzow Mysowicz Cap. Varsov.

EDONIS NEUHUSII

THEATRUM INGENII HUMANI:

Sive

De cognoſcenda Hominum Indole & ſecretis Animi moribus.

LIBRI II.



AMSTELODAMI
Typis Iohannis Ianſſonii.
A. MDCXXXIII.

ILL

REIP

C

Opes, Gl

E



ctus; ſuis q
umbravi.
tiæ & ſuæ i
rerum, per
varietate
mum ſui
imaginis p
que eum
corporum
ſed Anim
morum ſp
neque aſtr
radios diff

ILLVSTRIBVS
REIP. FRISIORVM
ORDINIBVS

Opes, Gloriam, Felicitatem precatur

EDO NEVHVSIVS
S. L. R.



HEATRVM descripsi Ingenii humani: in quo Mores hominum tum singulorum; tum Gentium universarum; in quas aut natus quisque est, aut factus; suis quantum potui, lineamentis adumbravi. Vt Natura, in Divinæ potentiæ & suæ industriæ documentum, jucunda rerum, per omnem Mundi fabricam, ludit varietate: Ita inprimis hominem, supremum sui operis fastigium, in hanc variæ imaginis pulchritudinem efformavit. Nãque eum non vultuum modo lineamentis corporumque difformi habitu distinxit; sed Animum quoque in tam multiplicem morum speciem & figuram effinxit: ut neque astra tam diversæ lucis virtutisque radios diffundant; neque Terra mater in Varietas Indolis in singulis.

dissimilem magis florum atque herbarum sobolem exuberet; neque Apelles Phidiasve pluribus colorum pigmentis suas variare imagines potuerint; quam in diversam speciem Animum hominis Natura elaboravit. Ille miti placidoque ingenio ad omnem humanitatis gratiam est compositus; Iste aspero & difficili nullum amicæ benignitatis sensum admittit. Ille aperto pectore nullum suæ cupiditati fucũ prætendit; Iste operto obtectoque reconditos intus sensus premit: alius plerumque à fronte; quam à recessu animi secretiore. Ille sui securus omni se intrepide offert discrimini; Iste anxius sibique diffidens ad quemvis periculi incursum obstupescit. Est, qui provido omnia consilio metitur; qui præcipiti temeritate negotium aggreditur. Aliquis ad laborum patientiam & diuturnitatem vim habet invictam; Alius magnitudine difficultatis deficit atque hebescit. Multi alto excelsoque animo grandia quæque ac sublimia meditantur; multi ad plebeiam dejecti humilitatem in vilium rerum cura & cogitatione sordescunt. Hic extemporanea subtilitas vagiq; animi

mi ſubiti impetus; illic circumſpecta cunctatio, validæque ſapientiæ ſtabilitas notatur. Hic faciles perculſæ verecundiæ gemitus; illic inter preces & objurgationes pervicax obſtinatio perſpicitur. Alibi liberalitas, verecundia, in ſermone affabilitas, in geſtu corporis decentia laudatur; Aliubi ſordes, impudentia, faſtidioſa moroſitas male audiunt. In eadem Rep. in Catone *ſeveræ rigiditatis ſupercilium; in* Cæſare *officioſa largitas:* Fabii *religioſa cunctatio;* Marcelli *vehemens impetus laudi fuit. In eadem Schola* Ephorus *urgendam calcaribus tarditatem;* Theopompus *inhibendam fræno præcociam: in eadem Domo* Brutus *pater libertatis;* filii *tyrannidis patrocinium: in eodem utero* Iacobus *ſedati animi manſuetudinem;* Eſavus *præfracti duritiem protulit.*

In Gentibus univerſis.

Atque ut ſingulis hominibus; ita gentibus univerſis ſua eſt Indoles: ad quam quæque aut à Natura imbuta; aut à cura ſtudioque inſtituta eſt: obvium ab antiquo patriæ laudis, & vituperii argumentum. Aſiaticorum delicata notatur mollitudo; Afrorum verſutum in fraudes acumen;

men; Europæorum ad diuturnitatem laboris patientia. Iactatur popularibus dicteriis Cretensium mendacitas, Ionum & Medorum luxuria, Siculorum vafrities, Græcorum levitas, Numidarum perfidia, Alexandrinorum dicacitas, Campanorum superbia, Brutiorum latrocinia. Hispanos gravis commendat elatio, & in obeundis negotiis constantia, non tempore, non tædio fatigata. Gallos larga bonitas, & in suscipiendis rebus promptitudo ac alacritas; sed impetu, si mora interveniat, elanguescente. Italos effusa humanitatis promissio, sermoque exactæ urbanitatis. Britannis gloriæ semper fuit hospitalitas, & animus ad audendum quidvis præceps. In Germanis bene audit ignava fraudium simplicitas, in gerēdis bellis strenuitas, in laboribus tolerandis invicta firmitas. Belgas frugalitatis disciplina, & nihil patiens remissum industria honestat. Inter quos Flandrorum in dicendo gravitas; Brabantinorum exclusa severitate hilaritas; Mattiacorum prudens adhibito delectu circumspectio, animo ad patientiam obfirmato; Batavorum simplicitas, Frisiorum

rum

rum pro prisca libertate patriisque vitibus obstinatio nomen habet. Hic inconsulta temeritas; illic tristis animi elati superbia; istic insolescens licentiâ ferocitas; alibi gulæ venerisque intemperantia in crimen venit. Sunt qui in fidem, in agendi consulendique solertiam, in fortitudinem, in patientiam, tanquã in natale Naturæ parentis patrimonium, generantur, in omnẽ posteritatem transeunte virtutis vitiorumque hæreditate.

Præcipua diversitatis hujus in Animali spiritu causa est: qui à Corde per arteriarum decursus in universam diffusus compagem, pro vario naturæ suæ habitu, varias affectiones & effectiones producit, unicum animæ operantis instrumentum. Ventorum tempestates humana corpora multifariam externo afflatu afficiunt, & pro sua aut humiditate, aut siccitate, aut frigore æstuve, valetudinis statum permutant. Non minus insiti spiritus ad suæ naturæ indolem corpus simul atque animum componunt & in diversos mores habitusque hominem efformant. Qui si ex ambiẽte frigore Variæ Indolis causæ.

crassescant, mentem offusa caligine obtundunt, & in vastis validisque corporibus ingenii acumen hebetant. Si moderata temperentur frigiditate, hominem in gerendis rebus stabilem faciunt, animoque obfirmato; sed in debili calore ingenio ad fraudis versutiam stupescente. Si humescant uberius, facilem efficiunt; sed fluidam rerum intellectionem: corpus obesum, memoriam caducam, sensus torpentes, animum in obeundis periculis effæminatum. Sub fervido spiritu ingenii præstantis acumen habitat, memoria tenax, iræ atroces. Sub tenui temperatoque calore vis animi vivida, sensus expediti, impetus vehementes; sed ad primum plerumque conatum fatiscentes. Spiritus variam ab Humorum Sanguinisq; constitutione naturã trahit: ut ex crasso sanguine corpulentam adsciscat firmitatem; ex tenui in evanidã exilitatem gracilescat. Præcipuæ hic Cibi & Potionis sunt partes: quæ, præbito Spiritui alimento, tam Animi mores, quam corporis humores ad suæ indolis habitum componunt. Neque parvæ sunt circumflui Aeris vires; qui insertus corpori variè

mentem quoque afficit: cum aut liquida puritate irrigat; aut offusis nebulis obtundit: alibi homines ad formidabilem ferociam exasperat; alibi ad fluxam teneritudinem effœminat.

---- Emollit gentes clementia cœli. Luc. l. 1.

--- Arctois populus quicunque pruinis
Nascitur, indomitus bellis, & mortis
amator.

Magna in sexu Generis, & Aetatis gradu ad formandũ animi statum vis est: viris, fœminis; senibus, juvenibus singulari cupiditatum impetu in diversa studia raptis. Et à sua quisque Professione consuetisque vitæ studiis mores trahit, transeũte in naturam consuetudine, multis annis usurpata. A Natalium quoque fortuna Honorumque ac Facultatum æstimatione & censu in diversos habitus ingenium efformatur: dum pro sua quisque conditione, & rerũ domesticarum statu certis sese affectibus addicit. Patriæ vero Spiritus, & Cœli Soliq; genius natalis, & Cognatus Parentũ sanguis singulares nascẽtibus cupiditates ingenerat, magnum profecto in posterã ætatem ad virtutem aut vitium momen-

 tum.

tum. Educationis tamen ea ſæpe vis eſt, ut inſitam Naturæ indolem commutet, crudæque affectionis impetum ſua induſtria in contrariam partem deflectat. Illa valentior Vis Divina, & Geniorum impulſio hominem à ſuæ mentis averſum ſtatu, aut ad virtutis culturam producit, aut ad improbitatem abducit. Præter ea Virtutum Vitiorumque incunabula in certos ſibique peculiares Affectus quiſque naſcitur: ut aut in Amores, in Iracundiam, in Odia, in Hilaritatem, in Verecundiam impetu quodam Naturæ impenſius rapiatur. Quæ ut ita certis veſtigari indiciis non poſſunt; ita aliis Theatris proponentur.

Vtilitas hujus cōſiderationis.

Quis non parentem Naturam ſuas tanta induſtria explicantem opes admiretur? Quem non tam jucundæ varietatis cogitatio delectet, & quaſi voluptate quadam perfundat? Quid illa Mundani operis Fabrica, in tam multiplices vultus cultuſque tranſeunte, dignius eſt? quid divinius? Quid ad pulchritudinem magis exactum; quam in aliam atque aliam mutatis venuſtatem rebus, improviſa ſemper novitate men-

te mentem atq; oculos reficere ac recreare, nulla satietate expletos, nullo fastidio delassatos? Quæ tantæ varietatis species & decentia in Homine mundanarum opum hærede splendididissimis effulget radiis: in tam varios corporum animorumq; habitus à Natura efficto, ut pictorum tabulæ pluribus variari coloribus nequeant. O infinitam Dei potentiam! ô Sapientiam admirabilem! quæ à primo rerum statu, ad hoc usque vertentis horæ momentum, tam diversis humanam Effigiem lineamentis, tam difformi Animos indole, multis simul rebus idonea, discriminavit. Quid ad voluptatem sit jucundius; quam assiduo tantæ pulchritudinis intuitu sensus pascere? Quid ad usum pietatis fructuosius; quam à variantis Naturæ contēplatione, ad difficilem Dei Suique ipsius cognitionē animū cōtransferre? Atq; hoc me unum maxime cōmovit, ut lāguido confectoq; morbis ac laboribus corpore, domi in secessu meo, vari-os Impetus atque Indolem Humanitatis *curiosa diligentia mecum considerarem. Neminem quidē ego scio in illa Hominum vestigāda Indole ex professo versatū;*

nisi quod cultissimi ingenii Barclaius Iconem descripsit Animorum, *& descripsit tantum: ac potissimum ex Natalis soli genio, & vitæ Studiis: in quibus etiam eruditam viri dictionem, quando ultro ad calamum veniebat, aliquando usurpavi. Cæterum Naturæ, quantum potui, institi lineamentis; Ingenium Moresque Animi penetrales, depressis ab ipsa vestigiis, quo me Ratio & Historiæ ducebat fides, persequutus.*

Dedicatio. *Quæ Morum Mentiumque humanarum Indagatio tantæ mihi fuit dignitatis, ut neque indignum duxerim, vobis,*

ILLVSTRES FRIS. REIP. ORDINES,

nuncupare. Vos in Reipub. Theatro principem amplissimæ dignitatis tenetis gradum: motus impetusque Animorum, in quos aut natus quisque est, aut factus, publico temperatis bono, improbas malorum civium cupiditates sapienter coercetis, indolem probitatis benigne fovetis: Merito videor hoc Ingenii Theatrum *vestro Nomini consecrare. Vos præclarum populo*

Virtu-

Virtutis ab illuſtri loco ſpectaculum & ſpecimen præbetis, Morum atque Animorum veſtrorum Imaginem in luce conſpectuque poſitám Civium poſteritati traditis: quamcunque omnes à Natura, à Cura, à Fortuna indolem habemus, illa ſeſe ad veſtrarum Mentium conſiliique genium componit: debui delineatam Animorum Effigiem *Vobis inſcribere. Quod poſſum ad decorandum publici Honoris Theatrum, præſto. Cum in Orcheſtræ* XIV *non ſedeam, ſatis eſt mihi Apparitoris, aut Atrienſis ſervi vicem obire, Circi Templa adornare, Curias & ſubſellia inſtruere, Aris coronas appendere. Iuventutem veſtram bonis artibus informo, vim ipſi à Natura inſitam, quanto poſſum ſtudio excolo, promoveo, natales animorum impetus ad virtutem compono: hoc ago, ut Reip. bonorum Civium ſupplementum ſcribam. Neque in Veſtro Ordine parũ multi ſunt, qui his artibus ad literatæ virtutis laudẽ, & principem dignitatis locum adſcenderunt. Nunc à Domeſtico Ingenii mei cenſu tenue vobis Donarium offero: ea quidem ſimplicitate, qua priſca pietas ſalſam Diis molam, &*

Perſa

PRÆFATIO.

Persa Rusticus Regi suo haustam de torrente aquam. Accipite hoc animis benignis, & patiamini in Sacro Reip. Vestræ Aerario suspendi, in memoriam ad posteros meæ in Vos,

ILLVSTRES ORDINES,

& Remp. FR., quæ mihi civitas est patria, devotionis. Ego in hoc Theatro aliquam Ingeniorum Imaginem stilo adumbravi. Vos Legibus atque Exemplis Speciosam Virtutis Imaginem *Civium vestrorum pectoribus imprimitis, majoribus sanè Theatris proponendam. Quod ut in cœlestis Regni ampliationem, in Reip. FRIS. gloriam salutemque diu & feliciter præstetis, velit faxitque sator atque opifex Animorum Deus.*

Ex Musæo meo VI. Kal. Febr.
AN. Christ. CIↃ IↃC XXXIII.

E D

THE A

De cognos

De I



gnum com
insignirētu
elegantiâ
mortaliun
insitosque
trospiceret
excoleret,
culas soler
daret, abo

EDONIS NEVHVSII

THEATRVM INGENII HVMANI.

sive

De cognoscendâ Hominum Indole, & Secretis Animi Moribus.

LIBER I.

CAP. I.

De Ingeniorum in Homine Varietate.

SOCRATES, illud clarissimum Græciæ lumen, hortari suos discipulos solebat, ut se crebro in speculo contuerentur: ac, si pulchri essent, nihil speciosâ formę dignitate indignum committerent; sin deformitate aliquâ insignirētur, corporis indecori nævos virtutis elegantiâ compensarent. Quàm se benè res mortalium haberent, si suam quisq; Indolem insitosque animi mores contentis oculis introspiceret, adgenitas naturæ beneficio dotes excoleret, perpoliret, augeret; vitiorum maculas solerti curâ industriaque elueret, emendaret, aboleret. Qua animorum culturâ in- *Vtilitas cognoscēda sua Indolis.*

nata virtutum ſemina juſtis adoleſcerent incrementis: quæ in multis neglecta neque aſſurgere in aliquam magnitudinem, neque ferre utilem fructũ poſſunt. Adgenerata vero Naturæ pravitas ſuis pudenda ſordibus obſoleſceret: impudentiam verecundia, incontinentiam modeſtia, iracundiam lenitas, invidentiã benignitas, violentiam ęquitas, impatientiam fortitudo, impietatem religio, omnem animi malignitatem vitę integritas & rectitudo profligaret. Ut enim Doctrina diligenſque virtutis exercitatio rẽ inſitam promovet, illuſtrat, abſolvit: ita eadem feros atque incompoſitos libidinum motus injecto quaſi frœno ſeptoſque carceribus conſtringit, ut Rationis imperio, & Honeſtatis legi obſequantur. Nulla tã eſt fera immaniſq; bellua, quæ non humanitatis cultu manſueſcat: nulla tàm ingenii agreſtis arbor, quæ non inſitione feritatem deponat: nullus adeò in ſentes & filicem exuberans ager, qui non ad ferendam frugem cultura miteſcat: Ita nullum tàm eſt pravum ab incunabulis ingenium, quod non emendes emundeſque virtutis aſſuefactum conſuetudine. Agnovit hoc in ſeipſo *Themiſtocles*: qui mirantibus mutatos in melius mores, dicebat, *Aſperos & indomitos pullos in optimos equos evadere, ſi quis illis rectam adhibeat diſciplinam.* O beatum in mortali vitâ hominem, ſi in ſuæ indolis imagine

Plut. in Them.

ſe ipſum

ſe ipſum contemplatus, extincto protritoque nativæ pravitatis ſemine, totum ſe ad virtutis frugem componat! Hæc vera hominis eſt vita, hæc Humanitatis noſtræ excellentia, quæ nos nobiliſſimi generis propinquâ cum DEO cognatione conjungit.

Magna verò Ingeniorum eſt varietas, magna Indolis morũq; diſſimilitudo, multiplici ſpecie ludente in humanis mentibus Naturâ.

Quàm multis animos hominum Natura figuris
Exprimit, in luſus ingenioſa ſuos!
Mille vides Morum ſpecies, diſcrimina mille:
Mille coloratur Mens variata notis.
Vix in tàm varios fundit ſe Terra colores;
Florida cum Veris tempora Phœbus agit.
Vix tàm diverſis ſcintillant ſidera flammis;
Cùm Nox à medio flagrat amica polo.
Ille graves alto verſat ſub pectore curas,
Auſus marmoreæ nobile laudis opus;
Iſte trahens mutum plebeijs ſordibus ævum
Torpet, & obſcuro nomine repit humi.
Ille capax lethi, fortique interritus auſu,
Ardua firmatâ mente pericla ſubit;
Iſte pavens humili trepidat formidine caſus:
Cui ſtupidum imbelli frigore pectus hebet.
Ille trucem facilè flagrat violentus in iram:
Cui calet accenſæ bilis ab igne jecur;
Iſte animo humanus placido, blandiſque benignus
Moribus, ingratæ nil feritatis habet.

Ille ſuam in linguâ mentem, vultuque repoſtum
Pectus habet, patulâ ſimplicitate rudis;
Iſte tegit latebris animum, cœcoque receſſu
Conditur, & fibris abdita ſenſa gerit.
Ille gravi ſemper curarum ſaucius ictu
Mœret, & à nigri ſanguinis igne riget.
Iſte ſales jucundus amat, luſuſque facetos,
Ridenteſque hilari ſpargit ab ore jocos.
Eſt, qui conſulta providus gerit omnia mente:
Eſt, qui præcipiti cuncta furore gerit.
Hic ſatus ad Martem miles bonus; alter ad Artem:
Convenit ille ſago; convenit iſte togæ.
Multos plebejæ ſua mens ad munia vitæ
Dejecit, factos non meliore luto:
Aut ſulcare ſolum raſtris; aut findere roſtri
Dente ſalum; aut alio Marte movere manum.
Quiſque ſuo viget ingenio, ſua cuique Minerva
Muneris injecit ſemina prima ſui.

Indoles naturæ mirabilis. O admirandam Creatoris DEI potentiam, quæ ut corporum lineamentis, & vocis modo: ita morum atque animorum diverſo ſingulos habitu diſcrevit! Neque pictura pluribus coloribus & lineis deſcribere, rerum varietatem poteſt; quàm quas Divinus ille opifex in ingeniis duxit humanis. At illas, quia paſſim oculis obviæ ſunt, nemo admodum miratur; niſi exerrans alicubi Natura ſingulare morum præbeat ſimulacrum. Tale Mundus in priſcis Græcorum vidit philoſophis: qui exutâ humanitate cor-

te corpora animasque in rigidam duritiem efferabant, opes tanquam molestam sarcinam abjiciebant, oculos & virilitatem, ne aliquãdo ad se cogitationem deflecterẽt, eruebant, totam vitam in perpetuâ mentis contentione collocabant. Adverte huc curulem diversorii tui Cupam, *Diogenes*; ut ad apricum solem mirabilem Cynicæ frontis indolem speculemur. O portentosum hominis ingenium! In sordido Dolio inops omnium rerum, lacero tectus sagulo, mendicatâ victitans stipe, turpem Alexandro exprobras indigentiam. Per solarem æstum in candente volutatus arenâ, per hyemem nivales statuas glaciemque amplexus adversus aëris intemperiem corpus obfirmat. Ubi nox eum somnusve opprimit, stabulatur. Eodem in diurnum nocturnumque corporis operimentum stragulo; eadem in obsonia & potum lagenâ utitur. Baculo inequitat, si corporis valetudo dolium versare non sinat. Dignior Cynici fortunâ Dolii *Timo* videtur Atheniensis: tàm infesto hominum laborans odio, ut, damnato societatis vitæ cõtubernio, in sylvarum sese lustra, & claustrales recessus abstruderet. Adibat eum aliquando *Apematus*, simili inhumanitatis indole asper & truculentus: qui, appositâ tenuissimi apparatus cœnula, cum assedisset, à longo silentio, *Quàm*, inquit, *Timon*, *nostra duorum in hac solitudine convi-*

Val. l. 4. c. 3.

Plut. in Antonio.

vatio est jucunda! Quem tum Timo obliquo in-
tuitus lumine, *Equidem*, dicebat, *si tu abesses. Alci-
biadem* tamen adolescentem familiarius fre-
quentabat: quod prospiceret, turbulento na-
tum ingenio magnam aliquando, Atheniensi-
bus perniciem daturum. Quo humanitatis o-
Ioseph. l. dio *Caligula* publicas Mundo clades impreca-
19. c. 2. Ant. batur, nimiam temporum suorum dolens feli-
Suidas & Dion. citatem. Cujus generis & ingenii *Tiberius* exi-
tialem humano nomini vocem protulit.

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.

Quod cum Nero audivisset, *Immò*, inquit, Ἐμοῦ
ζῶντος. Iste etiam populum Romanum in unam
coalescere cervicem optavit, quam gladij ictu
dissecaret. Ut in illis mira inhumanæ asperita-
Ravisius. tis; ita in *Senecione* ridiculæ fatuitatis fuit indo-
les, mirabilem in enormi granditate ponente
voluptatem. Poculis Elephanteis, calceis na-
tante pede laxis, veste pallioque ad veli for-
mam fluido utebatur. Quotiescunque gra-
dum faceret, grandi passu vestigia ponebat,
digitis insistens pedum, ut altior videretur.
Exiguæ staturæ equos, fœminas, fructus, pro-
digii instar, fugiebat. Exempli careret ista fa-
tuitatis insolentia, nisi in platanum arborem
Herod. l. 7. *Xerxes*; in marmoream imaginem *juvenis qui-
dam Atheniensis* insani amoris æstu exarsissent,
mœsti dolētesque quando à suę Veneris com-
Cuspin. plexu & delitiis abessent. In *Heliogabalo* tamen
magis

magis ſtoliditatis miror indolem: qui odio ſui ſexus, exectâ virilitate in fœminam ſe converti, & pro *Baßiano* dici *Baßiana* voluit. Quin vos huc venitis *Heraclite* ac *Democrite*, miro ingenio ipſi, ut hanc naturæ in hominibus inſolentiam aut riſu digno, aut fletu proſequamini: quando ego ad hæc ingeniorū portēta obſtupeſco.

Atque ut Moralis; ita *Literarij Ingenij ſumma eſt varietas*, in multiplices ductus & lineamenta Naturę penicillo evagante. *In magna domo nō tātum vaſa ſunt aurea & argentea, ſed etiā lignea & teſtacea: & alia quidē ad decus; alia ad dedecus*: Ita opifex Natura, in ampliſſimo terrarū orbis Theatro, in diverſa precia & ſpecies efformavit hominū ingenia, ad certū ſingulis uſū à ſupremo rerum moderatore, pro ſuę indolis habitu, deſtinatis. Sunt e. Ingenia quędam Vulgaria, plebeja, parva, dejecta: quæ in anguſtas damnata cogitationes nil animis altum concipiunt, nil pręclari cogitāt, nec è ſua excedere humilitate audēt. Sunt alia nimia mobilitate vaga, futilia, fluxa, evanida: quæ nullo ſaburrata pōdere inſtabili huc illuc motu ferūtur, fluida tantū levitate cōſtantia. Sunt & Tarda, dura, retuſa, pinguia, ad cogitandum hebetia, ad judicādū imparata, ad capiendas diſciplinas, niſi immanē adhibeāt laborē, incōmoda. Quib⁹ cognatione quadā accedūt Tortuoſa, perplexa, intricata, multiplicia: quę ſuis implicata veſtigiis hærent,

Ingenii Literarij varietas.

1. 2. Tim. 2. 20.

rent, ut ſe evolvere atque expedire nequeant. Invenias Subita, extemporaneæ ſubtilitatis, quæ natâ ſub manu ſapientiâ paratam habet in omne argumentum aciem; ſed quæ in primo retuſa ictu obſtupeſcit. Quibus proxima ſunt facta in acumen paulò præſtantius, Subtilia, prompta, elegantia: quæ celeri ad cogitandum motu facilè quæque comprehendũt; ſed memoriâ parum fidâ, & judicio infirmo. Reperias etiam Gravia, robuſta, valentia, acri judicio, ſingulari ſolertiâ: quæ in arduis verſata negotiis, quo tardiores, eo ampliores ſtudii conſtantiæque ſuæ fructus proferunt. Neque deſunt Temperata & mediocria, quæ inter fluxam levitatem, & ponderoſam poſita tarditatem ad cultum humanitatis, & bonarum artium ſtudia imprimis valent. Omnem verò virtutis implent fructum Ingenia illa Divina, præclara, eximia, diffuſæ ubertatis, expeditæ celeritatis, confirmatæ ſtabilitatis: quæ in rem omnem tempuſque commoda, ardua queque animosè ſuſcipiunt, & dextre perficiunt: tàm ad inveniendum prompta; quàm ad judicandum acuta; & ad memoriam diuturna & firma. Tanta verò hîc eſt varietas, tàm multiplex & diſcriminata facies animorum, ut non difficilius pictor aliquis rerum omnium ſpecies tabulis incluſerit; quàm nos oratione difformitatem iſtam repræſentemus. Ut tamen in op-

in oppidis eminus ſurgentibus turrita domorum faſtigia à longinquo videmus: ita ſumma ingeniorum genera inſigni notata diſcrimine oculis proponemus. Ea verò in quatuor claſſes, & quaſi capita diſtinguemus: ne multiplex & confuſa rerum imago mentis aciem obtundat.

In primâ Claſſe *caducæ levitatis Mobilia pono ingenia*: quæ extemporali prompta ſubtilitate, quicquid ad oculos aureſque venit, ſtatim percipiunt: ſummum ſine dubio laudis, meritura gradum; ſi tam ad conſtantiam eſſent firma; quàm ad captum acuta. Sed invalido ſuffulta robore in primo virium conatu elangueſcunt: ut virgeæ flammæ brevi rutilantes fulgure deficiunt & emoriuntur. Ceræ molli facilè imprimas imaginem; ſed levi momento pereuntibus notis: ita mollis illa & quaſi cerea ingenioſitas, quàm facilè aliquid capit; tàm facilè effundit, in fluxâ animi levitate confuſis perceptarum rerum lineamentis. In exili negotio, in lepidâ cum amiculis confabulatione, ſi urbanis jocandum ſalibus, ſi faceto dicterio excipienda congerronum oratio, mirum quãtum valet. In inveniendo laudabilis eſt acrimonia, ad primam animi contentionem ſuccurrentibus, quæ non erat longior cogitatio præſtatura. Sæpè admirationẽ plauſumq; ſibi excitat illa ſubiti acuminis dexteritas: quã tamen

Levia Ingenia.

men ſalvo honore nõ ſuſtinet, ſi ab umbraculis ſuis in campi pulverem provocetur, ad primũ ſtatarii conflictus impetum deflagrato virtutis calore. Itaque in adminiſtranda Rep. in obeundis magnarum rerum negotiis, in ſuſcipienda cogitãdi cura, habendaque deliberatione, nullus eſt illius, ob judicii tenuitatem, uſus. Verni præcocis maturitatis fructus & bellaria oculis palatoque adblandiuntur; ſed invalido & evanido nutrimento nullum corpori robur, & ventriculo firmitatem, præſtãt: Ita delectat, & grata eſt brevis illa vivaxque procacitas natæ ſub labris ſapientiæ; ſed vim nullam habet, & firmamentum animi ſuſtentandi. Sic nata in ſublimi ſemina in ſteriles effuſa calamos, quia nullis nituntur radicibus,
Æl. l. 9. v. h. caducam fluxi vigoris habent vitam. De *Philetâ* poëta ſcribitur, quod adeò tenui & exili fuerit corpore, ut ſe plumbeis ſaburraret ſoccis, ne flabrorum impetu dejiceretur. Tanta in his Ingeniis eſt levitas, ut omni ſententiarum verſentur aura; quod nullo boni judicii ſapientiæque pondere ſtabiliantur. Naves anchoris revinciuntur, ne incerto curſu in alto fluctuent. Iſta inconſtantia ſapientiæ religanda eſt vinculis, ne diſſipetur ac pereat. Tale
Cœl. l. 21. c. 16. *Hermogenis* Sophiſtæ ingenium fuit: qui in pueritia ſenem; in ſenectute puerum egiſſe dicitur, præcoce ſapientia, antequã adoleſceret.
extin-

extincta. Et *Caroli Craßi*: cui ante ætatis cursum sapienti, provecta ætate Curator datus est, nobili exemplo patruo nepos. Ita *Ludovicus* Hungariæ Rex vix egressus cunabulis adolevit, in pretexta barbam, ante duodevigesimum annum canos emisit; in tantum læto exultans incremento, ut significaret, se extingui. Ut maturè magnum ingenium non est vitale: ita expedita profluensque levitatis celeritas raro in aliquam sapientiæ maturitatem adolescit. *Æmil. l. 3.*

Qualis istius Ingenii est Sapientia, talis est Eloquentia, lingua in omne plebeii captus argumentum parata & volubili. In familiari cõtubernio si quid fabulandum, si quo dicterio aliorum lædenda ineptia, si solvendus in risum & hilaritatem conviva, si obruenda verborũ profluentium strepitu pudens verecundia, mira hîc est dexteritas. Parata est ad susceptã quęstionem facundia, subito eloquio cum grato lepore ac venustate procurrens. Sparguntur jucundi sales & sententiæ, spõtaneo magis impetu; quàm studio effusæ; ipsis sæpe sapiẽtibus in admirationem improvisę festivitatis traductis. Si quis dixerit, aut fecerit quicquã insolẽtius, in promptu est elegantiæ minutæ acumen quo illud excipiatur. Si quis inferatur certis de rebus sermo, ad manum est nitidæ brevitatis sententiola, quæ aptè in rem præsentem dicatur. In *Eloquẽtia mobilium ingeniorum.*

tur. In Templorum cathedris diffundi ſolet uberius illa ſubitæ celeritatis procax Eloquentia: in anguſti animi plebe tantum non regnũ tenens. Fundit ſe magnifica dicẽdi ubertas per ſuſceptum argumentum, non hærente linguâ, non deficiente oratione. Quemcunque ad diſſerendum ingreditur locum, profluente verborum celeritate, ſermoniſque venuſtipõpâ decurrit. Magnum ſanè hoc hominum genus Eloquentiæ nomen ferret, ſi improviſæ ubertati judiciũ animi reſponderet, & fuſam confuſamque copiam digeſtarum rerum ſeries & ordo rectè collocaret. Nunc ut aliquid in illo dicendi æſtu ſermoniſque torrente ad memoriam venit, eo orationem deflectit, digreſſumque hinc inde, ut fluctuans incerto curſu navis, ſine lege & modo evagatur: unde deſcenderit, quò pervenerit, ubi finiendum pariter ignarum. Atque ut de Nilo canes, libatâ tenuiter aquâ, bibunt: Sic illi ſumma rerum capita feſtinato præcipites curſu tranſmittunt: ut multa loquuti parum dixiſſe videantur. Tales *Hortenſij* fuere orationes; cujus cum in dicendo copia ſpecieſque auribus placeret, oculorum judicio ſpernebatur, multumque legentibus deſideratum, quod audientibus placuiſſet. Ut fuſæ per patentes campos undæ languido feruntur impetu: Ita diſſipata declamantium ubertas, verborumque

luxu

luxurians pompa ſolidis ſapientiæ nervis deſtituitur, inutili vagæ dictionis redundans apparatu. Si ab illis Cathedrarum, in quibus ſoli dominantur, umbraculis in campi pulverem vocentur, tum demum jejunarum mentium enervis cognoſcitur egeſtas. *Theocritus Chius* cum Byzantium veniret, & prodigos verborum homines audiret, *Rectè*, infert, *de vobis* Stob. ſerm.
dicitur, quod in ore omnis vobis ſepellex eſt, & unicum 34.
domicilium. Qui *Anaxamenæ* dicturo, *Incipit*, dicebat, *verborum flumen, mentis gutta.* Hoc de illis dicas Oratoribus: qui multum habent loquẽtiæ; ſapientiæ parum. Quibus cum linguâ omne pretium dignitaſque detrahitur, unâ tantum voce laudatis. Athenienſium nationi germana fuit illa in vagam Eloquentiam ſoluta u- Stob. ſer.
bertas: quam *Demades* facetâ cavillatione 2. de imp.
Tibiis comparavit: quibus ſi linguam adimas, nullum ſui præſtant uſum. Non minus ſcitè
Democrates Orator eam perſtrinxit: qui in pul- Plut. in
pitum adſcendens perquã anheloſus, *Athenien-* polit.
ſem ego nunc civitatẽ refero, dicebat, *nunc magnopere quidem ſpiro; parum autem valeo.*

Vividæ levitatis promptitudini *Tarda oppo-* Tarda In-
nitur Gravitas: quæ advocato ad meditandum genia.
animo intelligit, non tam primo velox felixque impetu; quàm ad conſiſtendum durandumque valida. Hîc ſi non tanta eſt cogitandi atque inveniendi celeritas; pretium habet ju-

dicii

dicii firmitudo, & in perficiũdo opere conſtã-
tia ad magnarum rerum ſufficiens molitionẽ.
Adſciſcitur auxiliaris in naturæ ſubſidium di-
ligentia, laboriſque aſſiduitas, quæ adgenitam
duritiem emollit, & præcipitẽ volubilis inge-
nii celeritatem ſępè pręvertit. Teſtudo aliquã-
do & Aquila; ut eſt in fabulis; in contentionem
venere, utra fixum prior ſcopum poſſet attin-
gere. Præpes iniquo cõgreſſam certamine Re-
ptilem contemnens, huc illuc ſecure evagaba-
tur: cũ illa non ſuſpenſo prorepens gradu præ-
cepit metam, Aquila ereptam ſibi victoriam
fruſtrà indignante. Ita induſtrię tarditas ſupra
laudati acuminis ingenia plerumque aſſurgit,
nativam hebetudinem diligentia corrigente.
Atque ut Rhombus piſcium tardiſſimus mu-
gilem ſæpè intercipit velociſſimum: Ita retuſa
ſtupidioris animi tarditas nõ rarò ſecuram an-
tegreſſa celeritatem, ad humanæ dignitatis fa-
ſtigium excedit. Dum enim iſta ſuarum fiducia
virium aut nugaces ineptias tractat, aut ſomno
vinoque dedita ad inertiam peſſumdatur; illa
vigilat, cogitat, enititur, incitat expolitq; vim
inſitam, excutit ſoporem, propellit ſegnitiem,
abſtinet voluptatibus, omnem vitæ curſum in
contentione animi ſtudioque magnarum rerũ
impigro traducit. Quid tã ſit grave, quod non
illa levet induſtria; tam durũ, quod non leniat;
tàm obtuſum, quod non acuat; tàm ſopitum,
quod

quod non excitet; tàm defoſſum abſtruſumq;, quod non eruat? Equo ſegni ſtimulis opus eſt, ut in curſum cōcitetur: Terra dura cultu molleſcit: Arbor agreſtis inſitione māſueſcit: Hoc illis evenit ingeniis; quæ naturæ damna laboris aſſiduitate vincunt. Quantò minus à præcipiti impetu, & expedita valēt promptitudine: tantò magis recōdita intus vis eſt, quam induſtria provocat: ut precioſæ merces ſolutis faſciarum vinculis, additoque titulo, venum exponūtur. Ita ab Eoo Sole aromata piſtillo cōminuta fragrantem halant animam; roſæ violæque contritæ extabeſcunt. Scilicet, ut naſceretur ſapientia, Vulcani opus erat malleo, cujus frequenti ictu Iovis cerebrum confringeretur. *Cleanthis* tale erat ingenium, qui anguſti oris vaſi ſe conferebat: quod difficulter liquorem reciperet; at tenaciter retineret. Quò ſtudio *Socrates* ſummæ doctrinæ ac virtutis, *Demoſthenes* eloquētię, *Virgilius & Homerus*, poëticę granditatis famam apud poſteros acquiſiverunt, naturæ aſperitatem aſſidua meditatione mitigantes. Si utilitatem ſpectemus, & fructus; quò tardiores illi ſunt ab hoc ingenio: eò proveniunt certiores & ampliores.

Οφιμον, ὀφιτέλεστον, ὃ δὲ κλέος οὐκ ἀπολεῖται:

Ut calamus altius inſitione depreſſus tardius in fructum exuberat; ſed meliorem: Ita ingenia minus expedita ſerotinum; ſed præſtātem

ferunt

ferunt fructum. Leonum catuli informes naſcuntur, vix veſtigia faciunt ſemeſtres. Oliva ſerò provenit; ſed fructum generat uſui humano utiliſſimum; at Salix citò adoleſcens, eſt ſterilis. Vivacior ignis ex lentâ difficilique materiâ obtuſius lucet. Præterea omnia lentis ductibus abſolvuntur, & ætatem ferunt. Itaque ad ſcribendum, ad Remp. gerendam, ad perficienda magni momenti negotia, non alia magis ingenia valent: quæ & à novandis rebus aliena ſunt, & aſſiduo expolita uſu, reducto ad meditandum animo res poſteritati dignas tradunt.

Eloquentia tardi ingenii.

Oratio ingenii tardioris refert indolem, ad ſubitam loquutionem difficilis, impedita, hærens, verbis ægrè ſequentibus, linguâ nativo frigore reſtrictâ. Ex eo penſa atque æſtimata eruditio vile plerumque apud ignaros habet precium; qui ex primâ magis fronte rem judicant; quàm ex interiore dignitatis receſſu. Igitur difficulter emergit, & dignum ſuâ magnitudine honorem impetrat, moleſto neſcientium præjudicio oppreſſa. Et niſi ſcripto, aut largo familiaritatis uſu, animi melioris imaginem præbeat conſpiciendam, ægerrimè ſui contemptum amolitur. Cura & induſtria tardam ad præcipites impetus linguam concitati quando ſolutis hæſitantiæ vinculis, concepta mentis ſenſa graviter, relictoque in audientium

tium animis aculeo eloquitur.

Inter fluxam Mobilitatem, & impeditam Tarditatem *Media ponuntur Ingenia*, naturæ & curæ modo temperata. Hîc ut non languida debilisque judicii vis est; ita cogitandi acies nõ est obtusa. Utraque mediocri labore industriaque illustratur, semper post meditationis moram præstantior. Arte sola laborisque assiduitate insiti stuporis Tarditas emendatur. Ratione bonitas expeditam Celeritatem cõmendat. Mediocre ingenium à moderata Indolis & Artis temperatione pretium habet. Hoc demum est bonarum Artium disciplinis maximè idoneum: sive dicendo, sive meditando operam tempusque placeat insumere. Neque aliud æquè aut in virutum, aut in vitiorum effunditur proventum: in quamcunque sese partem deflexerit, pari momento studium intendens. *Medio-cria Inge-nia.*

Oratio hîc est perspicua facilisque, quando est opus: non confusa turbato indecenter ordine: non hærens, venientibus difficulter verbis. Utque, cum dicendum est subitò, parata est in usum facundia: ita, si adhibeatur cura, dictio est ornatior.

In quarta Classe primi census atque existimationis *Absoluta* sunt Ingenia: quæ divinis eminentia dotibus penè suprà humanæ sortis fastigium assurgunt, & propinqua cognatione *Absoluta ingenia.*

cœleſtem inclyti generis originem attingunt. Quæcunque eſt in Levibus ingeniis ſenſuum acies & promptitudo; in Gravibus ſolidi judicii robur & firmitas, hîc omnes humanæ perfectionis numeros habet, arte naturaque in extremum virium ſuarum conatum annixâ. Itaque ad inveniendum expeditâ celeritate, ad penetrandum ſingulari acumine, ad deliberandum ſapiente conſilio, ad reminiſcendum tenace memoria valent. Nihil tàm eſt arduum, quod non contingant; nihil tàm implicatum, quod non evolvant; nihil tàm durum, quod non emolliant; nihil tàm difficile atque operoſum, quod non perficiant. In Rep. magna imperia civiumque mores condunt. In literis bonas artes aut inveniunt, aut inventas expoliunt & reformant. Pretioſa naturæ pignora, qualia in ſubſidium tutelamque humanarum rerum vix unum integro ſæculo progenerat: cum aut labentes in deterius mores emendari; aut inveterata diſciplinis barbaries detergeri debet. Tali fuere ingenio illi maximarum in Mundo Dominationum conditores, apud Hebræos *Moſes*; apud Chaldæos *Nebucadnezar*; apud Perſas *Cyrus*; apud Græcos *Themiſtocles*, & *Epaminondas*; apud Macedonas *Alexander*; apud Romanos P. *Scipio*, & *Cæſar*; apud Germanos *Carolus* & *Otto Magni*; apud Scythas *Tamirlanes*;

apud

apud Turcas *Othomanus*: qui vim nacti cœlestem, in communium rerum conſervationem, vitales auras hauſerunt. Tales in bonarum artium diſciplinis extitere primi eruditionis principes, illi cuſtodes & æditui maximarum virtutum & ſcientiarum, in Poëtica arte *Homerus* & *Virgilius*; in Philoſophia *Socrates*, *Plato*, *Ariſtoteles*; in Oratoriâ *Cicero*; in Medicinâ *Galenus* & *Hippocrates*: qui propitio nati cœlo neceſſarias humano generi artes & ſcientias tradiderunt. Nuper Religio Belialibus obmerſa tenebris, Humanitatis ſtudia Gothicâ ſepulta barbarie in turpi neglectione ſituque jacebant; cum Deus ad ſpargendã veritatis lucem, *Calvinum* & *Lutherum*; ad reſtituendas artes, *Melanthonem* in Germaniâ, *Ramum* & *Budæum* in Galliâ, *Scaligerum* in Italiâ, *Buechananum* in Scotiâ, *Eraſmum* in Belgio excitaret. Quando novum noſtro viventium ſæculo ſidus illuceſcet, & ille in ſpem piorum promiſſus Mundo *Cyrus* exurget: qui ſacræ Dux Militiæ internecinum cum Antichriſto bellum gerat, Babyloni perniciem, Eccleſiæ ſecuritatem, orbi terrarum pacem præſtet?

Quanta vis eſt opificis Naturæ, quanta ſolertia: non in Ingeniis tantum Moribuſque Hominum; ſed in Rebus etiam ſenſu vi- *Naturalium rerum varietas.*

tâque vacuis admirabili ludens formarum varietate. Vides cœlestium luminum scintillantes in Cœlo ignes? Quàm sunt diversæ illorum effectiones! quàm varia motuum ratio! quàm sibi dissimili nitēt vultu! Fulgidum sol splendorem diffundit. Rutilam Mars lucem spargit. Claram puramque Iupiter facem jacit. Plumbeo pallore livet Saturnus. Nitido candore albicat Venus. Subrufo igne rubet Mercurius. Lampadias Hyadum maxima, in fronte Tauri, flammeos; Sirius fulgidos radios jacit. Luna, polypi instar, varios vultus habitusq; assumit. Sētis Aërem immēsa vacui spatia complectentem? Quàm ille in varias facies transformatur! quàm se diversâ specie homini affundit! Squallet inimico frigore; cū Sol limitem sui à nobis recessus extremum in Capricorno tenet. Verno tepet calore; cúm à caudâ piscis & Ariete directiore radiorum allisu irrigatur. Æstivo excandescit igne; cum Leo Canesque propinqui Solis vibratu incenduntur. Autumnali temperie mitigatur æstus; cùm Virgo & Libra pluvias de nubibus aquas proliciunt. Uritur & arescit à Sirio. Madescit à Pleiadibus & Asellis. Verberatur grandine intonatque ab Arcturo. Obstupescit frigore à Capricorno. Pulsat eum saxiis imbribus Corus. Perfundit nivibus Aquilo. Humectat corrugatum in nubes Africus. Exsiccat Eurus. In-
cendit

...o et więcey ...


...passai zo ktorymi y iw pro posse interessie

...go łaskę także się zalecaiąc zostaię

Addictissimus Servus

Fr Alanus Wastko:

... O.P.



cendit Auſter. Expurgat ſerenatâ facie Septentrio. Quàm eſt vario diſſimilique Terra Mater ad producendam ſobolem ingenio! Alibi ſtagnantibus in ſummo aquis paluſtri mergitur uligine. Alicubi intumeſcẽs editis faſtigiatur montibus. Uſpiam æqua in campeſtrem planitiem funditur. Illic ſylvis obſeritur. Iſtic frugibus alẽdis operam præſtat. Hîc reconditum in venis metallum effundit. Exaſperatur ſentibus, humectatur aquis, jejunat ſiti, alget frigore, æſtuat calore, tepet moderata temperie, caligat nebulis, pateſcit largo aëre, opacatur umbris, verberatur ventis, irrigatur ſole. Vidimus bituminoſam, argilaceam, cretaceã, ſabuloſam, veſtibilem, novalem, auſtrinam, aquiloniam, à mari remotam, fluctibus pulſatam. Hîc in Cererem eſt robuſta; illic in vitem & oleam rara. Ibi aut in hortos, aut vineas, aut paſcua colitur. Damnat ruſticus macilentam, gracilẽ, pigram, effœtam, retorridam, exſuccam. Laudat pinguem, ſolutam, fertilem, apricam, dulcem, rorulentam. Matris naturam Herbarum Florumque refert progenies, non minus variâ virtute ſpecieque diſcriminata. Quis Florum multiformem propaginem aut penicillo delineet; aut verbis deſcribat? Hic aliquis è calice protuberat. Illic de vagina caput profert. Iſtic de gemmeo nodo prorepit. Alii cocco nativo fulgent. Quidam puro ſan-

guine efflorescunt. Aliqui suffuso lacte candent. Nonnulli in flammam, aurum, ferruginem, aut vermiculatas tesserulas lascivi-unt. Suæ quisque fragrantiæ auram halat, partem ætheriæ auræ ab alto affusam. O dulcem Gratiarum ludum? ô priscæ beatitudinis synceram voluptatem? Non minus varias in species & virtutes Herbarum Fruticumque familiam finxit Natura. Aliæ jecori, aut spleni affecto medelam conferunt. Quædam bilem deorsum propellunt. Aliquæ stomacho & ventriculo adminiculantur. Nonnullæ pectori, cordi, renibus auxilium præstant. Quarundam vires in partes intimas penetrant, atque ad nervos & ossa deferuntur. Sunt, quæ solidandi adstringendique vim habent. Quæ humorem discutiunt, & sudorem provocant. Quæ urinam insitâ facultate moliuntur. Quæ oculis visum acuunt. Quæ venenis obsistunt. Quæ noxiam corpore pituitam bilemve educunt. Quæ sanguinem à fæculentâ illuvie depurgant. Aliæ humi fusæ ad terram repunt. Aliæ in visendam altitudinem assurgunt. Aliæ perpetuâ fronde virent. Aliæ per hyemem frondium spoliatæ pompâ verno tempore repullulant, & in stirpem emergunt.

Quid abjectas ad pastum & pabulum Animantes dicam: sive illæ solo salove inerrent;

ſive cœlo libero vagentur: reptiles, gradienteſve; immanes, manſuetæve; ſolivagæ, gregaleſve? Quid Vultus humani lineamenta, vocumque diſſimilem ſonum referam? Quid tam varios protervientis Naturæ luſus deſcribam: quos illa in Creationis opificio exercet? Ad Ingeniorum revertar habitus: qui ut in ſingulis hominibus eſt difformis; ita ſibi eſt ipſi multum diſſimilis: pro Cœli ſtatu, pro valetudinis temperamento, pro fortunarum conditione, pro Educationis curâ, pro Ætatis gradu, denique pro boni malive Spiritus operatione, in diverſam morum naturæque ſpeciem traductus. Quàm in varios Homo cupiditatum rapitur impetus, pro diversâ Geniorum aurâ impulſuque, uno penè eodemque momento, bono pravoque ſtudium & operam profeſſus! Nunc boni motu ſpiritus ad virtutem incumbit. Statim cæco malignitatis impetu à recto honeſtoque ad malas artes abſtrahitur. Ut inſinuans ſeſe corpori Aër variè hominem afficit: Ita obrepens latenter ſpiritus, pro ſuo ingenio, aut patrando ſceleri, aut obeundę virtuti facem miniſtrat, homine in diverſa ſubitò imperia protracto. O fluxæ levitatis homines! ô inſtabili ingenio mortales! Qui modo obfirmatus ad omnem

Ingenium ſibi ipſi difforme.

Spiritus boni & mali impulſu.

7. Iob. 7. 1.

nem fortunæ impetum divino ſeſe arbitrio permittebat; ſtatim natalem execratus diem irato ſe genitum cœlo conqueritur. Qui nunc devotum Deo cultum, ſanctiſque obſequium
2.Sam.11 legibus jactabat; mox improbam ſequutus libidinem cum vitæ ſocia vitam ipſam *Vriæ* eri-
Mar. 14. 66. puit. Qui pridiè pro Chriſto Domino in dimicationem & mortem ſe offerebat; poſtridie, impulſu mali Dæmonis, omnem illius familiaritatem perfidè abjuravit. Quæ antea meretricium infami corpore quæſtum fecerant; quæ in vitæ contubernium Diabolum admiſerant; qui iniqno fœnore rem pararant; qui latrocinio vias infeſtarant; deinde, auctore Deo, reſipuerunt, verſaque in melius mente, ad bonam ſe frugem receperunt.

Ætatis gradibus. Quàm verò ab Ætate varius in eodem homine Ingeniorum ſumitur habitus, cum vitæ gradu annorumque curſu moribus in diverſam ſpeciem euntibus. Quæ primæ Pueritiæ morum eſt conformitas cnm ſtata Virilitate? Quæ utrique cum decrepita Senectute? Vides illum in prætexta parvulæ ætatis Puerũ? Quãta hîc eſt in geſtu corporis immodeſtia, laſcivia, protervitas? Quanta in animo profusè exultante mobilitas, inconſtantia, impotentia ab omni moderatione temperantiaque, averſa? Quàm illa ætas inani geſtit lætitia! Quàm inſolenti motu, quàm incõpoſitis moribus, quã

ridicula

ridicula vitulatione, ebulliente in venis ſanguine, effertur! Excipit illam Cruditatem Tempeſtiva Maturitas: quæ, deſidente catullientis impetu laſciviæ, in novos mores efformat cupiditatem. Hîc opum honorumque præcipuè fatigat cura. In graves cum adverſario inimicitias æmulationum ferveſcunt ſtudia. In mutua cõmoda fœdera & familiaritates junguntur. Providè omnia, conſiderate, prudenter aguntur, firmato judicio, integris animi corporiſque viribus. Hinc in Senium, & vitæ mortalis exitum graveſcens inclinatur ętas, cum egelido frigore novos ingenio mores inſinuans. Prudentia maximè viget, negotiorum complurium uſu memoriaque parata. Sed deflagrato virilis animi igne anxia ſubeſt timiditas: quæ dum pericula ſolicitè nimis expendit, ſegni ſæpè cunctatione gerendæ rei occaſionem prætermittit. Quanta eſt manuum in agendo tarditas; tanta in agendo linguæ volubilis agilitas: quo membro maximè ſenectus valet, reliquo corpore deficiente. Hoc illi plerumque crimini datur, quod ſapientiæ fiducia juniores cenſeat acerbius: & in propinquo vitæ exitu inopiæ timeat vehementius.

Educatio quoque diverſam uni Ingenio figuram imprimit ſalubri præceptoris manu in omnem imaginem, mollis inſtar argillæ, deflexo. Multi in perverſam nati indolem ſalutari *Educatione.*

operâ virtutum ſtudiis animum applicuerunt. Multi reſidente furentis adoleſcentiæ petulanciâ, cum ætatis maturitate, tempeſtivos modeſtiæ fructus protulerunt. Faſſus hoc eſt de ſe *Socrates*, philoſophiæ præceptis deterſas naturæ ſordes profeſſus. Agnovit *Themiſtocles*, ab infami pueritiâ ad ſummam claritatem inſtitutionis beneficio emerſus. Non diſſimulavit *Solemo*, *Xenocratis* oratione ex turpi ganeone maximus philoſophus factus. Putaſſeſne L. *Manli*, Filium *Torquatum* judiciali te periculo liberaturum; patriam Latino tumultu feſſam ſpecioſiſſimo triumpho recreaturum; filium, quod contra imperium feliciter in hoſtem pugnaſſet, ſecuri percuſſurum: cum illum ex ſtupore animi inutilem Reip. uſibus creditum, ad ruſtica opera domo relegares? Crediдiſſes, Roma Africanum, illum patriæ ſuæ *Scipionem*, te Punicis fractam contuſamque armis erecturum cum ſolutioris vitæ adoleſcentiam ageret? Sperare quiſquã potuiſſet, Q. *Fabium Max.* Gallicâ victoriâ illuſtre Allobrogici nomen ſumpturum; Q. *Catulum*, in maximo clariſſimorum virorum proventu, excelſum honoris gradum inſeſſurum; L. *Syllam* cathenas Iugurthę injecturum, Mithridatem compreſſurum, Cinnæ dominationem fracturum; cum adoleſcentiam vino, libidine, ludicrarum artium ſtudiis

Cic. de Fato. Val. l. 6. c. 9.

Val. l 6. c. 9.

Val. l. 6. c. 2.

Ibid.

ſtudiis inquinatam cogitaret? Quàm illi prius
pudenda luxuriæ fuerunt exempla; tantum
poſteà converſis ſtudiis modeſtiæ & ſanctita-
tis ſpecimen evasêre: ut adoleſcentiæ perfu-
ſos contemptu diceres, quò grandioris ætatis
decus lucidius eniteſceret. Cum quis ſanctos
DEI homines intuetur, *Davidem* & *Manaſſen*
Reges, *Petrum* & *Paulum* Apoſtolos, *Latronem*
ad Chriſti ſuſpenſum latus, cœtum denique
Chriſtianorũ univerſum, crediderit ſanè, duos
in uno homine homines, duos Genios fuiſſe:
alterum nequitiæ; alterum virtuti operam
mutuantem. Agnoſcit hoc in ſe ipſo Apoſto-
lus: cum ſe hinc à Mentis; illinc à Membrorum *Rom. 7.*
lege in diverſos rapi impetus queritur.

Iam, ſi ad Fortunæ conditionem reſpicia- *Fortunæ conditione. Aere.*
mus, quàm eſt ab illa varium in uno homine
Ingenium? In quam morum imaginem fingit
hominem contempta humiliſque paupertas,
divitiæ inſolentes, Nobilitas glorioſa, digni-
tas ſuperba? Quàm variè afficit hominẽ Cœ- *Valetudine. contubernio.*
li ſtatus, Aëriſque liquidi craſſive temperies?
Quàm in animo morum fingit effigiem cor- *Regionũ indole.*
poris ſani morbidive Valetudo, & Humorum
temperatio? In quàm multas Ingenia homi-
num ſpecies tranſeunt ex quotidiani Victus
uſu, ex Familiaritatis contubernio, ex patriæ
Regionis indole, ex aliis deniq; rebus, quæ di-
verſis animum lineamentis deſcribunt.

Hinc

Studia diversa.

Hinc tàm varii Gentium populorumque sunt mores, ex insita Regionum indole, spirituque naturæ genitali hausti. Hinc tàm in diversa Studia homines animorum impetu rapiuntur: pro suo quoque ingenio certis affectibus addicto.

Sunt, quos Attalicæ prædam opulentiæ
Collegisse juvat, glebaque pulveris
Peruvii miserâ discruciat fame.
Hic alto solij conspicuus gradu
Dat leges populis, juraque subditis,
Stipatusque humili plebe clientium
Tolli tergeminis gaudet honoribus.
Is pigrum stimulo sollicitat bovem,
Et frangit patrium vomere cespitem,
Lætus, si sobolen fundat humus suam,
Et tanto pecudes ubere lacteos
Promittant latices, in roseam dapem.
Pinu veliferâ Navita gurgites
Percurrit vitreos: quâ plaga fervida
Mundi sub medio porrigitur die:
Quâ durata gelu Rußia frigidum
Incusat Boream, Parrhasij jugi.
Multos arma juvant, & grave tympani
Murmur: cum rigidos in fera prælia
Trux Bellona viros concitat, & manus
Immiscet manibus. Sunt quibus amphora
Bacchi larga placet: qui pateras mero
Spumantes avidis faucibus ingerunt,

Et ventrem ſatiant immodicâ dape,
Nati, ceu pecudes, obſequiis gulæ.
Me pubem ingenui ſanguinis arduæ
Ad virtutis opus, ſacraque Palladis
Muſarumque domos ducere non piget,
Et civem patriæ ſcribere commodum.
His vitæ in ſtudijs nobilis otij
Si me tuta quies foverit, horrido
Non abrupta trucis tormine Calculi,
Non oppreſſa gravi mole moleſtiæ,
Affulgente foci luce beatulâ,
Adſpirante boni Numinis aurulâ;
Felix ſorte meâ, non ſtrepitum Fori,
Non plauſum Populi, non gravis hoſpitum
Menſæ lautitiam, non magis inclyti
Splendoris Cathedram ſollicitè ambiam.

O magnam Opificis DEI potentiam: quæ tam grandes Naturæ divitias, tot ingeniorum habitus, tam varios animorum impetus ſub una Membrorum ſimilitudine cõcluſit! O ſapientiam ſummi Moderatoris infinitam: quæ non ſingulos minus homines; quàm Gentes univerſas, ut vultuum lineamentis, & linguæ vocalis ſono: ita indole morum diverſâ diſtinxit. Ut Regius Propheta ſublatis in altum oculis, lucidoſque Siderum contuitus ignes, *Cæli*, exclamabat, *enarrant DEI gloriam*: Ita ego tam difformem animorum ſpeciem, tam multiplicem ingeniorum contemplatus habitum, non

Vſus hujus operis.

Pſ. 19. 1.

non possum, quin obstupefactus eximiâ Naturæ variantis imagine, in hæc verba prorumpam: *Speciosa humani Ingenij varietas summæ virtutis præconium opifici DEO impertit.* At quanta etiam ex hac contemplatione ad hominem redundat utilitas, suas aliorumque virtutes & vitia recto pendere judicio satagentem. Tecum habita, ô Homo, abditique pectoris introspice penetralia: ut tui gnarus sciensque ingenita virtutum semina promoveas; vitiorum exstirpes: omnem animi impetum ad bonas artes convertas. Aliorum Indolen attentè considera: ut non impensè nimis, aut ames bona; aut oderis mala, quæ foris videntur. Fallit sæpè specioso virtutis titulo Improbitas: Cave in fraudem illiciaris. Lubrico titubat vestigio genitalis animorum impetus: vide, ne nimium illi confidas. Abducit aliquem in pravum præceps Naturæ cupiditas: noli omnem de illo spem benignæ frugis deponere. Exundans in sylvestrem herbam ager impensâ culturâ purgatur, & mansuescit. Exuberans in inutiles ramos Arbor depastâ luxurie felices proventus alit. Equi contumaces ad patiendum sessorem rectis imperiis assuescunt. Ita residente sæpe pravi animorum motus, adhibitâ Sapientiæ moderatione. Si fidum constantemque in Virtutem sentis impetum; ama, & imitare. Si robustam in malas ar-

las artes vides indolem; oderis, & declina.

Igitur nactus aliquid vacui à publico temporis, non malè bonas horas collocare mihi videbar, ſi illas *in hac utili Animorum Contemplatione inſumerem*, in retruſis pectorum receſſibus *Morum latentium veſtigia* perſequutus. In quibus recto ut inſidam pede, abditumq; ſuis latebris animum indagē, patefaciam, proferam, juvet me Sator Conditorque Naturæ Opt. Max. DEUS.

Hoc duce ingrediemur Naturę Theatrum: & priuſquā *Communis Naturæ ſigna notaſque contemplemur*, *de tacitâ Corporis Animique conſenſione: & Conjectionum Externarum certitudine atque incertudine* paucula, pro ingreſſu Diſſertationis noſtræ, præfabimur.

CAP. II.

De Conſenſione Corporis & Animi ad denotandam Indolem.

MOmus electus à Diis Arbiter honorarius, ut ortam inter ipſos, de Opificiorum ſuorum dignitate, controverſiam juſtè ſapienterque diſceptaret; cum Hominem à Vulcano factum diligenter conſpicatus eſſet, Architectum tanti operis accuſavit, quod *pectus Feneſtratum* non feciſſet: ut *Indicia indolis in corpore.*

ſet: ut

ſet:ut eo recluſo ac patente, abditę mentis ſenſa cognoſcerentur. Momo Deorum maledico obtrectatori, *Socrates*, quis crederet? ſuffragatus, *Clatratum hominibus pectus* imprecatus eſt: ut deliteſcens intus cogitatio ad conſiderandum pateret. Et conqueritur *Theognis*, mentem hominis multis abſtruſam receſſibus latere, & poſitum in occulto cor nullis deprehendi veſtigiis poſſe. Momus quidem, pro ingenio ſuo, infamem maledicentiæ ſtringit dentem, deoſque petulanter lacerat: quorum aſſurgere ad faſtigium, & imitari operum præſtantiam nequit. Veſtræ verò, Sapientiſſimi homines, querelæ quam cauſam habent? An verò nulla ſeſe in humano Corpore Indicia proferunt, quæ abditos animorum ſenſus arguunt, & in conſpectu ponunt? Nulla in Verborum effatu, in præcoce Rationis uſu, in quotidianâ Munerum functione vitæque Studiis, in Ætatum gradu, in Sexus diſcrimine, in Corporis habitu impreſſæ ſunt Notæ: quæ latentem Naturæ affectionem produnt? Nullum ex Parentum moribus, ex Patriæ natalis indole, ex Aëris temperatione, ex Alimentorum uſu, ex Aſtrorum influxu deliteſcẽtis animi documentum ſumitur? Nihil reconditi ingenii Educatio & diſciplina puerilis aperit? Nihil in Fortunæ bonis, in ſomniorum ſpectris, in Geniorum adſpirantium afflatu eniteſcit, ex quo animi fun-

mi fun-

mi functiones, tum per Naturam adgeneratę; tum per Consuetudinem adscitæ contractæque præsentiantur?

Intuere autem omnes Humani corporis ductus & lineamenta, Membrorum figuram, Vultus speciem, oris habitum, capillorum colorem, cæcum te esse oporteat; nisi in illis expressam descriptamque intimę mentis imaginem animadvertas. An putandum est, illa in facie colorum pigmenta nullum sui usum prę-stare? Illam oculorum minacem amicamve aciem, nullum secreti sensus indicium referre? Illam serenæ turbidæve frontis tempestatem nullos depressi animi mores designare? Illam superciliorum remissionem contentionemve; illum plenæ infractæve vocis sonum; illam cutis asperitatem mollitiemve; speciem capillorum; temperiem cerebri & cordis; compositionem membrorum; conformationem lineamentorum; formam & figuram corporis universi nullam occultioris ingenii notam oculis subjicere? non reclusos in pectorum recessu sensus detegere? non retrusam abditamque interioribus penetralibus indolem in apertum protrahere? In quem igitur finem illam Corporis figuram vultusque exterioris speciem Natura efformavit? Quem usum habent illi lineamentorum ductus? ille varii oris adspectus? ille dissimilis membrorum habi-

Natura nihil facit frustra.

tus, & corporum conformatio diversa? Neque quemquã ego tàm de Naturâ sentire puto perversè, ut frustrà illam aliquid moliri, vanoque conatu operam perdere censeat. Nullum quidem est tàm abjectæ conditionis in terra animalculum; nulla tàm obscuræ lucis in cœlo stellula; nullus tàm minutæ frondis in prato flosculus, qui non certum sui usũ prȩstet; nedum ut in Principe rerum omnium Homine tàm varii habitus lineamenta vultuumque diversa species nullum, frustratâ Naturæ actione, finem intendat. Nihil temerè sapientissima Natura facit, nihil fortuitò, nihil frustrà! nullam non destinato fine actionem molitur. Nihil opifex DEVS in immensâ Mundani operis fabrica vacui fecit, nihil otiosi: minutissimis etiam & vilissimis corporis humani membris vim & functionem vitæ convenientem elargitus. Hoc divinæ Generationis libri loquuntur, hoc philosophorum effata inculcant, hoc diligens Naturæ contemplatio testatur.

Cognatio inter corpus & Animũ.

Tanta verò Corporis Animique est cognatio, tanta Morum Humorumque consensio & propinquitas, ut abditam Naturæ indolem externis utrinque indiciis prodant, & mutuam tacitæ affectionis imaginem, tamquã in speculo, sibi præstent. Ut enim ex Animi constitutione Morumque habitu certa de Humorum

morum temperie, & membrorum valetudine documentum petitur: ita corporis temperatio, qualis delitescat intus animus, quæ nata, aut assumpta morum subsit indoles, quid tacito promatur sub corde, arguit forasque effert. Ita visum fuit Naturæ matri, ut animis corpora conformaret, aptatisque ad illorum functionem membris, latentis ingenii indolem in externo corporis habitu adumbraret. Varia igitur corporis constitutio facultates moresque animi variat: qui membrorum conformationem, & temperamenti conditionem sequi plerumque solent. Neque verò insita solum & congenita; sed Adscititia etiam corporis indoles illam morum atque animi componendi vim habet. Clarum ejus rei in se ipso sibi Homo, si experiatur, habet documentũ. Si purum fuerit corpus, atque ab omni sordium inquinamento vacuum, si elaborato in laudabiles succos alimento, Spiritus defæcatus nullam ab illuvie aliqua noxam combiberit; ut suo officio corporis instrumenta inculpatè funguntur: ita animus impositum sibi munus alacriter obit. Syncera in moribus integritas, sedata in affectibus tranquillitas grata in vultu hilaritas, in sermone affabilitas, in omni actione rectitudo probitasque elucescit.

Compositum jus fasque animi, sanctique recessus Pers. Sat. 7.
Mentis, & excoctum generoso pectus honesto.

Sin aliqua ſubſit in corpore intemperies, imbutuſque ſorde ſpiritus labem contraxerit, perturbatæ mentis ſecuritas ad enormes ſtatim impetus concitatur. Ad faciles iras, ad acerba jurgia, ad prodigioſam ſeveritatem, ad triſtem morum aſperitatem homo deſciſcit, moroſus, querulus, pręfractus, durus, intractabilis. Neque aliter ac commota flabrorum violentia, excitata vehementius tempeſtate, in decumanos maria fluctus attollit, & littora inquietis procellis verberat: Ita conturbatis in corpore humoribus, ſpirituque æſtuante, vario animus impetu concutitur, jactatuſque huc illuc turbulentis affectuum procellis, non rarò dejectâ de clavo Ratione, in infames vitiorũ ſcopulos detorquetur. Hoc verò etiam tum contingit maximè: ſi aut vis humani corporis formatrix in membrorum confirmatione erraverit; aut materiæ vitio aliqua corpori labes ac deformitas à Naturâ imprimatur. Quæ ſi circa principem aliquam vitæ partem conſiſtat, cordique maximè ac cerebro mentis domicilio affinis ſit, magnum inde Ratio incommodum accipit, & vitioſis Animus affectibus imbuitur. Teſtantur id ſtudioſiſſimi Naturæ inveſtigatores: quorum princeps *Plato*, *Omnibus*, inquit, *Natura animantibus corpus dedit animi moribus & actionibus accommodatum*. Cui aſſenſus *Galenus*, *Animi mores corporis ſequi temperamentum* ſcribit.

Hoc

In monstroso corpore animus monstrosus.

Hoc ut desumpta ex Naturę mysteriis Ratio probat; ita locuples exemplorum evincit Experientia; quæ deformi membrorum specie prodi absconditam intus intemperiem, & in *monstrosi corporis domicilio monstrosum stabulari hospitem* testatur. Prodite nunc vos in medium *Longuriones, Pumiliones, Capitones, Cilones, Coclites, Strabones, Pæti, obstipi, Cernui, Nasones, Simones, Silones, Dentones, Buccones, Mentones, Bronci, Balbi, Blæsi, Muti, Gibbosi, Ventricosi, Manci, Claudi, Loripedes, Vari, Valgi, Vatij, Compernes, Plauti, Pansæ, Pedones, Attæ, Scauri, Scævolæ, Cossi, Depeges.* Et vos in conspectum venite *Galbæ, Chlori, Mauri, Arvinæ, Crassi, Pelargi, Cicerones, Platones, Burri, Nigri, Ruffi, Aquilij, Rutilij, Syllæ, Aenobarbi, Capellæ, Calvi, Contracti, Longimani, Scauri, Suræ, Flacci, Clavei, Tuditani, Falcones, Sedigiti, Thrauli.* Et vos accedite ex *Pilappiorum, Pitagonum, Margajatarum, Chicanorum* regionibus *Fauni, Satyri, Androgyni, Hippopodes, Sciopodes, Hymantipodes, Cyclopes, Centauri, Arimphæi, Pygmæi, Gigantes, Acephali, Cynocephali, Astomij, Fanesii, Anthropophagi:* & si quæ aliæ sunt in remotis marium Insulis portentosarum deformitatum copiæ abominabiles. O prodigia ominis inauspicati! O monstra in extremos *Morpionum* recessus, ad Bestiarum convictus & latibula, releganda! Quid moramur avertendis terroribus sacra piacularia facere, feriisque indictis

& lectiſterniis cōpoſitis, deos pacē expoſcere. Age, ad conſpectum prodigioſæ monſtroſitatis, vetus illud Græcorum, inter vota preceſque, accinamus: *Beatorum antiquiſſima ſanitas omni tempore tecum ſum.* Illa quidem, me tacente, mōſtroſorum corporum figura, vultuumque terrifica ſpecies, & membrorum cōformatio, quid intus monſtri alant, loquuntur. Scilicet turpes animi turpia incolūt corpora, raroque evenit, ut ſub ſpecioſi corporis tegmine deteſtabilis morũ improbitas deliteſcat. Dic enim mihi, ſodes, quis apud deformes *Pilappios*, turpeſque ad glacialem Arcti domum gentes, bonę rationis uſus deprehēditur? Quę apud Septentrionales Americę *Avanares, Albredos, Catuacates, Tagiles, Apalchemos, Mocoſas, Capaſchos, Chilagas*, alioſq;, adumbratæ humanitatis extant veſtigia? Quæ in priſcis prodigæ & prodigioſæ
Grãditas corporum deformis. ſtaturæ Gigãtibus virtutis fuit indoles? Quàm in vaſtis corporibus vaſti ab omni modeſtiâ ac pietate erant animi? Quanta ſcelerum exercitatio, violentia, rabies? Docet hoc inſana cœlorum oppugnatio, congeſtiſq; montibus cō-
Nat. com. mythol. l. 6. ſerta cum ſuperis bella. Probat *Typhœi* in principem deorum impietas, quem ille captum, manuum ac pedum nervis graviter vulneratũ in Cilicia carceribus mancipavit: nunquā fortaſſis inde emerſum, niſi frater *Mercurius* ſingulari æſtu liberatum in priſtinæ dignitatis ſani-

tatiſque

tatiſque poſſeſſionẽ reſtituiſſet. Evincit *Bria-* Virg. 10. Æn.
reus, fraterque illius *Gyges* centimani, *Tityus*, *En-* Virg 2. & 6. Æn.
celadus, *Porphyrion*, *Adamaſtus*, *Ceus*, *Oromedon*, *A-*
lous, *Ariſtæus*; *Antæus*, *Polyphemus*, & cætera Gigan-
tum ſoboles: qui ut corporum; ita ſcelerum e-
normi magnitudine omnes ſui ævi mortales
exceſſerunt. Sed quid Poëtarum perſequor fa-
bulas; qui ſub fictis monſtroſorum corporum
tegmentis reconditam improbitatis indolem
delinearũt? Sacrę literę, primo recentis Mũdi Gen 6.4.
ævo, ex vulgatis piorum impiorumque nuptiis
natos homines aſſerunt; qui ſub immani cor-
porum mole truces barbaræ feritatis inſolen-
tiæque animos gerebant. Ex illis oriundi apud
Amorræos *Enaquini*; apud Moabitas *Emimi*; Num. 13.
apud Ammonitas *Zamzumes*, quam præfracti Deut. 2.
fuerunt DEI piorumque hoſtes? quàm profani
idolorum cultores? quæ ab illorũ corporibus
turpitudo; quæ à manibus vis; quod à ſcelera-
tiſſimis illorũ factis flagitiũ abfuit. Horum de
poſteritate extremus, *Baſanæ Rex Ogus*, ferreo Deut. 3. 11.
novem cubitorũ uſus lecto, prodigioſo furore
atque effrȩnatâ audaciâ formidabilem Iſraëli-
tis aciem oppoſuit, Eadem & corporis mole,
& animi indole *Goliathus Palæſtinus* illa tetra im- 1. Sam. 17. 23.
maniſq; bellua, in præliũ adverſus Iſraëlitas e-
greſſus, lacerato nefariis cõtumeliis DEO, bo-
norũ omniũ necem, & Religionis everſionẽ
eructabat. Quẽ mẽbrorũ immani granditate,

2. Sam. 21.15. & morum immanitate *Iesbibenobus* trecento-
2. Sam. 21.18. rum ſiclorum cuſpidem vibrans; *Saphus* à Sobochæo Davidis milite ad Nobam interfe-
1. Paral. 20.6. ctus; *Gethæus Gigas*, præter ſex cubitorum proceritatem, ſenis manuum pedumque digitis elatus, adæquarunt.

Gibbus. *Struma* tergi, *Gibbuſque* pectoris tumor & extantia, affine cordi vitium, ut vitæ fontem ac principium depravat; ita animo plerumque malignitatem impertit: ſi non caſu fortuito acceptum; ſed à naturâ ingeneratum fuerit. Ideoque *Leo Byzantinus*, cum *Paſiades* gibberus
Plut. de util. ex inimicis. valetudinem illi oculorum objiceret, *Humanum*, inquit, *vitium infligis mihi*, *qui dorſo portas Nemeſin*. Et *Cicero* ſtrumæ gibbive nomine, ſce-
2. Epiſt. Attic. lerum turpitudinem deſignat; *cum Vatinij ſtrumam Sacerdotij dipapho veſtitam dicit*.

Sed tu quoque

Martial. *Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſce,*
Rem magnam præſtas, Zoile, Si bonus es.

Luſciaſitas. Oculorum enim detorta in obliquum acies, cæcitas, luſcioſitas, vitioſitas luminum naturalis, delinquente circa Cerebrum Naturâ, menti ſæpè ac rationi vitium offert, ut in obliquum deflexa deliret, minuſque probè munere ſuo defungatur. Hoc oculorum in aliis vi-
Lamprid. tio delectatus videtur *Heliogabalus*; qui convo-
Laert. l. 9. c. 12. catis ſæpè undiquaque luſcioſis convivium apparabat. *Timon* verò *Nicæus*, cum luſcus eſſet,

& diſci-

& discipulum *Dioscoridem* luscum apud se haberet, in se ipsum sæpè ludebat; ridens, *quod duo homines duos tantum oculos haberent.* Idem *Antigonus* Macedoniæ Rex fecit; qui in oculi sui jocatus cladem, cum prægrandibus scriptum literis instrumentũ illi afferretur, ταῦτα μὲν καὶ τυφλᾶ δῆλα, inquit. Qui tamen alias intempestivo *Theocriti* scommate irritatus cum interfecit; cum ille ad conspectum oculosque Regis, ut certam salutis spem, confugere jussus, *Nulla igitur*, diceret, *mihi salutis spes est; quando oculos Rex non habet: quibus intueri me possit.* Salsè ac ridiculè illam oculorum deformitatem in *Philænide* arguit Poëta: Macrob. l.7.c.3. Plut. l.2. Conviv. q.1.

Quàm sit lusca Philænis indecenter, Martial Epigr. l. 12.
Vis dicam breviter tibi, Fabulle?
Esset cœca decentior Philænis.

Neque in *Læliâ* facetè minus.

Dentibus atque comis, nec te pudet, uteris emptis: Epigr. l. 12.
Quid facies oculo, Lælia? non emitur.

Solet enim hoc corporis vitium concitare in se dentatos dicacium hominum Sales; quod horum aliquos, nulla ad virtutem institutione confirmatos, impostores, subdolos, versipilles sint experti. Talis fuit *Thersites*, qui ut oculorum lumine luscus, & toto corporis habitu deformis erat; ita imbutum omnibus nequitiis animum circumferebat. Cæteris, qui hoc oculorum vitium aut naturæ, aut fortunæ Hom. Il. β.

In vita Codri. delicto contraxerunt, cum *Codro Grammatico* ad mordaces dicacium facetias respondere licet: qui corporis objicienti deformitatem, *Non mihi*, inquit, *mei corporis nævum; sed ipsi rerum omniũ fabricatori Deo impingis: quando nobis omnia ad ipsius arbitrium ab illo collata sunt: quæ si ex nostro penderẽt voto, nihil utique esset, quod in nobis desideraremus.* Optimam quidem formam parat sibi homo ipsi; non parit natura: quæ nobiscum est in senio, in grabatulo, in feretro, in sepulchro: non carpta ætatis spatio, non imminuta morbis, non abolita morte.

Nervosarum partium affectio. Oculorum vitio proxima est *nervosarum & musculosarum partium* depravatio; quæ ad obscœnas facitias, & inurbanos sales, jocosque plus nimio acuminatos & mordaces propensionem multis adgeneravit. Ideoque surdi mutique, quique hæsitante linguâ balbutiunt, aut blæso vocis sono ægrè luctantem sermonem expediunt, non ab omni prorsus animi vitio sunt immunes.

Claudicatio. Reliqua Naturæ errata, quæ remotioribus à vitæ fonte membris accidunt, ut primarias partes minus afficiunt, ita culpari magnopere non merentur. Claudicatio tamen cavillantium sæpè dicteriis vexatur, ut claudicare ingenio ac fide dicatur, qui claudicante pede vacillat. Arguit hoc in claudo Palladas. *Epigr. 2.*

Χωλὸν

Χωλὸν ἔχεις τ̃ νοῦν ὡς τ̃ πόδα, καὶ γὰρ ἀληθῶς
Εἰκόνα τ̃ ἔντος σοὶ φύσις ἐκτὸς ἔχει. *Eras. in Adag.*

Perdicis quoque loripedis tibia, in fœdæ notam turpitudinis, veterum convitiis lacerata fuit. Et in promptu sæpè fuit claudis responsio, quam in obtrectatores retorquebant. Ex illis *Dæmonides* pædotriba, cùm furto crepidas *Plut. de aud. poetis.* amisisset, imprecatus est, ut illæ furis maximè pedibus convenirent. *Androclidas* verò Lacon, *Plut. in Lacon.* cum debilis crure militiæ dare nomen vellet, & quod parùm bello utilis videbatur, domum redire juberetur, *Ego quidem*, inquit, *in acie, non de fugâ cogitabo, sed de prælio.* Ideoque *Lacæna* ma- *Ibid.* ter filium claudum in bellum ablegans, *Fili*, dicebat, *per singulos gradus virtutis memento.* Hoc *Philippo* patri de coxæ debilioris incommodo tristi, *Alexander* filius acclamabat: *Confide pa- Plut. de Alex. fort. ter, ac prodi in apertum*, ἵνα τῆς ἀρετῆς κατὰ βῆμα μνημονεύῃς. In eandem sententiam *Horatius Cocles*, *Cælius l. 14. c. 5.* quum ei cruris vitium objiceretur, *Per singulos*, inquit, *gradus admoneor triumphi mei.* Meritò *Cocles* gloriosam sibi ex patriæ, adversus insultantem Hetruscorum vim, defensione calamitatē ostētabat. Nō illâ honestandū est dignitate Naturæ errantis vestigium; cum mutilati deminutiq; ac mulcato, ut *Taciti* utar verbo, corpore, divina profanaq; lege sacris arcerētur. Apud ethnicos nō integri corporis sacerdos pessimi ominis res habebatur. Quod cū in victi-

mis

S. Dionyſ. Hal. antiq. l. 2. — *Plin. l. 7.* — *Livius.* — *Egeſipp. excid. Iud. l. 1.*

mis vetaretur, quantò minus in ſacrorum prę- ſide tolerari debebat? Igitur *Romulus*, adjecto ſacris ordinandis animo, Sacerdotes legit & genere excellentes, & virtute præſtantes, & opibus locupletes, & corpore benè conſtitutos. Quod ita ſervatum religiosè apud poſteros fuit, ut *M. Sergius*, cum de rebus ſtrenuè à ſe geſtis, orationem habuiſſet, ut debilis mutiluſque, à ſacrorum munerum curatione rejiceretur. Neque ipſi quidem *Metello*, cum ex flagrãtis Veſtę flammis Palladio erepto oculos perdidiſſet, ſacerdotium fuit relictũ. Quod Metello fortuitus ignis; hoc *Hyrcano Antigoni* malignitas Sacerdotium abſtulit. *Antigonus* enim veritus, ne, mutatis aliquando rebus, ad ſacram functionem reditus *Hyrcano* pateret, facto in illum impetu, mordicus ipſi aures præſcidit. Scilicet, quod proverbio circumfertur, ut *ſibi caveat quiſque à Signatis*; hoc in ſacrorum adminiſtratione curari maximè debebat: quorum præſides, ut nullum improbitatis; ita neque naturæ delinquentis notam referre decet. Eſt enim quotidiano uſu atque experientiâ compertum, ut ſub adgenita defœdati turpiter corporis nota, improbę nequitiarum artes, ſæpè deliteſcunt: niſi educatio religioque impreſſam animis labem extergat.

Corporis animiq; deformitas.

In quam improbitatis ſuſpicionem omnis corporis deformitas Vultuſque indecentia

tacito

tacito hominum judicio vocari ſolet. Tantam namque animi corporiſque natura fecit conſenſionem, ut de interna conſtitutione mutuum ſibi indicium præſtent, & turpificati animi fœditas ac depravatio tetram plerumque deformati corporis ſpeciem comitetur, raroque conſpicua vultus dignitate deteſtabilis morum improbitas obveletur. Contuêre mihi, ſi dubitas, illam πιθηκομόρφȣ *Therſitis*, ab Homero depictam ingenii penicillo imaginem. Turgent follicatæ buccæ; fluunt, Gallicani inſtar canis, diſtorta labia; ſurgit in turbinatum ovi mucronem caput; torquetur in obliquum luſcioſa oculorum acies; tetrici oris habitu, torvo Morpionis vultu, claudicante gradu, enormi corporis totius conformatione, non ab hominibus; ſed à Simiis, aut Furiis potius infernalibus oriundus videtur. Tàm turpi corpore turpiſſimam Natura animam circumveſtivit; quæ nequiſſimis imbuta moribus, ad effrenem loquacitatem, ad ſcurrilem maledicentiam, ad nefandam maximarum virtutum criminationem linguam concitabat. Adſpice mancipem illum *Helium*, prædonem ſectoremque Romanorum turpiſſimum. Qui qualem corporis habuerit formam, *C. Iulius* expreſſit; cum, conjecto digito in Mariani ſcuti depictum Gallum, nodis diſtortum, ejecta lingua, buccis fluentibus,

Iliad β.

Eraſ. l. 6. Auph.

Illi

Illi simillimus est Helius, diceret. Helium corpo-
Idem. ris morumque fœditate *Corytheus* ille retulit, qui proverbio locum fecit; ut bardus aliquis & deformis Κορύθεος εἰδεχθέστερος nuncupetur.
Mart. l. 3 Quis non conspectâ *Vetustinâ* Martialis malè ominetur? ubi apparuerint tres illius dentes, tres capilli, pectus cicadæ, crus formidæ, rugosa frons, mammæ aranearum cassibus pares, os rictibus crocodili simile, cantus ranarum & culicum, visus noctuæ, fœtor hirci, atque aliæ corporis notæ, quæ deformem nimis adspectum habent. Aut improbi oris morisq; meretriculâ Phileni? de quâ idem poëta.

Mart. l. 2. *Cur non basio te Phileni? calva es.*
Cur non basio te Phileni? ruffa es.
Cur non basio te Phileni? lusca es.

Tacitus. Aut *Pisone*; qui cum & vultum deformem haberet, & animum scelerum sordibus contaminatum gereret, *Cyclopis* nomen meruit. Sed quis ille est staturâ corporis eminente, lurido colore, enormi membrorum conformatione, gracili cervice tibiisque, concavis oculis & tẽporibus, latâ fronte ac torvâ, capillo raro, vertice glabro, cute reliquâ hirsutâ, vultu in om-
Sueton. nem terrorem ac formidinẽ composito? *Cajus est Caligula*; in quo quidem omnia redundant vitia, quæ aut in scurra infami reprehendi, aut in perdito nebulone publicis legibus damnari possunt: ingurgitatus in omnia flagitia, vo-

lutatus

lutatus in turpitudinum dedecore, inſignitus nefariarum fœditatum notâ. Cavete ne ex editiore loco in verticem illius proſpiciatis, aut quacunque de causâ *Capram* nominetis; niſi in vincula duci, & capitalis delicti damnari velitis. In eâdem honoris ſede, ſimili rerum humanarum opprobrio, ſedit aliquando, prô pudor! *VVenceſlaus* ille Imp. cujus ut corpus omnium deformitatum maculis fuit turpificatum; ita animus profuſarum libidinum fœditate contaminatus: ut non ad Reip. curam; ſed ad helluationes, ad luxuriam, ad explenda fœdiſſimarum voluptatum deſideria natus eſſe videretur. Audite memorabilem, non dicam hominis, ſed pecudis vocem. Accepto de arcis ſuæ conflagratione nuncio, cum vinariam cellam incolumem audiret, *Ardeat*, inquit, *vel denuò arx, totaque in cineres concidat; dum nulla Rhenano pernicies afferatur*. Ita teſte Experientiâ verum eſſe convincitur, quod *Pythagoras* dicit; *Diſtorto in corpore, anima diſtorta & nequam habitat*. *Cuſpinianus.*

Tu nunc in medium prodi *pulchri corporis grata virtus*, & quantopere ſpecioſo illo Gratiarum cõtubernio delecteris, oſtende. Tale Regiæ magnitudinis domicilium aliquando tibi *Saulus* dedit; qui cum ſpecioſa corporis dignitate Iſraëlitas omnes præcelleret, *Videtis*, inquit Samuel, *quem ſuo populo Regem* DEVS *Corporis animique pulchritudo.* *1. Sam. 10.24.*

præfe-

præfecerit: regium ſplendorem virtutemque ex conſpicuę pulchritudinis forma ęſtimans. Ta-
Gen. 39. le *Ioſephus Iacobi* F. qui ob formæ venuſtatem in ſtupri illectus conſuetudinem tanta fuit indole virtutis, ut nullis heræ corruptelis, nulla florentiſſimæ ætatis illecebra, nullo melioris fortunæ commodo, ad ponenda libidinis herili in thoro veſtigia impelleretur. Tale
Cyropæd. *Cyrus*; qui, *Xenophontis* judicio, ut formæ, ita virtutis ſpecie inter omnes ſui ævi mortales eminebat: manu conſilioque promptus, animo elatus: ab avaritia, à faſtu, à ſævitia alienus: non pecuniam, ſed amicos ſuos eſſe the-
Ælian l. 12. ſauros dictitans. Tale *Alexander Philippi* F. qui in vultu habituque corporis externo magnitudinis ſuæ notas circumtulit, quibus ſingularem ſibi apud alios cultum ac venerationem adſtruebat. Ab illo victus armis Indorum Rex
Suidas Curtius. *Porus* neque animi magnitudine, neque corporis pulchritudine ipſi ceſſit: quod ipſe victor Macedo confeſſus eſt, cum eminentem in acie conſpicatus hoſtem, *Tandem*, diceret, *dignum Alexandro periculum.* Illam etiam ſibi
Plut. in Demet. laudem *Demetrius ille Poliorcetes* Antigoni F. vēdicavit, tàm ſingulari formæ venuſtate, ut neque fingi, neque pingi à quoquā illius imago poſſet. Sub illo pulcherrimi corporis ornatu mira morum erat dexteritas, ut temperata ſingulari humanitate gravitas venerabilem

pariter

pariter & gratioſum hominibus præſtaret. Principem in hoc Gratiarum cœtu *Scipio Africanus*, locum meretur; qui an ob formæ dignitatem, an morum ſanctitatem majori Hiſpanis admirationi fuerit, in incerto eſt. A quo neque *Auguſtus* ille terrarum orbis dominator excludendus eſt, tàm venuſtâ per omnes ætatis gradus formâ, tam vigoris divini oculis, tàm ſereno vultu; ut Galliarum quidam Princeps eo inhibitum confeſſus inter ſuos fuerit, quo minus eum in Alpium tranſitu, ut deſtinarat, in præcipitium propelleret. Non fraudandi ſunt honore iſto Germanici ſanguinis Principes; quorum primus maximuſque *Carolus* M. dignam ſummi Imperii faſtigio corporis ſpeciem habuit: cui eximiarum virtutum adjunctæ dotes meritiſſimum illi Magni cognomen dederunt. Laudatur in *Henrico* I. ſumma gerendarum rerum dexteritas & prudentia; in *Conrado* Henrici IV. F. admirabilis regiarum virtutum ſplendor; in *Rudolpho* I. mirifica cibi potuſque temperantia; in *Sigiſmundo* excellens in ſummâ fortunâ humanitas; in *Maximiliano* I. inſignis plurimarum rerum ſciētia, atque animi in tolerandis adverſitatibus fortitudo. At in ſingulis tanta fuit corporis dignitas, tanta formæ venuſtas atque elegantia, ut in maximo Principum cœtu aut tenere, aut mereri Cæſarei honoris apicem, à peregrinis

Plutar. in Scip.

Sueton.

Crantz. Sax. l. 2. c. 7.

Cuſpin.

Hedio in Chron.

Cuſpin.

Idem.

etiam & ignotis, dicerentur. Dum repeto clarissimorum Principum nomina, ad tui memoriam *Friderice Barbarossa* obstupesco, indignorque quod regia vultus tui majestas, & egregia speciosissimarum virtutum dignitas te ab injurioso Capitolini Monstri pede, pedove, vindicare non potuerit.

Hedio in Chron. 5.

In hac formæ virtutisque societate mutuaque necessitudine suffragantur nobis suæ authoritatis calculo Poëtæ: quorum Homerus *Hectorem* & *Achillem* Heroum præstantissimos decori vultus specie venustissimos facit: ut veram & virilem pulchritudinem cũ actionum bonitate jungi plerumque significaret. Apud quem *Priamus* de specula in Græcorum exercitu virum excellenti corporis forma; qui *Agamemnon* erat conspicatus, accersita Helena, his pulchritudinem illius laudibus attollit.

Iliad. γ.

Ὅς τις ὅδ' ἐστὶν Ἀχαιὸς ἀνὴρ
Καλὸν οὕτω ἐγὼν οὔπω ἴδον ὀφθαλμοῖσιν,
οὐδ' οὕτω γεραρὸν, βασιλῆι γὰρ ἀνδρὶ ἔοικεν.

Philosophi pulchri.

Cujus exemplo Virgilius *Turnum* ac *Aeneam* à singulari formæ pulchritudine commendat. Et ne quis opinetur, regias tantum Principum virorum virtutes splendidè habitare, Eruditio etiã & sapiẽtia in amœnum plerũq; hospitium divertit. Quod adeò quidẽ verũ est ut *Socrates* distorto corpore homines ad philosophię studia ineptos dicat, neminẽq;, unquã in discipli-

nam

nam acceperit, quàm inſpecto adoleſcente ex formæ habitu judicaret; an percipiendis bonarum artium diſciplinis conveniret. Quod *Pythagoræ* etiam fuit inſtitutum, ut admiſſurus aliquem in diſciplinam, ex corporis habitu naturam illius ac ingenium prius exploraret. Ipſe verò tanta corporis fuit pulchritudine, ut *Laert.* illum diſcipuli opinarentur Apollinem eſſe, qui ex Hyperboreis veniſſet. O quàm felici ſucceſſu bonarum artium ſtudia in ſcholis tractarentur, ſi tam præclarè magnificeque de præceptoribus ſuis diſcipuli ſentirent? Neque enim aliud majus eſt docenti adminiculum, quàm ſi ſanctam virtutis atque ingenii exiſtimationem apud pubem præceptor ſibi pararit: qua offenſa perditaque in magno ſui contemptu irrito laborat conatu. Quanta in *Idem l. 5.* *Demetrio Phaleræo* formæ fuit præſtantia; quem conſpectum meretricula χαριτοβλέφαρον appellavit? Quanta in *Nicolao Damaſceno*; à cujus nomine *Suidas.* Auguſtus pulcherrimos palmarum balanos *Nicolaos* vocavit?

Mulierum præcipuum eſt ſtudium & gloriatio in venuſta gratioſi vultus ſpecie atque elegantia: quæ gratiſſimum ſæpenumero virtuti domicilium præbuit. *Mulieres ſpecioſæ.* Tàm ſpecioſè eleganterque fœmineo in corpore habitantis virtutis illuſtre præbuit ſpecimen Abrahami uxor *Sara*: cujus eximia pulchritudo duorum *Gen. 12. Gen. 20.*

Regum amores inflammavit; pietas ac fides æterno famæ præconio immortalitati conſe-
Gen.26. cravit. Quantam tu *Sara* Abrahamo marito; tantam filio tuo Rebecca nurus formæ virtutiſque dotem attulit, quam *Iſaacus* ob virtutis præcellentiam uxorem duxit; ob formæ ſpeciem, ne à Palæſtinis raperetur, ſororem dixit.
Iuditha 18. Tua verò *Iuditha* pulchritudo, quàm Bethulienſi populo ſalutaris fuit, cum capto illius illecebrâ *Oloferne*, regiarum copiarum duce, patriam obſidione, cives tuos deſtinato exitio, te hoſtili opprobrio liberares? Et tua exulanti
Eſth. 2. Iſraëlitarum Genti *Eſthera*; cum ob corporis virtutumque eximias dotes Perſarum Regis Artaxerxis conjugio devincta, immanem popularium tuorum cædem caveres? Neque ſanè in tenui virtutis formæque æſtimatione
1.Reg. 1. 3. 4. *Abiſaga Sunamitis* fuit; cùm Iſraëlitidum omnium ſpecioſiſſima haberetur, qui confectum Senio Regem, dum injectu veſtium caleſcere non poſſet, ſuo complexu foveret. Apud Gẽtiles etiam homines illud virtutis & ſpecioſi-
Homerus. tatis contubernium in *Penelopâ* laudem meretur.

Ἀρτέμιδι ἰκέλη, ἢ δὲ χρυσέῃ Ἀφροδίτῃ.

Et in *Lucretiâ*; cujus formam & caſtitatem, cũ
Ælian. l. 12. ſempiternâ nominis gloriâ, Romani ſuis monumentis inſeruerunt. In hanc tantæ laudis ſocietatem admittenda eſt *Aſpaſia*, quæ plebei &

pere-

peregrini generis filia, ob corporis animique dotes, in Regium Persarum thalamum recepta fuit. Neque suo fraudanda est decore *Sisigambis*, Darii uxor, nulli suæ ætatis fœminæ pulchritudinis laude inferior; & *Zenobia* Palmyreorum Regina; & *Andromache* Hectoris; & *Hecuba* Priami; & centum aliæ, quas venusti corporis elegãtia Regum principumque magnorum conjugiis illigavit; morum probitas animique magnitudo magna in omnem posteritatis memoriam gloria nobilitavit.

Curtius. *Sabill. l. 7. En. 7.*

Miramur autem Hominem divinæ mentis simulacrum ac imaginem impressa cœlitus cognoscendæ indolis vestigia in externo corporis habitu circumferre; si brutis animantibus, si herbis atque plantis certas natura notas addidit, ex quibus illarum præstantia pravitasve conjiciatur? Equi generosam indolem virtutemque arguit caput exiguum & macilentum; cervix ardua & flexibilis profusaque jubarum pullitie comata; os amplum lacerumque & glomeratis frœnis spumam ejiciens; oculi prominentes atque alacres; arrectæ micantesque aures; patulæ nares; grandes rectique armi; substrictus venter; carnosæ clunes; numerosum toris pectus; color puniceus, badius, ruffeus, mureus, cervius, scutulatus, guttatus, niger, præssus: si altius ingressus mollia reponat crura; si fluvios minaces tranare; si

Signa brutorũ.

ignoto ſeſe ponto committere; ſi ſtrepitũ omnem contemnere audeat. In Bove vaccave cõmendatur quadrata beneque compacta integrorum membrorum ſtructura; longum, amplum, denſumq; & benè coſtatum corpus; nigricantia cornua; lata fronte oculi magni nigrique; piloſæ atque hirtæ aures; cõpreſſæ ſubſimæve malæ; gibberi ſpina leviter remiſſa; apertæ nares; ſubnigra labra; toroſa cervix; promiſſis ad genua palearibus, lati humeri, capax uterus; nervoſa, & deprimente corporis mole breviora crura; eminula genua; denſus ac brevis toto corpore pilus, cauda ſetoſa & ad terrã propendens. In cane probãtur pendulæ aures, fulgidi oculi; nigrum roſtrum, naribus repãdis ac retuſis; magnum caput; toroſum pectus; inanis venter; breve compactumque corpus; rotundi agileſque pedes; carnoſæ clunes; levis cauda nullaque põderis & pilorum mole oneroſa. Gallinacei pretium eſt ſtatus corporis erectus, ſublime caput, excelſæ criſtę roſeo perfuſę colore, rari nigricanteſve oculi, aduncum ac breve roſtrum, magnæ ac candidę aures, reſplendentes ex alto ac rutilo paleæ, jubæ vel ex aureo colore flaveſcentes, vel ex viridi reluceſcentes, per collum cervicẽque in humeros diffuſę; muſculoſum pectus, robuſti lacerti, plenę proceræque alæ, femina & clunes frequentibus plumis hirtę, robuſta crura infeſtis ſudibus nocen-

nocẽter armata, cauda duplici ordine prominentibus utrinque pennis falcata. Oves ad ſobolem generandam eliguntur, quæ corpore ſunt amplo, lana molli, ventre piloſo. Piſcem empturi patriam ejus natalem inquirimus, colorem ſpectamus, corporis univerſi habitum conſideramus. Arborem plãtaturi generis nobilitatem ſciſcitamur, teretem trunci rectitudinem, libri integritatem, nodorum niteſcente ſurculo crebritatem ſpeculamur. Hominis verò indolẽ nullis veſtigiis perſequamur? nullis indiciis ad penetrales animi ſeceſſus aditum inveniamus? nihil vultus, quem indicem atque imaginem latẽtis animi ſapientes dicunt ſignificaret? nullum divina humani corporis ſtructura morum latẽtium documentũ prȩberet? Cur igitur *Spartani* natos recenter in lucem Infantes curioſè tractarũt, & inſigni turpitudinis nota deformatos, externis ſignis prodita improbitatis indole, præcipitio necarũt? Cur Leges Civiles, in arguẽdo ſuſpicionis crimine, illũ tormentis primò ſubjiciũt, qui corpore deformis latentẽ nequitiæ indolẽ tacitis indiciis exprimit. Cur apud Indos Gymnoſophiſtæ, in Nili inſulâ Meroënſes, alii alibi, in eligẽdis Regibus, nõ generis nobilitatẽ, non opum amplitudinem, nõ animorum uſum & potentiã, ſed eximiam oris dignitatem, & decoram membrorum omnium conformationem ſpectarunt?

Plut. in Lyſ.

Franciſcus Val. philoſ. ſacr. c. 32.

Macrob. Saturn.

runt? Cur ſapientiſſimi homines ex inſpecta corporis figura felicem ſæpè de animi affectione conjecturam fecerunt. Id quod plena Exemplorum vetuſtas comprobavit.

CAP. III.

De Morum ex ſpecie corporis Conjectione certâ & incertâ.

MAgnæ, fateor, humanæ mentis ſunt latebrę, magni receſſus: in quibus illa deliteſcens quaſi velis quibuſdam & umbraculis obtegitur, vix ſpecularibus Lamiæ oculis, & ſtellato multis luminibus Argo cognoſcenda. Infami nequitiæ velum ſæpè devotæ ſanctitatis prætenditur. Virtutem frequenter oculi mentiuntur.

Iuven. *Et Curios ſimulant, qui Bacchanalia vivunt.*

Ut argentum puro candicans nitore, lineas tamen, ſicut ſtannum, ducit nigras: Ita alia multorum eſt ſpecies, alia indoles, turpi ſimulationum illita pigmento. Neque tamen diuturno fallit mendacio improbitas, deterſo fuco obſcœnam fœditatem in conſpectu ponens: ut ceruſſata meretricum facies, deflor eſcente pigmento, pudendas fœdi oris mariſcas oſtendit. Atque ut ſe obtegere ſuis velit involucris ſecretus à luce communi Animus: certę tamen plerunque notæ atque indicia offeruntur, quæ in magnâ latentem obſcuritate aperiunt, erutumque ex latebris evolvunt, & ante

Simulatio non diuturna.

omnium

omnium oculos ponunt. Sunt enim multa in Verbis, in Actionibus, in Sexu atque Ætate, in Patriæ ſanguiniſque natalis ſpiritu, in Adgenitis adſcitiſque, in Fortunæ Induſtriæque bonis veſtigia: quæ ſecretam morum indolem patefaciunt atque evulgant. Quę quidem tàm in Vultu ſunt manifeſta, ut illum *animi januam* Tullius dicat; quæ abditam & retruſam pandat voluntatem. Ut enim in fidibus nervi ita ſonant, ut à digitis ſunt pulſi: ita ſequitur plerumque animi motum vultus, non alio facilè viſendus habitu; quàm qui ab illo ſit impreſſus. Quo indicio *Cainum* DEVS, de conceptâ in fratrem indignatione, arguit, concidente vultu ægritudinem invidiæ profitentem.

De petit. conſ.

Gen. 4.6.

Phyſio-gnomones felices.

Plut. Alcib.

Excelluere in hac Divinandi ſagacitate *Pythagoras*, & *Socrates*: quorum ille neminem in diſciplinam admiſit: niſi ante diligenter ex toto corporis habitu naturam ejus & ingenium exploraſſet; iſte *Alcibiadem* ad ſummũ honoris gradum conſurrecturum, ſumpto ex vultu atque aliunde documento, prænunciavit. Quæ corporis lineamenta *Zeno Citiæus* in adoleſcẽte aliquo intuitus, *Animi tui veſtigia*, inquit, *ſatis mihi explorata ſunt*: laſciviam oculorum proditam indiciis ſignificans. Et in alio *Diogenes*; cum ſuum ferre de moribus judicium rogaretur; *Arcas eſt*, reſpondit: ſtupidum hominis ingenium perſtringens. In *Strephiade* non adeò

Laert. l. 7.c.1.

Eraſ. Apoph. l. 8.

mirum eſt, quod filii ex ſe geniti impudentiam ex vultus habitu cognoſceret: quem ex ſchola redeuntem Ἀττικὸν βλέπος præ ſe ferre dicebat.

Ariſtoph. in Nubibus.

Quod teneræ quoque Iuventutis præceptoribus non uſque adeò arduum atque proclive eſt: quam dum illi bonis diſciplinis formant, & ſolicita cura ad dicendi agendique decentiam inſtituunt, ipſa virtutum & vitiorum elementa atque incunabula, certo indolis experimento, præcognoſcunt, ſolique penè rectum de procurſu ætatis judicium ferunt. Quam dum in *Themiſtocle* indolem præceptor illius proſpiceret, *Tu*, inquit, *fili*, *nihil mediocre erit; ſed omninò vel magnum patriæ lumen, vel magna peſtis*. Et *Theodorus Gadareus*, Tiberii Cæſaris in Eloquentia præceptor, ingenii ſtuporem & ſævitiam in adoleſcente animadvertens, *Lutum ſanguine maceratum*, inter objurgandum, appellavit: ut malignos illius mores & ingenii tarditatem notaret. Quam cùm in diſcipulo quodam ſuo opulento delicateque veſtito *Zeno* exploraſſet, primò illum ſordido ſcholæ ſuæ loco ſedere juſſit, ut togã inquinaret: deinde mendicis appoſuit, ut illorum fœdatus ſordibus frequentandi præceptoris nauſeum colligeret. Sed neque *Tymo* quidem ille μισάνθρωπος in conjicienda morum indole falſus fuit. Hoſtile homo in

Plut. in Them.

Sueton.

Laert. l. 7

Plut. in Alcib.

mo in homines omnes conceperat odium, nulli in occursu blandus, nulli alloquio familiaris. Solum in *Alcibiadem* puerum gratiâ propendebat: quem unum in publico comiter excipere, caput demulcere, osculari, amplecti, in oculis ferre. Rogatus aliquando, unde illa comitas in solum Alcibiadem, aliis inhumano odio rejectis? *Quia video*, inquit, *fore, ut hic adultus sit patriæ exitio futurus*. Non decepit sua *Syllam* de *Cæsare* cõjectura: pro quo cum *Cotta* deprecaretur, ne insonti puero manus afferrentur, *Nihil quidem vos mentis habetis*, Sylla inquit, *Si non illi puero multos videtis Marios inesse*. Ut Cæsaris indolem Sylla; ita Syllæ, ex animi corporisque habitu, ille in Parthorum comitatu *Chalcidensis* investigavit. Intuitus namque diu multumque Syllam, *Equidem*, dicebat; *summis hic aliquãdo in Rep. suâ vir erit, miror que quod id ætatis nondum principem teneat locum*. Quâ ingenii perspicacitate *Cæsar*, ex tacitis naturæ indiciis, suos percussores designavit. Cùm enim delatum ad ipsum esset, *Antonium* & *Dolabellam* res contra ipsum novas moliri: negavit crassos illos & comatos sibi metuendos; sed pallidos & macilẽtos, *Caßium* & *Brutum* designans. Quid tàm esset obscurũ ac cæcum, quod *Cato* divinæ mentis acie penetrare & in lucem proferre non posset? Quam in P. *Scipionem* juvenem intendens, illud de Tiresiâ Homeri usurpavit.

Sueton.

Plut. in Syl.

Plut. in Cæsare.

Plut. in Cat.

Οἶος

Odyss. κ Οἶος πέπνυται, τοὶ δ' ὡς σκιαὶ ἀΐσσουσι.

Talem senex *Scipio*, de adolescente *Mario*, ab- *Plut. in Mario.* ditæ indolis sequutus vestigia, combiberat opinionem. Interrogatus aliquando in convivio *Scipio*, *Quem post ipsum Roma magni nominis ac virtutis principem habitura esset?* Marii, qui ipsi proximè stabat, humero leviter percusso, *Hûc fortaßis*, inquit. Ut Cato ac Scipio conspicuam heroicæ virtutis ita *Theodosius Patriarcha* mali- *Nicetas.* gnitatis indolem in *Andronico Imp.* præsagivit: cujus observato accuratius habitu, adspectu torvo, incessu superbo, staturâ Gigantæâ, arrectis superciliis, severitate & tristitiâ indesinente, perspectis animi moribus, Davidicum illud adjecit: *Vt audivimus, ita quoque videmus.* Non minus vera conjectura *Iuliani* impietatẽ *Niceph. l. 10. c. 37.* *Gregorius Nazianzenus* assequutus est; cum intuitus humeros cervicemque mobilem, oculos vagos, pedes nutantes, nasum contumeliosum, risum immoderatum, nutus renutusque crebros, sermonem incompositum, *DEVS bone*, inquit, *quantum malum fovet Romanum Imperium!* Et *Mahometis*, *Isidorus Hispalensis* Episcopus: qui illo in Hispania, antequam execrabilem in Asia Religionem plantasset, viso, corporisque habitu curiosius examinato, pestem ac perniciem Reip. & Ecclesiæ fore dixit. *De- Suidas.* *mocritus* verò Milesius, non morum tantùm atque animi indolem, ex illius in vultu imagine colle-

necollegit; ſed decerptum recẽte cõgreſſu virginitatis florem perſpexit. Cum enim venientem ad ſe puellam, *Virginem* ſalutaſſet, eandem poſtridie reverſam, *Mulierẽ* appellavit. Et fortè illa nocte virum paſſa ſtupro corpus contaminarat. At *Narciſſi Liberti* phyſiognomon, cũ *Britannicum* Claudii F. & *Titum* in ſordidis ruri ædibus natum, ſpeculatus eſſet, non Britannicum, ſed Titum ad Imperii conſurrecturum apicem, prænunciavit. *Sultanus quoque Aegyptius* Hieroſolymitanos peregrinos intuitus, in magno hominum cœtu, *Fredericum Sapientem* Saxoniæ Ducem, porrecta manu ſalutavit: ex honorato corporis habitu eminentiſſimi generis dignitatem conjectans. *Sueton.*

Ita feliciter ſæpè Sapientes latentem Animi indolem ex veſtigiis à Natura depreſſis perſequuti indagarunt, reconditoſque ſub corporis integumento mores in lucem protraxerunt. Neque tamen illa Naturæ indicia ita ſemper exactè animi moribus reſpondent, ut habere ſe aliter non poſſint, quàm membrorum notæ præ ſe ferunt. Vicit ſæpè correxitque naturæ pravitatem Educatio, & inſitos ab ortu primo nævos præceptorum diſciplina eluit ac obliteravit. Divinæ adſpirationis aura tum adgenitam ſanguinis paterni maculam abolevit; tum contractum conſuetudine vitium non raro expunxit. Hominum induſtria *Signa naturæ incerta ſæpè.*

&in-

& internam fœditatem ſingulari aliquando moderatione ſuppreſſit, & impreſſa foris lineamenta extrivit atque occultavit. Sæpè aliquod inveſtigandæ Naturæ ſignum proponitur, cui alia plura refragantur, quę contrarium declarant. Igitur oblatis ad conſpectum habitus externi notis, cohibenda eſt præcipitatæ temeritatis aſſertio, neque ex dubio fallacique ſigno prętorium ſtatim de natura moribuſque hominis, cũ maledicâ vitioſi corporis inſectatione, judicium ferendum. Maximè in tàm variis ſimulationum artibus, quibus nequã homines, quando res poſcit, naturam priſtinam exuunt, aſſumptamque novam tantâ fingunt calliditate, ut adnata, nõ adſcita videatur. Quã enim ſunt infinitæ aſſimilatæ virtutis ſpecies, quàm inſolens oſtentatio, non ſermone tantũ, ſed vultu etiam inceſſuque ad morum honeſtatem cõpoſito? Quanta in multorum oculis habitat modeſtia, quanta eſt in fronte contractio, in ſuperciliis gravitas, animo turpiſſimis vitiorum ſordibus contaminato? Quam ſæpè aliquem familiaris vitæ uſu tibi adſtrictum reperias, qui ſimulatæ probitatis integumento nequitiam involvit; quam, ubi fallendi tulit occaſio, expromit, & improviſum ex inſidiis ictum infert? Crede mihi non omnis ille bonus ſapienſque eſt, qui vultu virtutem refert, & barba pallioque ſapientiam oſtentat.

Simulationum artes.

Multi

Multi thyrſos quatiunt, feriuntque, immanibus à mentis poſſeſſione poculis deturbati: at pauci in divinam Bacchi ſortem ſunt admiſſi. Multi cytharam ad manus ſumunt, qui cõtrectandarum fidium artem non didicerunt.

Πολλοὶ τελοβόλοι, παῦροι δέ τε μάντιες ἄνδρες.

Cave tibi à Crocodili lacrymis: dum hominem fingit, certam tibi perniciem machinatur. Obtura aures ad dulces Sirenum cantus: dum jucundos ore modos edunt, venenum latenter infundunt. Declina hominem, qui facto ſimulatoque vultu amicitiam pollicetur: dum panem una manu oſtentat, altera lapidem invertit.

Equidem multis ſimulationum involucris tegere & quaſi velis obtendere homines ſciũt adgenitæ pravitatis indolem. Lingua aliud ſępè loquitur; aliud tacito clauſum pectore reconditur. Sub humana effigie, ferarum ſæpè animi; ſub angelicæ pietatis larva Diabolicæ malitiæ fœditas deliteſcit. Non ſi lynceæ perſpicaſitatis acie ſis inſtructus, fallacem inſidiantis Mercurii fiſtulam, & tot humanę improbitatis impoſturas evitare poſſis.

Fronti nulla fides: quis enim non vicus abundat Iuv. Sat.
Triſtibus obſcœnis? caſtigas turpia, cum ſis 2.
Inter Socraticos notiſſima foſſa cynedos.
——— *Qui de virtute loquuti*
Clunem agitant ———

Fingitur

Fingitur aſſimulata virtute vultus, componitur ad gravitatem inceſſus, contrahuntur ſupercilia, corrugatur facies, edulcantur mira ſuavitate verba, nihil eſt in toto corporis habitu, quod non ſingularem modeſtiam, ſanctitatem, caſtimoniam præ ſe ferat. Intus latet venenum. Intus incluſa eſt improbitas; quæ, evoluto ex integumentis diſſimulationum animo, in apertum exit.

Sen. Hipp. *O vita fallax! abditos ſenſus geris,*
Animiſque pulchram turbidis faciem induis.
Pudor impudentem celat, audentem quies,
Pietas nefandum, vera fallaces probant,
Simulatque mollis dura.

Ita Hiſtrio perſonam in ſcenâ ſumit, quam domum veniens deponit. Ita Meretrices vultum fucis & coloribus pingunt, ſub quibus omnis turpitudinum fœditas deliteſcit. Ita carbunculi ſpeciem nomenque ignis habent; neque ullam tamen caloris vim continent. Atque ut camelo-pardalis collo equum refert, pedibus bovem, capite camelum, maculis tigrim: Ita homines invenias, qui varias ſub ſimulationum velo formas exprimunt: *Eraſ.* Si cultũ inſpicias, ſanctum exiſtimes: Si orationem audias, ſatrapam loqui putes: ſi vitam expendas, militem arbitreris; ſi ſcripta, bubulcum: O Sepulchra pigmentata, quàm ſordida cadaverum oſſa cinereſque iſtâ colorum venu-

ſtate

ſtate obtegitis! O parietes dealbati, quam ſcabros lapides niveæ albedinis tectorio abſconditis! O Aſini Cumani, quàm turpem ignaviam ſub virtutis ſtragulâ reconditis! Hoc de vobis dici conveniat, quod de *Antipatro Alexander*, quem foris albo uti pallio dicebat, cum intus ſanguinem purpuramque referret. Qualem hominem conſpicatus *Diogenes*, *Non deſinis*, aiebat, *virtutis ſtragulam pudefacere?* Laert. l. 6 c. 2.

Heu! quoties aliquis rugis ac ſupercilio virtutem æſtimans eſt deceptus, abditamque veneni vim damno prius ſuo, quàm oculis deprehendit? Quoties aliquis ſub ſordido pallio latentem ſapientiam contempſit, ampliſſimique honoris ſplendorem obſcuro deformitatis prætentum velo deſpexit; & infra tantæ fortunæ ſortem æſtimavit! *Zopyrum* illa corporis externa facies decepit; qui profeſſus mores naturaſque hominum ex vultu ſe cognoſcere, *Socrati* ſtupiditatis crimen intulit, quod jugula concava non haberet, partibus illis obſtructis atque obturatis. Neque impunè id fuiſſet accuſatori, *Alcibiade* oblatam immerito præceptori criminationem indignè ferente, niſi Socrates, errata naturæ ſeſe emendaſſe, ſtudioque ac diſciplinâ adgenitam fortaſſis pravitatem edomuiſſe ac compreſſiſſe dixiſſet, ne ullum illorum veſtigium amplius extaret. Ut Zopyrus ex corporis vitio ſtupidi- *Phyſiognomones decepti.*

Curtius. tatem; ita *Sisygambis* Darii mater ex decorâ membrorum conformatione staturæque dignitate, regii honoris eminentiam indicio judicioque errante collegit, Ephæstionem pro Alexandro Rege venerata. Quam honorati corporis speciem dignitatemque venerabilem si *Philopœmenes* Achæorum Prætor, & *Ferdinandus Catholicus* Hispaniæ Rex, naturę beneficio obtinuissent, non ille pro vili habitus lixa ad foci instruendi operam vocatus fuisset; iste regios famulos orasset, ut, se Regem esse, piscatori munus afferenti persuaderēt. *Philopœ-*
Plutarch. *menes* Megaris in hospitalem divertens domum tenui veste, & corpore, ut erat, deformi, cùm à matrefamilias servorū unus crederetur, qui à duce præmissus esset, jussus est ab ipsâ ligna scindere. Quod cùm ille sedulò faceret, supervenit interim hospes, qui tum fortè ex foro domum redibat. Is Philopœmenem operantem intuitus, indignitate rei commotus, *Quid hoc est*, inquit, *Philopœmenes*? Cui ille,
Petr. Mess. l. 4 c 3. *Expendo*, inquit, *pœnas deformitatis meæ*: *Ferdinandus* verò Catholicus, virtutis quàm corporis dignitate insignior, cùm Neapolim susceptâ profectione Piteolos cum regiâ trireme primus appulisset, piscator eximiæ magnitudinis ferens piscem, ut Regi illum donaret, ubi Rex esset, quærebat. Cùm se Regem esse *Ferdinandus* responderet, indignabundus

piscator,

piſcator, quod ludificari ſe putaret, neque ſub tàm deſpecti corporis integumento Regium tantæ dignitatis ſplendorem condi crederet, domo ſe confeſtim proripuit, ſub alio corporis habitu Regem quæſiturus. Cùm ad miniſtros converſus Rex, *Equidem*, inquit, *niſi me Regem eſſe homini perſuadeatis, delicatiſsimo hodie piſce fraudabimur.*

Age verò an ſub ſpeciosâ tantum pulchritudinis prætextâ virtus deliteſcit? An deformi in corpore deformis ſemper animus ſtabulatur? At reclamat Exemplorum locuples Experientia, quæ præſtantem virtutis ſolertiæque indolem ſub vili corporis integumento ſæpè deſediſſe convincit. Quam deformem natura *Socratem* pepererit, *Critobuli* adoleſcentis teſtantur dicteria, cum illum πολὺ τῶν σειληνῶν αἴσχιον appellaret; ſimis naribus, recalvâ fronte, repandis cruribus. At quanta ſub illâ deformitate virtus & doctrina recondita fuerit, ipſius Apollinis affirmat oraculum, quo omnium hominum ſapientiſſimus judicabatur. Quàm fuerit turpi corporis ſpecie *Aeſopus*, vulgi de illo judicium docet, quo truncum magis, quàm hominem referre videbatur; corpore gibboſo, capite acuto, naribus preſſis, labris prominētibus, valgus & incurvus, Æthiopi ſimilis, cute ſolis æſtu incoctâ. At quanto ingenio illam corporis defor-

Deformes boni.

Athen. l. 5.

Cœlius l. 15. c. 16.

formitatem natura penſaverit, clariſſima fabularum ad poſteros tranſmiſſa monumenta ſignificant. *Hipponactis* poëtæ in vultu fœditatem pictorum petulantia, exhibita palam illius imagine, ridentium ludibriis expoſuit. At poëtæ ingenium adverſarios ſuos Satyricæ mordacitatis aculeo ad ſuſpendium ſpontaneum adegit. *Horatius Cocles* ob ſupercilia inter ſe commiſſa, & notabilem vultus turpitudinem *Cyclopis* cognomentum accepit. At illius fortitudo, repreſſo Hetruſcorum impetu, rem Romanam ab exitio vendicavit. *Ageſilaus* Laconum Rex, & ſtatura puſillus, & ſpecie corporis deſpectus fuit. At tanta in depreſſo corpore virtus fuit, ut meritò erubuerint Ephori, quod *Acihidamo* patri illius, ductâ humili ſtatura conjuge, multam dixerint. Regulus enim ille, ex hoc natus conjugio, nulli Regum animi rerumque geſtarum magnitudine ceſſit. Fuit *Attila* Hunnorum Rex ſtatura brevi, pectore patente, capite grandi, oculis minutis, barba rara, naſo ſimo, colore lurido, oculorum acie vaga & volubili. At non impedivit illum corporis deſpecti parvitas, quo minus terrorem ac formidinem orbi univerſo incuteret. Nõ *Tamerlanem* inhibuit claudicatio, quo minus Aſiam atque Europam, ſignis victricibus peragraret. Non *Androclidam* Laconem debilitas cruris à militia revocavit, plus

Plin. l. 35. c. 5.

Val. l. 3. c. 2.

Plut. in Ageſil.

Sabell. l. 1 Enn. 5.

plus de prælio, quàm de fugâ cogitantem. Nō *Homero*, *Diodoro Stoico*, *Antipatro*, *Cyrnæo*, *Hermippo* poëtæ, *Horatio Flacco*, aliiſque oculorum obſtitit vitioſitas, ut animi aciem præſtantiſſimarum rerum ſtudiis intenderent. Non, ut humili fuit corporis ſtatura *Alexander*; ita animo rebuſque fortiter geſtis, Magni mereri nomen non potuit. Non ut *Demonides* pedibus fuit diſtortis, *Theophraſtus* ſimis naribus, *Galba* gibbo deformis, *Zeuſippus* vultu oculorum fœdo, *Aretus* fronte panſa, *Zeno* contractâ, *Epicurus* ore diſtento, *Diogenes* barba comante, *Socrates* rara, *Ariſtoteles* linguâ balbutiente, *Heraclitus* oculis fletu clauſis, *Democritus* labris riſu apertis, *Chryſippus* digitis propter numerorum indicia contractis, *Euripides* propter menſurarum ſpatia laxatis. *Cleanthes* propter utrūque corroſis: ita non ingenii atque eruditionis laude æternæ nomen poſteritati conſecrarunt.

Quid ſi Formoſorum hominum frequentes cœtus? quas illic vitiorum turpitudines deprehendes? quas flagitiorum fœditates, quæ malarum artium ſtudia ſplendido venuſtatis obtecta velo cognoſces? Tolle illam muliebris formæ excellentem in multis pulchritudinem, remove ſuperba ſpecioſæ dignitatis aulæa: ſub ſtragulâ virtutis veſte animum impurum, flagitioſum, impium; ſub pretioſo ele- *Formoſi mali.*

elegantię velo ſpurcam recondi fœditatem a-
Gen. 21. nimadvertes. Quem ex venuſtate decētiaque
corporis *Nereum* eſſe putes, in illo θερσίτεον βλέμμα
ſæpè reperias. Delectavit *Abrahamum* patrem
tui, *Iſmaël*, corporis venuſtas, & ſingularis
in vultu decentia. At mores tuos efferatos &
degenerem impietatis indolem improbavit.
2. Sam. 14. 25. Affecit *Davidem* tua, *Abſolome*, pulchritudo,
nulla à pedum veſtigio ad capitis uſque verticem
vitio notata: At cum tuo ſcelere ſolio regali
dejectus in ſolitudine oberraret, animum
formæ non convenire agnovit. Laudarunt
1. Sam. 9. 2. Iſraëlitæ in te? *Saule*, regiam ſpecioſi corporis
dignitatem ac eminentiam, toto capite
numeroſo in populi cœtu extantem. At cum
tuæ obſequutus libidini divinos juſſus ne-
1. Reg. 1. 6. gligeres, impietatem deteſtati ſunt. Quanta
in *Adonia*, Davidis F. fuit pulchritudo? At
quanta in eodem ambitio, cùm malis arti-
Herodot. bus ad imperium graſſaretur! Quàm eximiâ
corporis ſpecie fuit *Xerxes*, quo in
LXVIII. myriadum exercitu, neque eminentior
fuit quiſque, neque venuſtior? At quanta
in illo ſtoliditas, cum puerilibus virgis maria
cæderet; quanta muliebris animi timiditas,
cum, relicto hoſtili in ſolo exercitu,
piſcatoriâ navi in Perſiam trepidus profugeret?
Quis Græcorum apud Ilium *Nireo*;
apud Trojanos *Paridę* conſpicuâ corporis
pul-

pulchritudine prævalebat. At hic probri loco, quod formosissimus omnium esset.

Ille Γυνομανὴς τε καὶ εἶδος ἄριστος: Iliad.1.
Κάλλιστος ἀνὴρ, ἀλλ' ἀπέλιδνος, audit.

Quid hoc loco *Magnem Smyrnæum*, *Gygi* Ly- Suidas.
dorum Regi charum; *Teridatem* Eunuchum, Ælian l. 12. V.H.
quo mortuo publicum Asiæ luctum indixit
Artaxerxes; *Galetam Ptolomæo* inprimis dile- Ælian. l. 1.
ctum; *Gygem* Gnidium ambiguo vultu hospi- Horat. l. 2. Od. 5.
tes fallentem; *Antinoum* Bithynicum Adriani Volater. l.
Imp. concubinum, divinis ab ipso honoribus, 23. Anthr.
dedicato templo, cumulatum; & cæteros Cy-
nædorum Spadonumque greges adducam:
qui cum summâ corporis pulchritudine extre-
mæ deformitatis animos conjunxere? Quid Ælian. l. 13.
ex impudicitiæ palæstra *Theodatam*, *Socratis* dis-
cipulos à philosophiæ studiis abstrahentem;
Phrynem, Veneris ἀναδυομένης effigiem gerentem; Athen. l. 13.
Laidem, à Græcis ambitiosè frequentatam; Pausan. in d. Corinth.
Thaidem, Persepoli flammas subjicientem; *La-*
miam, à Demetrio Poliorcete amatam; *Medu-* Plut. Alex.
sam in saxa viros convertentem; & mille a- Plut. in dem.
lias provulgatæ libidinis mulieres referam: Platina
quæ oculorum magis quam animi judicio contra
probata fuerunt, proscenia ore ac mento pul- Amorē.
chro, mente omnibus fœditatum inquinamentis imbuta?

Exteriora igitur affectionum interna-

rum Indicia, conjectantium aliquando judicia fallunt: ut hominis indoles ac propensio ex illorum vestigiis ita certò semper colligi, & ferri de illa sententia nequeat. Eluere enim insignitum à Natura nævum Disciplina potest, corrigere Assuefactio, tegere Simulatio, edomare ac abolere Auræ divinioris adspiratio. Extra quas conditiones, suffragante Ratione ac Experientia, magna est in Naturalibus signis cum interna hominis affectione ac natura consensio: *quam nunc speciatim in partibus singulis ostendemus.*

Ordo & partitio Operis.

Naturalia internæ Affectionis, Indolisque humanæ Signa aut *in Homine ipso* sunt expressa; aut *Extra hominem* posita nativam illius propensionem atque aptitudinem certis indagandam vestigiis ostendunt. Quæ in Homine sunt Signa, aut *Adnata* illi sunt, aut *Cognata*. Adnata & ingenita alia in illius apparent *Corpore*; alia in *Actionibus* exeruntur. Corporis quidem notatur tum *Substantia*, in illius *Membris*, & *Humorum temperatione*, ac Valetudinis statu: tum *Accidentia*, in *Aetate*, in *Sexu*, in *Vultus Colore* externo. Actionum verò Signa in *Offici functione*, atque usitatis vitæ studiis: tum *Orationis*, & *Rationis* aliquo usu, etiam in *Ludis*, in *Potu largiore*, in excidente *lacrymulâ* conspiciuntur. Cognata explorandæ Indolis Signa in *Peculiari Regionum Gentiumque Genio*, in *Diversi cœli statu*, in

tu, in *Aſtrorum radiis*, in *Divino afflatu*, in *Parentum Naturâ* & Sanguine effulgeſcunt. *Extra Hominem* quæ ipſius arguunt indolem aliunde adſciſcuntur: ſive illa in rebus conſiſtant, quæ *Animum Corpusque* hominis ſpectant; ſive quæ ad illius *Fortunas* & *Dignitatem* referuntur. In formando Animi habitu præſtans eſt *Educationis*, & *Aſſuetudinis* opera: magnum utraque explorandæ indolis argumentum. Corpus humanum nutriunt *Alimenta*; Ambiunt *Veſtes*, & *Aër* circumfluus. Fortunæ in *Origine Generis*, & *Cenſu domeſtico* conſiſtunt: quæ manifeſtis plerumque indiciis penetralem hominis naturam arguunt.

Prima ſe in oculos ingerunt *Corpori inuſta Signa*, vultuſque humani lineamenta & notæ: à quibus indagandæ naturæ rationem, prævià Exemplorum face, auſpicemur.

Cap. IV.

De Phyſiognomicis ſignis in Hominis Vultu, & Membris.

QUàm eſt difficile arduùmque ſe noſſe ipſum; tam hoc eſt homini utile ac ſalutare. In quam ſententiam *Thales* dixit, *Difficile eſſe ſui cognitionem habere; ſed idem eſſe beatum.* Laert. l. 1. Difficultatem hujus cognitionis forenſes otioſo-

ſorum hominum docent cœtus; in quo, ex *Comici* ſententia, non decimus quiſque ſe, qualis ſit, cognoſcit; pleriſque cæcâ ſui ignorantia

Stob. ſ. 21. oppreſſis. Beatitatem *Demonax* confirmat, qui quando philoſophari cepiſſet, rogatus, *Tum*,

Maxim. ſerm. de cognit. ſui. dixit, *cum cognoſcere me ipſum cepi.* Cui ſuffragatus *Baſilius*, *Accurata*, inquit, *tui ipſius cognitio te ad DEI cognitionem manu quaſi deducit.* Cum enim vis omnis noſtra in animo & corpore ſita ſit, ab illorum rectâ cognitione ad artificem principemque tanti operis DEVM diſcendum ac colendum progredimur; ab animo vitiorum turpitudinem, à corpore noxiam valetudinem prohibemus; ad primævæ integritatis rectitudinem ſumma ope annitimur. Igitur aureis in Delphico templo literis conſignatum.

Iuvenal. Sat. 11.

--------- E cœlo deſcendit γνῶθι σε αὐτὸν
Figendum & memori tractandum pectore, ſive
Conjugium quæras, vel ſacri in parte ſenatus
Eſſe velis.

Cognitio ſui ipſius ex notis externis.

Ad hanc ſui ipſius cognitionem plurimum adfert momenti, ſui etiam corporis conformationem perſpectam habere, notaſque & lineamenta externa, naturæ conformata penicillo, ante oculos ponere, & crebra cogitatione obire. At quanquam nulla eſt tam minuta corporis pars, tam abjectum atque ignobile vitalis opificii membrum, quod non aliquod

recon-

reconditæ indolis exhibeat argumentum: illæ tamen, quæ in facie humana elucent notæ, ut manifestius oculis ingeruntur: ita certius indicium præstant. Quem in finem parens ille philosophorum *Socrates* monere discipulos suos solebat; ut se in speculo sæpè contemplarentur, & mores suos aut ad vultus decentiam conformarent, aut corporis defectum animi virtute compensarent. Sensit vir sapientissimus in vultu morum latentium notas circumferri: quorum integritas augeri ac roborari; perversitas studio consilioque corrigi, & ad rectitudinem revocari debeat. *Plut in præceptis connubialibus.*

Vultus namque speculi vicem præbet, in quo effictos animi mores expressamque naturæ imaginem liceat intueri. Vultus animi est janua, quæ voluntatem abditam & retrusam significat. Vultus sermo tacitus est mentis, qui secretos plerumque sensus indicat. Si iram animus conceperit; si flagrent odia; si ignescant amores; si virtutum ferveant studia; si indignatio, spes, metus, lætitia, modestia, superbia, ambitio, avaritia, si alius aliquis affectus intus desideat, ille statim in vultu certissimo sese indicio profert. Neq; enim cohibere se ac reprimere possũt feroces violentęq; animi affectiones; sed cõfractis modestię claustris foras prorũpũt, & suis sese in facie signis prodũt. Et quãquã rugis ali- *Vultus index animi.* *Cic. de pet. cons.* *In p. 1. 5.*

gis aliquando & supercilio turbulenta mentis tempestas sustinetur & obtegitur; nunquam tamen diuturna est simulatio. Reclusa intus violentia in apertum exit, forasque protrusa manifestum sui in externo habitu argumentum exhibet. Atque ut compressus strangulatusque intra nubes aër, ruptis valido impulsu carceribus, sese explicat, elisoque igne sonitum horribilem edit: Ita procellosi animorum motus aliquandiu intus cum modestia luctati tandem exitum reperiunt, vultu tantæ violentiæ vestigiis signato. Atque ut animus funestus vitiisque obsitus palam se exerit, & in summam frontem effunditur: ita mentis etiã integritas virtutisque indoles in vultu sese atque oculis ostentat, suæque præsentiæ signa in conspectu ponit. Audi sapientem *Ecclesiasticũ:*
Eccl. 19. 26. *Ex adspectu vir cognoscitur, & ex obviâ personæ specie cognoscitur, qui mente valet: Ornatus viri, & risus dentium, gressusque hominis enuntiant cogitationem*
Prov. 6. *ejus.* Atque illo sapientiorem *Regem*: *Vir improbus & nequam graditur ore perverso, annuit oculis, tremit pede, digito loquitur.* Quam filii sui
Ps. 34. mentem divinissimus *Pater* probat; qui adversariorum suorum nequitiam atque improbitatem ex fronte, superciliis, oculis ultrò citroque contortis, demersis labris, naribus corrugatis, inflatis buccis, incessu superbo, gestu indecoro, vultu nutuque minaci arguit. Ex quo

Regii

Regii generis ſanguine *Eſaias* Propheta, *Agni-* *Eſa. 3.*
tio, inquit, *vultus eorum reſpondet illis*: hoc eſt;
ſpecies externuſque corporis habitus, quam
ſint improbi ac ſcelerati, quàm prava animis
conſilia meditentur, quas intus nequitiarum
artes abſcondant, palàm facit. Igitur *Cainum*
DEVS ſubtriſtem conſpicatus, animoque,
propter admiſſi ſceleris conſcientiam, demiſ-
ſo ac dejecto; *Quare*, ait, *mœſtus es, & concidit vul-* *Ge. 4.*
tus tuus? Et *Ioſephus*, cum carceris Ægyptiaci ſo-
cios triſtes videret, vultu conceptum animo
fortunæ malignioris omen proferente, *Cur ſo-* *Gen. 40.*
lido triſtior eſſet ipſorum facies, inquirebat.

Age verò ingrediamur illum popularem *Vultuum diverſitas.*
frequentiſſimorum hominum cœtum, & ad
indagandas atque eruendas animorum affe-
ctiones diverſas vultuum ſpecies & ſimulacra
eruditiore oculo contueamur. Dii veſtras vi-
res ſolertiamque, quàm hîc video variam ho-
minum figuram! quàm inter tot mortalium
millia difformis vultuum conſpicitur habitus!
quàm diſpar oris forma, quàm diſcretæ effi-
gies apparent! Ut in quamplures imagines ad-
ſpectumque oris multiplicem illam lutoſæ
humanitatis maſſam opifex Architecti manus
efformavit! Alia in pyralem longitudinem,
prominentibus hinc inde maxillarum oſſibus,
porrigitur. Alia ad globi rotundata ſpeciem
in orbem colligitur. Quædam amplâ carne
atque

atq; adipe copioſo craſſeſcit; quędã oſſulenta macie gracileſcit. Aliqua crebra pilorum lanugine comatur; aliqua cute depilata glabret. Hic buccæ inflatæ turgeſcunt; illic pendulæ fluunt. Iſtic tempora aut excavata dehiſcunt; aut extantia protuberant. Alibi aut inclinata declivitas, aut faſtigiata prominentia, aut æquata planities conſpicitur. Eſt, cui eximia latitudine frons luxuriat; cui eadem anguſtioribus ſpatiis contrahitur. Eſt, qui erugato, explicato, exporrecto vultu pacem pollicetur; qui contracto, obducto, matutino curas & ſolicitudinem teſtatur. Qui facie cadaveroſâ, incæſtâ, torvâ, truce, minace, turbida, informi percellit; qui ingenua, ſpecioſa, liberali, ſerena, verecunda blanditur. In illo flammantem rubedinem; in iſto plumbeam livedinem; in hoc croceam fuſcedinem; in alio luridum pallorem; in alio diſpunctam modico ſanguine nivem conſpicias. Video Oculos lucidos, obſtipos, prægrandes, exiles, noctuinos, felineos, nigricantes, inquietos, tremulos, ſegnes, vibrantes, fluidos, aridos, turgentes, conniventes, luſcos, lippos, pætos, depreſſos, prominentes. Video Supercilia hiſpida, truculenta, remiſſa, contracta, coëuntia, ad tempora protenſa. Video os latum, vaſtum, anguſtum, nigrum, ſqualidum, lividum,

rubicundum. Quàm ſunt huic Aures patulæ, illi tenellæ; iſti ſpatioſæ, aliis flaccidæ, pendulæ, adſtrictæ! Quàm ille Naſum habet acutum; ille retuſum; ille aquilinum; ille ſimum; ille craſſum atque adipoſum! Quàm alius habet labra tenuia; alius carnoſa; alius ſtricta; alius diſtorta & hiantia! Quanta Capitum eſt differentia! quorum quædam in ovi ſpeciem turbinantur; quædam conglobatâ figurâ rotundātur; quædam depreſſo vertice per ambitum aut latera intumeſcunt; quædam magnitudine, quædam parvitate ſunt viſenda. Quanta Capillorum! quorum alii ruffeſcunt, alii flaveſcunt, alii albeſcunt, alii nigreſcunt, alii denſi, alii rari, alii criſpi retortique conſpiciuntur. Quem non detineant Cervices longæ, graciles, craſſæ, exiles, aſperæ, breves, incurvæ, diſtortæ, inflexæ? Quis non ſpeculetur Ventres vaſtos, caſtigatos, turgidos, planos, ſtrictos? Cui non videre allubeſcat Terga lata, modica, incurva: Bracchia prælonga, ſuccincta; Manus pingues, ſpatioſas, parvas, nervoſas, miris lineamentorum ductibus variatas; pedes carnoſos, exiles; Tibias ſubtiles, grandes, humiles, proceras, gibboſas, incurvas, turgentes; Suras tumentes, teretes, ſtrictas, pendulas, exhauſtas? Quis fando exprimere poſſit humanorum corporũ diſſimili-

tudi-

tudinem ? quis calamo effingere figurarum varietatem, quâ in vultibus admiraculum Natura ludit? Non tàm diverſo florum apparatu humum pingit Veris amœnitas: non tàm difformi ſyderum luce cœli refulget ſerenitas: non piſcium, non avium, non cæterarum animantium magis diſpares ſunt habitus: quàm variis figuris humanorum vultuum ſimulacra diſtinguuntur.

Quid verò illa *varij oris ſpecies* deſignat? Cur in tam multiplicem figuram habitumque hominem Natura efformavit? Nonne ut illa formæ diſſimilitudo animorum varietatem denotaret? Tacita namque corporis figura de abditâ retruſaque indole conjecturam adfert: quò quiſque naturę inclinatione propendeat; quem animi habitum diuturnâ conſuetudine collegerit; quam in partem affectione ſtudioque familiari inflectatur. Optarim mihi nunc lynceæ perſpicacitatis oculos, aut ſerpentini viſus aciem; quæ ſecretos pectorum receſſus penetrare, & in intimis latentem penetralibus mentem, ſua per veſtigia, deprehendere poſſit. Tu Natura pande mihi cœcos Myſteriorum tuorum aditus, & initiato arcanis Sapientiæ ſacris reconditam depreſſamque morum atque animorum indolem vivis certiſſimarum imaginum ſimulacris adumbra. Ita in indaganda hominum affectione neque *Momi*

fene-

feneſtra clathratoque pectore, neque *Diogenis* lucerna opus habebo. Et in conciliandis amicitiis nullam unquam ſtultæ temeritatis pœnam dependam.

Quis ille eſt plus nimio in *Caput* extumeſcens *Capito*, extuberante carnis oſſiumque mole, diſtentâ cute, beſtialem ad modum magnitudine prodigioſa? Iſte ſub gracili collo capite parvo & caſtigato; hic oblongo; alius acuminato? Cave tibi, cave, monſtrum alunt. Sub illa granditate ſomnolentia, hebetudo, ingenii vaſtitas & turbulentia, ſub parvitate ſtoliditas, ſub turbinato faſtigio invidentia, malignitas, inconſtantia deliteſcit. Quantum erat gulæ mancipium capitoſus *Vitellius*! quantam cum meticuloſa ignavia morum conjunxerat aſperitatem, filio jugulato, matre trucidata, cæde principum virorum ad dulces oculorum paſtus patrata! Quales in patria ſua concitavit turbas, ſuſcitato Peloponneſiaci belli incendio, *Schinocephaleus ille Pericles*: ex cujus hendecaſtino vertice Græcas exoriri tempeſtates ferebatur. Quam impias de Religione opiniones, diſtracto laceratoque terrarum Orbe, excogitavit *Mahometus*; cui in vaſtæ mẽtis domicilium Natura caput dederat magnitudinis immenſæ! φοξὸς ἔην κεφαλήν *Therſites*, upupę inſtar capite turbinato. At quanta ſub illo premebatur malevolentia, invidia, arrogantia, in-

Caput.

Sueton.

Plut. in Pericle.

Chron. Sarac.

Hom. Il. β.

Plin. l. 10. c. 1. tia, indocilitas! Ingenti est corpore *Struthiocamelus*, capite exili. At tantæ hoc animal est stoliditatis, ut se non conspici in reliqui corporis magnitudine putet, si caput inter frutices occultet. Testibus enim *Medicorum principibus*, Gal. in μικροτ. immoderata capitis parvitas malè constituti cerebri indicium præbet, constrictis coarctatisque illius ventribus, ne spiritus animalis liberè in omnes partes possit evagari. Orbicularis verò, ad cœli imaginem, capitis rotunditas maxime placet, quæ pressa leniter ex utraque parte, cerebri amplioris est capax, diffusisque liberè nervorum propaginibus vitales virtutes ad connutricationem corporis intendit.

Capilli. Vos verò etiam, *Capilli*, aliquod morum indicium præbetis, obtegendo ornandoque divino corporis membro à Natura dati? O dignitatem humani verticis speciosam! O pulchritudinem non virescenti arborum frondi, non pubescēti florum lanugini cōparandam!

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Ovid. *Et sine fronde frutex, & sine crine caput.*

Veniat de cœlo Venus cum omni exquisitissimi ornatus apparatu; exeat à mari eburneo corporis honore conspicua; adde illi omnium Gratiarum chorum; adjunge totum Cupidinum populum; cinge illam delicati amoris Zonâ; oleat panchæa cinnama; exudet fra-

grans

grans toto corpore balſaminum: ſi capillorum flore orbata fuerit, non ipſi ſuo Vulcano placebit. Neque muliebre hoc tantum eſt ornamentum; ſed gravium virorum. De quo rogatus *Ageſilaus* Rex, cur affectaret, *Quoniam*, inquit, *ex omni ornatu hic pulchrior eſt venuſtiorque, & ſumptus minimi,* Laudatur igitur *Scipio*, quod eſſet ipſi. Stob. ſerm. 63.

Martia frons, facileſque comæ, nec pone retroque Silius.
Cæſaries brevior.

Et *Pompejum*, ac *Catonem*, verenda ipſis etiam Lucan. Regibus coma commendabat: Cujus etiam sūma apud Germanos, Gallos, Parthos, aliosque fortis animi viros cura fuit; qui crinem ſine ullo artificio decorè quatiebant; non aliter, quàm jubam generoſa animalia. Inter quę Leones præcipuè & Tigres jubarum ornamenta ſpecioſos & terribiles reddunt. Quorum exemplo *Lycurgus* comam nutrire cives ſuos inſuefecit: quoniam pulchros redderet decentiores: deformes verò formidabiles. Volumus de animo ex virili comæ dignitate conjecturam facere? Germanorum morem Tacitus de G. M. intueamur; qui obliquatum ſubſtrictumque nodo capillum ingenuitatis notam eſſe voluerunt. Neque enim ut amarent aut amarentur; ſed bella adituri, ut hoſtium oculis, olim ſe ornabant. Ideoque *Antoninus* Imp. *Coma*, inquit, *virum*; *vox Rhetorem indicat*. Neque ſanè

comantem facilè eſt, ἔργον ποιεῖν θητικὸν, aut illiberalem artem admittere. Atque ut Capillus nulla muliebris affectatione decoris excultus ingenuæ dignitatis ſignum præbet: ita immodica fingendorum crinium curioſitas enervatæ virilitatis eſt veſtigium. O fractos exſolutoſque ac molliculos & pumicatos! ô verè vinulos & peponas; ut cùm veteribus loquar! non pudet vos nativum capitis honorem in turpem effœminatamque mollitiem convertere? Non pudet Germani ſanguinis viros, cum troſulis & cincinnatis, ad ſpecula totis paria corporibus, crinem ſtudioſiſſimè excolere, candeſcente ferro vibrare, in gradus frangere? Et in tantùm veſtra excreſcit mollities, ut medicatâ ſcobe vertex inficiatur, ut coſmotica ad lenocinium decoris inſtrumenta uſurpentur, ut ex adventitio crine galericuli & caliendra capiti aſſuantur. Quos ego homines inter ſpeculum pectinemque ſtudioſiſſimè occupatos, magis de capitis ſui decore ſolicitos eſſe puto, quàm de ſalute. Qui, ut *Seneca* loquitur, Remp. malint turbari, quàm comam: & concinnitati majorem operam dant, quàm honeſtati. Quid reſtat, quàm ut cum *Sardanapalo* & *Heliogabalo*, muliebres ſumamus veſtes, ejuratiſque virilibus belli ac pacis artibus, colum tractemus & lanam? Si neſcitis comatuli, non corpus ornat illa capil-
lorum

lorum affectata concinnitas; sed mentem detegit virili virtutis robore destitutam. Quod cum sciret *Philippus Macedo* judicem barbam capillumque inficientem protinus submovit, non bona fide publica tractaturum negotia arbitratus, qui capillos fucaret. Idem ab *Archidamo* factum, qui cùm fucato capillo concionari aliquem videret, illum in medio affatu tacere, ac foras ire jussit. *Alexander* verò capillos tingentem conspicatus, μὴ, inquit, τὰς τρίχας βάπτε, ἀλλ' εἰ δύνασαι τὰ γόνατα. Cujus præceptor *Aristoteles*, cum juvenem curiosius se comere videret, Non *erubescis*, ait, *cum te natura virum fecerit, ut te ipsum effœmines?*

Plut in Apoph. phil.

Non, ut mollities effœminata capillum, ita natura verticis tinctura mores animumque mentitur: qui hoc plerumque indicio cognoscitur. Capilli ex crassiore & fuliginosâ humorum eluvie oriuntur, quæ per angustos membranæ meatus foras propulsa, dum hæret in transitu, condensatur. Colorem varium ex variato caloris temperamento trahunt. Ex adustis humoribus nigricans consurgens vapor eandem in pilis exprimit qualitatem. Immoderatior calor crispos efficit & intortos: dum adstrictis meatibus ægrè eluctantes rectam sibi viam emoliri nequeunt. Si minus torrescat vapor, flavedine vertex tingitur, ex flavæ bilis impacto cuti excremento. Si pitui-

Capillorum color.

tæ biliſque fex temperata adurentem calorem & frigus moderetur, ruffitate coloratur. Albedo frigiditatis eſt indicium, in quem colorem frigoris operâ humor vergit. Igitur ut pilus caloris in homine gradum ſignificat : ita ex eadem cauſa morum præbet indicium. Intenſus ſiquidem calor homines facit animoſos, feroces, iracundos, induſtrios, callidos, præcepites. Frigoris principatus ad ignaviam ſocordiamque dejicit; timorem, ſomnos, hebetudinem inducit; nihil ſublime aggredi, nihil moliri memorabile permittit. Hinc Xantheæ flavedinis coma in *Achilli*, in *Pyrrho*, in *Auguſto* moderati pectoris iracũdiam arguit. Nigra criſpantibus ſuo ingenio Cirris, Hiſpanis, Mauris, aliiſque ſub torrido cœlo hominibus, induſtriam, ferociã, vafritiem adſcribit. Ruffa in *VVillhelmo* Anglorum impio Rege malignitatem, denſa in *Lyſandro* feritatem; rara in Cynædis mollitiem: alba in pueris frigidam timiditatem, ſub fuſca prudentiam ac probitatem; cana in floridâ ætate incõtinentiam ſignificat. Quam tamen aliquãdo etiã diuturna ægreſcẽtis animi ſolicitudo, terrorve ſubitus, aut periculorum mortiſve intentatæ repentina formido attulit, calore vitali ac ſpiritu, per intentiſſimam imminentis mali cogitationem, conſopito ac extincto: ut gramina exhauſto vigore areſcunt & colorẽ vitæ ſpectabilem exuũt. Teſtantur hoc multa facinoroſorum exempla,

qui obito facinoris alicujus crimine in vincula conjecti, ex angore mentis conceptaque mortis formidine, ita una nocte immutati ſunt, ut attritâ depaſtaq; omni formæ venuſtate, luridus & cadaveroſus color, adſpectus horridus, indecora canicies, fœda barbæ illuvies vultum deturparit. Memorabile illud eſt quod aliquis, dum ſcrutatus accipitrum nidos de rupe pēderet, funibus quibus ſuſtinebatur, diſſolutis, repentè incanuerit. Quod *Ludovico Bavariæ Duci* ex ſomnii evenit terriculamēto, cum uxorem adulterii ſuſpectam injuſtè occidiſſet.

I. Scal. Ex. 32. Lemn. de Compl.

Cœl l. 13. c. 27.

Cuſp. in Lud. Imp.

Calvities.

Quàm verò eſt deformis, quam pudenda illa depilati verticis glabrities! Facetè illam in Phœbo vellicavit Martialis:

Epigr. l. 12.

Hœdinâ tibi pelle contegenti
Nudæ tempora verticemque calvæ,
Feſtivè tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit, caput eſſe calceatum.

Multos quidem naturæ imbecillitas hoc capitis vitio deformat, ex quâ etiam cauſa ſitus ille & pruina ſenectutis canities naſcitur: quando aut ex longævitate liquor vitalis exiccatur, aut vitioſus humor ex copioſo exuberans frigore capillum tingit. Quàm ſi calvitii cauſam in *Eliſæo* protervientes Bethelitarum pueri ſciviſſent, fortè ſibi à mordacibus in ſanctiſſimum prophetam dicteriis temperaſſent. Neque probro ſibi duxit ſui capitis

Dion. phalacras & calvitia *Veſpaſianus* Imp. qui, cum cometes apparuiſſet, quo mors portendi principis videbatur, eludens cœli dirum oſtentum, *non ſe*, ait, *illo terreri*; ſed *Parthorum Regem*: ἐκεῖνος γὰρ κομῶν, ἐγὼ δὲ φαλακρὸς εἰμί: In alios, quibus ex incontinentia hoc vitium obvenit, Pro Q.R. ſalsè *Cicero* jocatur, quod calvities olere malitiam, & clamitare calliditatem videatur, in qua ne boni quidem viri pilus reperiri poſſit. Ælian. l. 11. Talis *Agathocles* erat Siciliæ tyrannus, qui defluentibus capillis cum myrtheâ caput coronâ obtegeret, tacitis civium convitiis Tyranni Dion. improbitas lacerata fuit. Similis in *Tiberio* calvities fuit, & tyrannidis ſtabiliendæ calliditas: cujus in ludibrium *Sejanus* Calvorum populo ſpectaculum exhibuit. A quo ne pudendi qui-Sueton. dem capitis dedecore *Caligula* degeneravit, capillo raro, hirſutus cætera. Quod tàm tulit indignè, ut Capram nominare, aut ex editiore ædium parte oculos in prætereuntem deflectere, illo imperante, capitale fuerit. Eodem Sueton. ἀναφαλαντίας vitio deformis fuit *Otho* Imp. & *Domitianus*: quorum extremum, ob ſingularem immanitatem ac inhumanam truculentiam:

Auſon. ----- *Calvum dixit ſua Roma Neronem.*

Cuſſin. Eidem ob calvitiem cognominis fuit *Carolus* II. Imp. niſi quod natura mitior nullam Neronianæ ſævitiæ appellationem recepit. Non Sueton. ponerem in hoc catalogo *Iulium Cæſarem*, niſi calva-

calvati libido atque incontinentia publicis militum jocis in Gallicano triumpho jactata fuisset: *Vxores vestras, servate cives: vobis mœchum adduximus calvum.* Calvitii calvorumque mentio *Calvæ Veneris* mihi memoriam refricat, quæ dicato templo culta apud Romanos fuit: non ad significandum calvitii luxuriæque societatem; sed quia, obsidentibus Capitolium Gallis, implicandis funibus ad tormentorum usum, matronæ capillos sibi resciderant. *Lactantius.*

Age verò *Frontis* artificem contueamur fabricam, tranquillæ, serenæ, turbidæ, contractæ, striatæ, erugatæ, ingenuæ, pudendæ. Speculum mihi videor videre hilaritatis, tristitiæ, clementiæ, severitatis, modestiæ, fastus, probitatis, perfidiæ. Quis non putaret, hîc animæ esse januam, per quam ad interiores affectionum veniatur recessus: nisi illa falso indicio oculum sæpè deciperet, vultuque composito indolem mentiretur. Fortè Genio frontem veteres sacrarunt, quod reconditum animi ingenium certissimis notis delinearet. Quam etiam DEVM venerantes religiosè tangebāt, inditaque ad frontem manu adibant: ut sentire hoc significarent, quod præ se ferrent. Igitur ita olim honorata fuit illa humani capitis pars, ut in illa osculi religio servaretur; Mihi verò nulla inter omnes Frontium figuras magis placet, quàm aperta ista, quieta, πέταυρος, *Frons.*

 nullis

nullis ſtriata rugis, plena gratoque levore ſplēdicans. Hîc animus habitat ingenuus. Hîc fides, probitas, modeſtia domicilium habet: *Pompejum* olim iſte frontis exporrectæ honor oriſque Comitas commendavit. At in *Caligulâ* truculenta torvitas corrugatioque indecora ſævitiam hominis inhumanam, & impietatem execrabilem ſignificavit. Sub illo patente adipoſi capitis ſpatio, cum animi ſynceritate, ignavia quædam timiditaſque deſidere videtur. Gracileſcens longitudo cum tenui mento morum aſperitatem notat. Elevata in gyrum rotunditas, cum ingenii præſtantia atque altitudine, iracundiam arrogantiamque ſignificat. Fallor autem, an frontem ille perfricuit! ita deletis verecundiæ notis, & relegato ad præcordia rubore, abſterſiſſe omnem pudorem, ac depoſuiſſe modeſtiam videtur.

Supercilia. In *Superciliis*; quæ oculis Natura ſuperpoſuit, ut tanquam imbricamentum quoddam & ſuggrunda, manantes à vertice humores aliò derivent; imperioſæ majeſtatis eſt ſedes. Neque enim falsò Iovem poëta dicit.

Cuncta ſupercilio moventem.

Hor. 3. Car. O. 1 Faſtus quidem alibi conceptaculum, hîc domicilium habere videtur. In corde naſcitur: Huc ſubit, hic pendet. Ecce quanta multorum

rum in superciliis est pietas? quanta gravitatis ostentatio! Quibus sanè non aliter inniti Resp. mihi videtur, quàm Atlante cœlum. Ille contractis superciliis iram significat; iste diductis tristitiam, alius remissis hilaritatem. Quædam in longum porrectis animi mollitiem profitentur, aliqui ad nasum deflexis austeritatem, nonnulli in tempora detortis fastidium, aut in vultum demissis malevolentiam, aut inter se commissis nequitiam, aut duris rubeisque impudentiam; Ille aucto vehementius oculorum isto hyperthyro, graves animo versare cogitationes videtur, vi caloris vapore in verticem copiosius attracto. Huic verò sine dubio spes quæpiam bona animum titillat, ita crebro motu salire ipsi supercilium apparet.

Nulla tamen ex corporis parte clarioribus signis elucet animus, quàm ex *Oculo*; *Oculi.* quem *Galenus* solarem animalis particulam; Stoici DEVM, alii Naturæ speculum, & humani corporis Solem ac Lunam appellant: qui positi in edito fastigio diligentem rerum omnium custodiam obeunt, perinde ac in statione speculatores interdiu noctuque pro nobis excubantes. Oculi mentis sunt indices. Oculi cordis sunt nuncii. Oculi tacito sermone, quem animo sensum affectumque homo premat, loquuntur. Cur enim alios

con-

concepto intus igne incendi atque exardeſcere; alios ſtillantibus aquis humectari, alios diductis palpebris connivere, alios huc illuc crebra agitatione volvi, in cœlum attolli, in terram dejici, in obliquum controqueri videmus? Cur ita multiformes luminum contuitus apparent, truces, torvi, flagrantes, graves, tranſverſi, limi, ſubmiſſi, blandi, amicabiles, niſi moderationem, clementiam, miſericordiam, amorem, odium, triſtitiam, lætitiam ſignificarent. Hinc illa in dolore humorum parata fœcunditas, & rigantes ora rivi. Hinc illa in gaudiis acies luminum hilarata, in blanditiis lepor, in iracundiâ torvitas. Hinc ipſe cordium inſpector DEVS, divinique homines *oculū* [a] *ſimplicem & rectum*, [b] *oculum malum*, [c] *nequā*, [d] *adulterum*, [e] *ſubſannātem*, [f] *ſuperbū*, [g] *fornicantem*, [h] *adulterij plenum*, [i] *invidum*, [k] *gratū & nitētem*, [l] magnis cogitationibus attonitum, [m] cōcepto furore ardētem, [n] cor vulnerantem, [o] ira turbatum, [p] oculorū ſervitia, [q] laqueos, [r] cōcupiſcentias dicunt. Hinc Poëtæ *oculos annorum duces, iram ſpirare oculis flammantibus, aliena bona acutis limare oculis, comibus oculis pellici, connivētis ocelli invidiâ morderi, aciem petulantem, impudicam, loquacem, malignam, minacem*, loquuntur. Hinc mutuo vocum commercio, *animo videre, animo cernere; oculis intelligere, oculis cupere, iraſci, mœchari, turbari, fertur.* Vide ſis in *Domitiano* illo Imp.

oculos

a *Eccl.* 35
b *Matth.* 20.
c *Gen.* 6.
d *Iob.* 24.
e *Prov.* 30.
f *Prov.* 6.
g *Ezec.* 6.
h 2. *Pet.* 2.
i *Eccl.* 14
k *Heſth.* 5.
l *Iob.* 15.
m *Heſt.* 5.
n *Cant.* 4.
o *Pſ.* 93.
p *Col.* 3.
q *Iud.* 9.
r *Ezech.* 23.

oculos prodigioſè magnos, emiſitios, extra
convalles ſuas vitellorum inſtar propenden-
tes. Piger eſt, luxurioſus, hebes, ne equo qui-
dem in expeditionibus, ſed lectulo uſus, ne de-
dicatum corpus jumenti ſucceſſu afficeretur.
Intuere *Attilæ* oculos parvos, reconditos, pro-
fundos. Malitioſus eſt, invidus, iracundus, ter-
ror orbis Deique flagellum ex illis refulget.
Contemplare trucem *Caligulæ*, Scytharum,
Turcarum, *Albani* Ducis adſpectum. Belluina
hominum eſt ſævitia, efferata rabies, in cæde
ac ſanguine miſerorum hominum oblectan-
tur. Non ejuſdem eſt oculi, truculenti contui-
tus diritas, ac regia gravium virorum majeſtas
acieſque vivacitatis leoninæ; qualis in *Auguſto* Sex. Aurel.
fuiſſe ſcribitur: cujus oculi clariſſimorum in-
ſtar ſiderum fulgebant, quos acrius intuentes,
vultum dejiciebant, ſplendido radiorum vi-
bratu perſtrictum. Paulò atrocior *Pyrrhi* Re- Plut. de Pyrrho.
gis fuit adſpectus: quo *Zopyrus* Macedo gla-
dium ſtringens, ut caput ei decuteret, cum Ar-
gis tegula deſuper ictus Rex fuiſſet, adeò ex-
pavit, ut vix longo ſpatio tremebundus caput
illi amputaret. Et *Phocionis*: cujus cum ſuperci-
lia perſtringeret Chares, populuſque arride-
ret, *Nullum hoc vobis*, inquit, *mœrorem intulit* Plut. de Phoc.
ſupercilium: at horum riſus multas civitati lacrymas
excuſſit. *Cneus* verò *Marius* tam fuit adſpectu Plutar.
torvo, ut Minturnis immiſſum percuſſorem
ſolius

ſolius oculi intuitu deterruerit. Quod de *Luthero* etiam dicitur, qui ſubmiſſum percuſſorem, ut ſclopeto ipſum tranſverberaret, ita oculorum acie perterruit, ut depoſito cædis faciendæ conatu fugam conſternatus arriperet. Ille autem flagrans oculorum adſpectus, actis in ore ſpumis, animi efferveſcentis ira exardeſcere videtur, bilis vitio vaporibus lumini offuſis. At *Procopius* Imp. dejectis oculis humum ſemper intuens difficilem ſe eſſe & moroſum ſignificat. Quibus triſtium morum latebris *Craſſo* illi ſimilis fuit, quem in vitâ ſemel riſiſſe affirmat *Lucilius*. Poſſet aliquid habere excuſationis illa in attentiſſima cogitatione moroſitas: non item levium muliercularum & cynædorum mobiles in omnem partem oculi, manifeſtum impudentiæ atque inconſtantiæ ſignum. Quales intuitus aliquando plenos voluptatis illecebræque *Archeſilaus* philoſophus, *Nil*, inquit, *intereſt quibus membris cynædi ſitis, poſterioribus an prioribus*. Sed ô fidem tuam, *Faſcine* DEVS, non infantium modò puerorum, ſed triumphantium etiam Impp. cuſtos. Fer opem mihi, atque averte faſcinantis oculi virulentos ictus, ne noxiam inferant, infectoque aëre corpus animumque fœdo oblinant inquinamento. Vt ſpeculorum præfulgens nitor oculorum intuitu, quando menſtruorum rigantur adſpergi-

ſpergine, hebeſcunt, ſanguiniſque velut nebulâ prætenduntur: ita ne vitium mihi oculus offerat faſcinator, extimeſco. Neque ſolum à Faſcino terriculum; Lamias hîc etiam video cum oculis exemptibilibus: quos detrahunt ſibi reſumuntque, cum libet: ut ocularia ſpecilla ſenes ſolent, aut mulieres comam adventitiam. Circumſpectant ſingula, ſcrutantur, indagant. Nihil tam benè obtexeris, ut lateat. Nulla tantula eſt minuties, quæ præterit. Nulla tam remota latebra, quæ evadit. Demitte quæſo eos vobis, & recondite in loculos: ne, dum in hoc Theatro verſor, delicti alicujus criminatione ad populum traducar. Et tu benigna Pallas obverte æreum Gorgoneis luminibus ſcutum, ne illorum obſtupefactus intuitu in ſaxeæ rigiditatis cautem obrigeſcam. Ut verò vos intueor libens oculi vigilantes, oculi lucidi, aperti, fulgentium inſtar ſiderum vivido ſplendore rutilantes! Vt me decora ingenui luminis gratia oblectat! In vobis ſedem ſpectati honoris dignitas defixit. Vos ſinceri pudoris, modeſtiæ, ingenii clariſſimum indicium præbetis.

Quis verò hîc jam à *Naſo* incolumem ſe præſtet? ita irriſionum illa ſedes certa ſpectanti ludibria minatur. Quaqua oculos flecto, obſeſſum circumventumque me à Naſis video, obeſis, mungoſis, puſtuloſis, emunctis, *Naſus.*

criſpan-

criſpantibus, ſimis, aquilinis, acutis, depreſſis, rectis, retortis. Neque in tanta varietate ac copia naſus ullus eſt, qui non naſum ſuum habeat, ludibrioque faciendo tubam acuat. Intelligo ſanè non collocatum tantum in ſublimi illud humani capitis cornu, ut ſuperna petentem odorem diſtingunt, cibumque ac potum ſuo momento examinet; ſed ut irriſionis etiam obeat functionem, & morum ſignificet aſperitatem, truculentiam, proterviam, levitatem. Et quis non *adunco aliquando naſo ſuſpenſum* ſe à ſcurra doluit? Quis non Sannionem ingeminare vidit: (Horat.)

––––– *Tremulos naſo criſpante cachinnos?* (Perſius Sat. 3.)

Quis non mordacibus *naſutulorum* dicteriis obnoxius fuit? Et jam myſſare aliquos audio, labiiſque occluſis plenum ludibriis ſonum per nares edere. Quis hîc αμύγμων abibit? Quis ſubdolæ irriſionis ludibrium cavebit? Iſte verò etiã [a] *magnum intus clamat*, & [b] *ad calicem vigilanti ſtertit naſo*? Declinemus hominem fraudulentum; ne nobis imprudentius agentibus inſuſurret, quod *Cabbas* ſervo aliquando vinum à menſâ ſuſtollenti; dum ille in Mæcenatis gratiam, ut liberius uxorem ſuam tractaret, ſomnum editis rhonchis ſimularet: *Infelix, an ignoras, quod ſoli Mæcenati dormis*? Sed in hoc homine naſumne video, an claſſico canendo tubam, aut Elephanti promuſcidem? ita ampla propen-

a Plaut. in Milit.
b Lucil.
Plut. ſerm amator.

propendet à fronte moles. Fortè nasum talem *Rudolphus* Imp. habuit: cui obvius in angustiore semitâ aulicus, cùm à satellitibus cedere juberetur, *Regis*, inquit, *nasus viam implet, ut præterire nequeam*. Subridens Rex, flexo in alterum latus naso, *Progredere*, inquit, *namque amovi digitis nasum, ne te impediat*. Æquè nasutus fuit *Garinus* ille, in quem *Beza* lusit: *Cuspin.*

Quod quacunque venis, fuga est, Garine, *T. Beza in*
Ceditur que tibi velut Tribuno; *Epigr.*
Tandem desine quæso gloriari:
Naso, non tibi, ceditur Garine.

Illa tamen granditas, si assurgens clementer à medio in aquilinam desinit aduncitatem, prudentiæ, patientiæ, magnanimitatis præbere indicium solet. Neque apud Persas olim honoratior fuit formæ species, quam illa *Chryporum*, quos dicebant: quod *Cyrus* istâ unci figurâ nasum habuerit. Quod in *Carolo* etiam V. aliisque Austriæ principibus notatum fuit: quos cùm animi magnitudine Vulturiæ rapacitatis indoles mundo commendavit. Quam laudem quoque ad posteritatis memoriam *Mahometes* II. de se provulgavit; naso usque adeò adunco, ut summitas contingere labra videretur. Non accipitur in hanc Nimbrodi familiam Gryporum illud genus, cui statim à fronte nasus intumescit. Corvinæ hoc est voracitatis, non aquilinæ strenuitatis: impuden- *Cælius l. 8. c. 2.* *Iovius. l. 27.*

tis animi plerumque nota. Neque muccosæ, crassæ, obesæ naris homines huc referas: quas nisi emungas & defeces, nullum sapientiæ odorem percipiunt. Mendaces verò communi etiam luce indigni sunt; quos adnata naso *Psydracia* & *Ionthi*, ut in unguibus maculæ, arguunt. Ille simis naribus; quales habuisse dicitur *Socrates*; in libidinem protervius effertur. Isti rectis, effrænatæ garrulitatis; acutis, iracundiæ; adapertis, animi corporisque firmi; obstructis, dementiæ; obliquis ac intortis internæ pravitatis indicium præbent. Vix audeo, in tàm vili contemptissimarum rerum fabulatione, divinæ Majestatis meminisse; quæ, ex multorum interpretum mente, in iracundiæ significationem Nasum sibi tribuit: & in patientiæ, Nasum magnum.

2. Sam. 24. Ex. 34.

Aures.

Fallor autem? an illic ab extremo terrarum orbe *Fanesios* video, aurium mole ad talos usque propendente; quibus vestium modo corpus contegant. In hoc etiam cœtu *Midas* Rex conspicitur, cum Asini auribus, ingenti ad caput spatio surrectis. Quem longo sequuntur ordine tardi Auritorum greges, cum auribus hispidis, patulis, pendulis, crassis, flaccis, O *Satmali*, τὰ ὦτα ἐπὶ τῶν ὤμων ἔχοντες, quis non in asininis illis auribus asininam naturæ vestræ indolem, animos dejectos, stultitiam, tarditatem, ignaviam contuetur?

Neque vos magno apud me in pretio eſtis, ſuccinctæ minutulæque aures; quæ ſingularem ingenii perfidiam, levitatem, avaritiam deſignatis. Rubor verò ille obſcœnus quem delectet; qui læſæ conſcientiæ, & admiſſæ turpitudinis documentum, exhibet? Vos præ aliis amo aures teretes, & mediocri magnitudine decentes; quæ & ad audiendum aptiſſimæ eſtis, & ingenuæ honeſtatis documentum præbetis.

Venite nunc vos huc conſpicuæ probitatis *Ora*; adeſte *Genæ* roſeo verecundiæ decore pubentes; adeſte, ut caſtum ingenuo Pudori oſculum imprimam. In vobis modeſtia, probitas, verecundia habitat. Vos ſpecioſo virtutis tinctæ colore maximum juventuti decus & ornamentum confertis. Vos pauperi gratiam conciliatis, diviti dignitatem additis, deformi venuſtatem, pulchro honeſtatis laudem attribuitis. Non eſt tanti veſtium cultiſſimarum decentia, non auri gemmarumve ſplendor, non præcellentis formæ ſpecies; quanti genæ ingenuo pudore flagrantes, pudibundi animi veſtigiis impreſſis. Ex eo Comicus pater virtutem filii æſtimans, *Erubuit*, dicebat, *Salva res eſt.* Alium verò periiſſe arbitratus, cui perierat pudor, *Vide*, ajebat, *num ejus color pudoris ſignum uſque indicat.* Illâ virtutis notâ dele-

ctatus *Diogenes*, cum adolescentem ob verbum præcipiti elatum linguâ erubescere animoque
Laert. perturbari videret, *Bono animo es*, inquit, *fili; istiusmodi est virtutis tinctura*. Cui assensus morũ
Plut. in Apoph. Romanorum Censor gravissimus *Cato*, *Sibi magis placere juvenes*, dicebat, *qui rubescerent, quam qui pallescerent: quod rubor probam indolem arguat; pallor perversam*. Quod honestatis vestigium
Stob. serm. 24. *Demades* in muliere pulchritudinis arcem appellabat. Neque aliâ ad summi honoris fastigium viâ contendit *Domitianus*, quam oris probi verecundiâ: de quâ ad Senatum jacta-
Sueton. in Domit. re ausus fuit: *usque adhuc certè animum meum probastis & vultum*. Fuit namque ille, *Suetonii* testimonio, vultu modesto ruborisque pleno.
Annal. 20. Et assentiente *Tacito*, *Decorus, ignotis adhuc moribus, habitus, & crebra oris confusio pro modestiâ ac-*
Liv. D. 4. l. 9. *cipiebatur*. Quæ in *Demetrio* tantum apud Senatum valuit, ut *Philippo* patri pluribus in curiâ criminibus impetito nihil æquè profuerit, quàm pudibundi adolescentis rubor, cùm oblatas à civitatum legatis criminationes depellere nõ posset. Nihil igitur rei mihi vobiscum est, duri oris nequam adolescentes: qui & impudenter dicitis, quod in buccam venit, & audacter facitis, quod improba animi libido suggerit. Non probo illum pallorem, quo ad præceptorum monita & objurgationes genæ turpiter inficiuntur. Non est illud virtutis,

pudo-

pudoris, modeſtiæ; ſed improbitatis, impu-
dteiæ, obſtinationis pigmentum. Pudere vos
malo, & rubere, quando delicta veſtra argu-
untur; quam ridere, certiſque intractabilis a-
nimi notis ad capienda virtutum ſemina in-
dignos ineptoſque vos declarare. Si neſcitis.

Ὁ δ' οὔτ' ἐρυθριᾶν οἶδε, οὔτε δεδιέναι, *Menan-*
Τὰ πρῶτα πάσης τῆς ἀναιδείας ἔχει. *der.*

Talis *Caligula* erat; qui nihil magis in naturâ *Sueton.*
ſuâ probare dicebat, quam inverecundiam;
quæ nullum ipſi in deſignandis flagitiis rubo-
rem affunderet. Quo vitio cum malè audirét
Athenienſes, ad ſignificandam impudentiam,
Ἀττικὸν βλέπος, vulgari hominum ſermone uſur-
patum fuit.

Quis in Labiis & Mento mentem habitare *Labia &*
putet? Labia quidem dentium procæſtria, lo- *Mentum.*
quendique adjumentum, ſi patula fuerint, fo-
raſque protuberent abundantius; ut in Mau-
ris labronibus; audaces, impudentes, luxurio-
ſos denotant. Sin ſuccincta & adſtricta, mo-
deſtos, ſobrios, largos ſignificant. Tenuitas
illorum ſagacitatis & eloquentiæ indicium
præbet. Mente cum naribus plerunque con-
venit: cujus acumen iracundiam arrogãtiam-
que; obtuſio hebetudinem; fiſſio amicabili-
tatem ut plurimum deſignat.

Sed quinam illi ſunt σακέσφοροι *Barbæ* Reges, *Barba.*
probificâ pilorum ſupellectile in pectus pro-

pendente? An priscæ memoriæ Philosophos
video, barbitio spectabiles & pallio? An potius ex Quiritium Senatu venerabiles Senes; quorum in curuli sedentium conspectu
victor Gallus, tanquam objectis DEORVM
vultibus, obstupuit: baculi etiam ictu perstrictus, cum barbaram manum promisso capillitio admoveret? Hoc habitu pastores Arcadas, & Auruncos patres, & intonsos sanctissimæ severitatis Cethegos, Scævolas, Curios,
Catones, Manlios vetustas depinxit: in quorum hispidâ coma, & demissâ barba vir-
Plut. l. 7. c. 59. tus ipsa habitare putabatur. Duravit in *Ticinium*, ad quintum Urbis sæculum, promittendæ barbæ consuetudo: cum juventus delicatior tonsoribus è Sicilia adductis
mentem caputque radendum permitteret.
Hirta propendentis mystacis coma antiquitus virilis animi signum erat, nullam ornandi oblectandique corporis admittentis curam. Quare *Diogenes* cuidam barbam abradenti, *Nunquid naturam*, inquit, *accusas, quod*
Plut. in Lacon. *te virum fecerit, non mulierem?* Lacon verò senex interrogatus, cur barbam aleret sylvo-
Lycosth. sam, *ut*, dixit, *intuens canos, nihil indignum illis committam.* In quam mentem alius dixit:
Barbam alo, *ut virum me genitum esse, cogitem,*
Ioseph. l. 5 Antiq. *& viriles virtutum obeam functiones.* In *Nazaræis* coma intonsa votum significavit DEO

relio-

religiosè nuncupatum. Qui postremis tamen temporibus, evilescente jam majorum instituto, pilos detonsos in sacrificii ignem conjiciebant, ut hoc modo pietatis perfectionem testarentur. Quam Sacerdotes Papales imitati superstitionem, quando Deorum suorum initiantur sacris, comam capillosque deponunt; ut eo indicio factum sibi cum Mundo divortium significent: nisi illa rasio Antichristi potius est character. Ita apud Græcos *Threpteria* celebrantur: quando præcisum in ætatis vigore capillum Deorum honori consecrabant. Athenis verò Ephebi, *Theseo* authore, primam barbam Apollini dedicabant. In gravi etiam luctu apud Græcos usitatum fuit, ut barbam reciderent: quod Pentherium nominabant. Quem Ægyptii Sacerdotes morem usurparunt, quoties mortuo *Api* imminentium calamitatum metu percellerentur. Quod Milesii etiam fecisse dicuntur, Sybari à Crotoniatis direptâ. Summo alioquin apud Græcos, & Germanos veteres honori fuit, barbam comamque nutrire. Primus *Alexander* morem illum abrogavit: qui cum Dario congressurus acie, *Parmenioni* injunxit, ut radi Macedonum menta curaret; ne innexis barbæ manibus hostilem injuriam paterentur. Quod imitati sunt Germani; maximè cum sub *Lophario* Imp.

Cœlius l. 7. c. 23.
Plut. in Theseo.
Cœlius.
Polyd. Virg. l. 4. c. 8.
Herod. l. 2
Plut in Regum apoph.
Crantz. l. 6. Metrop.

in caſtris ad Spiram, luxurians pilorum ſeges fulmine exureretur. Iudęis pudori atque ignominiæ fuit, barbam radi. Quâ turpitudinis notâ cum *Davidis* legatos *Anon* Moabitarum Rex affeciſſet, atrociſſimum bellum concitavit; quod ipſi regnoque perniciem attulit. Venit mihi hoc loco in mentem *Selimi* Turcarum Imp. qui raſâ barbâ non velle ſe, ad patris *Bajazetis* exemplum, pilos nutrire dicebat; ne Baſſæ manibus injectis principem ducerent, quò vellēt: ut patri ſuo evenerat. Interea non poſſum, quin cùm *Demonacte* veterum quorundam de ſchola dementiam rideam; qui cum barba philoſophabantur; tum ſe philoſophos rati, ſi ingentibus pilorum ſcopis pallium peramque obumbrarent. Ille rogatus, quam philoſophiæ ſectam profiteretur, ſucculſus vehementiore riſu, *Quid ſtultius eſt*, inquit, *quam ut homines ex barba philoſophum æſtiment*. Qualem de villis filiſque piloſis Philoſophum egregiè aliquando *Ariſtippus* excepit. Invitaverat ille *Ariſtippum* in *Dioniſii* domum, ut conſtratum pretioſis teſſellis pavimentum, regiumque ædium apparatum & luxuriam perſpiceret. Quod cum feciſſet *Ariſtippus*, circumſpectis omnibus, ſputum oris in barbam hominis rejecit; cum in tota domo nihil videret, ad excipiendum oris retrimentum, opportunius. Sed hoc Cynicam ſapit inverecundiam;

Reg. 2. c. 10.

Iovius.

Eraſ. l. 8. Apop.

Laert. l. 2 c. 8.

diam; *Herodes Atticus* civilius iſtius ſectæ hominem tractavit. Petebat ab illo quiſquam barba tenus philoſophus nummos ad panes coëmendos. Interrogatus verò, quiſnam eſſet, irato vultu philoſophum ſe eſſe reſpondit. Cui Herodes, *Video*, inquit, *barbam palliumque, philoſophum verò non video.* Nequam homines, qui virtutem ſupercilio, ſapientiam pilo, profeſſionem veſtium habitu ſimulatis! Qui mihi Struthionibus ſimiles videntur, qui cum volare non poſſint, ſpeciem tamen volandi habent. O turpes in purpura Simiæ; Aſini apud Cumanos; ἐκ πώγωνος σοφοὶ! Quid verò hoc mõſtri eſt, quod video? An hîc fœminæ etiam alunt myſtaca, viris quibuſdam barba exutis? Neque enim credo Minervæ apud Pegadenſes ſacerdotes eſſe; quibus, ſi quid publicę calamitatis impenderet, barba germinante mẽto adnaſcebatur. Aut mutato ſexu homines in diverſi generis habitum tranſiiſſe: ut *Cænidi* evenit *Elati* Regis filiæ; quæ voto ex fœmina vir factus *Cænei* nomen aſſumpſit. O virgines, barbitium illud veſtrum caloris roboriſque plus quàm fœminei copiam ſignificat; quæ virile jugum invita ſine dubio cervice patitur. In aliis inſita frigiditas, obſtructis obſeratiſque meatibus, obſideri mentum pilo non permittit. Quam Eunuchi indolem ſequuntur; dum frigiditas calorem interpellat, & ſiccitas

Herod. l. 8 Strabo l. 13.

Ovid. l. 11 Metam.

pabulum oblædit. In viris tamen quandoque etiam nimia meatuum capacitas barbitii meſſem fruſtratur, evaporante fumo, antequam concreſcat. Quæ pilorum in mento raritas atque infrequentia tacitis hominum ludibriis in *Caligulâ* exagitata fuit. Neque minus in *Iuliano* Apoſtatâ: qui ad coërcendam hominum illuſionem librum ſcripſit μισοπώγωνα dictum.

Dextra. Quid verò ſibi vult illa *Manuum* religioſa innexio? An in illis etiam mentis aliquid habitat, tanto à corde ſpatio dejunctis? Fœdera pangunt iſti homines, ut videtur, amicitias ineunt, hoſpitia uſuſque domeſticos conjungunt, pacem & concordiam ſanciunt, matrimonia nuptiaſque promittunt, fidem atque auxilia addicunt. Equidem vehementer mihi illa implicandarum amiciſſimè *Dextrarum* ratio placet: non ſecretâ Naturæ indole; ſed religione ac dignitate diviniſſimi membri inſtituta. O ſancta, ô venerabilis boni viri pars! quantam tibi auctoritatem, quantam majeſtatem DEI hominumque conſenſus & conſpiratio conciliavit! Per te DEVS æternæ dominationis gloriam, vim rerum omnium effectricem, perpetuæ felicitatis in cœlo locum ſignificat. Per te homines proſperè fluentium rerum conditionem, honoris præcellentiam, fortu-

fortunatum auſpicium, fidem atque amicitiam adumbrant. Tibi oſculum familiariſſimè impertiunt. Te in benignitatis, in honoris, in ſociati fœderis teſtimonium offerunt. Neque hoc quidem immeritò. Tu enim homini ſingularem dignitatem, tu incomparabilem illi commoditatem præſtas. Si quid ſunt fingendi, pingendi, ſculpendi artificia; à te illa habemus. Si ædium urbiumque ſtructura, ſi agrorum cultura, ſi veſtium textura pretium aliquod habet; à te illa accipimus. Si fidium dulciſſimi pulſus, ſi metallorum effoſſio, ſi marium fluminumque obvallatio, ſi beſtiarum terra marique venatio fructum aliquem adfert; tuo illa munere obtinemus. Tu exaratis in charta literis optimarum rerum ſcientiam doces, dictorum factorumque memoriam in poſteritatem propagas, vetuſtatis mortiſque injuriam perpetuæ famæ claritate avertis. Tu hoſtilem in corpore vim propulſas, cibum vitæ ſuſtentandæ comparas, animi voluntatem ac juſſa paratiſſimè expedis. Per te, ut *eloquentiæ loquitur magiſter*; poſcimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, ſupplicamus, abominamur, timemus, interrogamus, negamus, gaudium, triſtitiam, dubitationem, cõfeſſionem, pœnitentiã, modum, copiam, tempus oſtendimus. Quin in tanta varietate linguarum, in dextra communis qui-

nis quidam gentium ſermo eſt; quem omnes ſocietate quadam & commercio naturæ intelligunt. Tanta eſt in te autoritas, tanta dignitas, ut concitatæ multitudinis indignatio ad tui cõſpectum deſideat, fervoriſque commotâ bile plebecula majeſtate dextræ ſilentium accipiat, & poſitis iris ad modeſtiã componatur. Non præſtaret magnum nobis commodum rationis munus; non adferret tàm eximiam utilitatem orationis uſus; non meliorem multò brutis animantibus conditionẽ haberemus, ſi tuâ, Dextra manus, ope deſtitueremur. Quis igitur miretur, veteris noſtrique ævi moribus, bonorum virorum autoritatem in dextræ virtute conſiſtere. Hanc fidei, hanc amicitiæ fœderiſque ſymbolum & teſtimonium eſſe? Primus apud Romanos
Liv I. *Numa* fidem in ipſa dextra ſacratam eſſe vo-
D.l.1. luit: ſacrumque Fidei inſtituit; ad quod Flamines involuta in digitos manu ſolenniter proficiſcebantur: magno argumento, illam in dextris ſanctam ſacratamque, & propterea minimè violandam reſidere. Quem ſua ætate ſervatum Romæ morẽ Cicero indicat; dum,
11, Ant. 5 *dextram fidei teſtem ſcelere ac perfidiâ notatam*, dicit.
pro Dejot. Et in *Dejetaro*: *non tàm in bellis & prœliis, quàm in promiſſis & fide firmam dexteram* commendat. Et frequens eſt apud alios autores; *Dextram fidẽque porrigere*. In Oriente quoque illa dextræ au-
ctoritas

ctoritas plurimùm valuit: quorũ *Persæ*, si quid *Diodorus*
firmum illibatumque volebãt, illud dextræ pignore
sanciebant. Idem *Hircanis Medisque* fa- *Alex. l.5.*
ctitatum, ut dextram dextræ jungentes con- *c.3.*
ventiones & pacta sancirent. Et *Parthi* apud
altaria complexi dextras, tanquam diis testibus
& arbitris, postquã sacra libassent, pacta
pollicebantur. Quem sequuti morem *Germani*,
ad præstandam fidem, datis ultrò citroque
dextris sanctissimè se devinciunt. Neque in
extremis quidem agens *Darius* hoc Fidei sym- *Curtius.*
bolum neglexit; cùm confossus à *Besso*, & à
Polystrato Macedone aquæ haustu refectus,
dextram illi deferret; cujus se pignore ad deferenda
Alexandro mandata obstrictum sciret.
Quam fidei arcam ne violaret *Calavius Campa-* *Liv. D.*
nus junior, ita illum pater compellavit: *Paucæ* *3. l.3.*
*horæ sunt, intra quas jurantes per quicquid Deorũ est,
dextras dextræ jungentes, fidem obstrinximus, ut sacratis
de mensis essemus.* Illa jungendarum dextrarum
ceremonia in jungendis præcipuè fœderibus,
& faciendis amicitiis usitata fuit. Quẽ
ne quidem morem *Iesus Iosaphati* F. neglexit: *2. Reg. 10.*
qui occupato regno Israëlitarum, cum Sama- *15.*
riam contenderet, in viâ *Ionadabum* in suas partes,
ducta dextra, pertraxit. Neque *Armenij* & *Tac. l.12.*
Iberi; quorum Reges, quoties in societatem
coibant, implicare dexteras, pollicesque inter
se vincire, nodoque perstringere solebant.

Maro

Maro illum morem attingit: *Coeant in fœdera dextræ.* Et *Naſo* : *Dextram committere dextræ.* In quam mentem prudens fuit *Pythagoræ* admonitio , *Non unicuique porrigendam dexteram*, h. e. non promiſcuè omnes in amicitiæ fœderiſque ſocietatem admittendos. Ex qua tractum eſt conſuetudine, ut in mutuis amicorum congreſſibus , data dextra , ſalutationis officium peragatur. Quem in uſum quoque oſculum, priſco more, dextræ libatum fuit. Militibus illud Romanis in uſu fuit, qui victrices Impp. dextras deoſculabantur, quod ipſarum fideli opera uſi fuiſſent. Et legitur *Alexander* in fatali decumbens lecto milites ſuos ad dextræ oſculum admiſiſſe. Atque inde principum Veterum Statuę porrectis manibus poſitæ fuerunt. Quarum multas, quod ludicrum eſt, cum protenſis manibus aureas pateras, & coronas ſuſtinere *Dionyſius* Syracuſanus videret, eas tanquam oblatas ſibi abſtulit & in ſtabiliendæ dominationis uſum convertit. Ita à mutis ſimulacris dextras ſibi , in amicitiæ conſociatæ pignus, porrigi Tyrannus judicavit. Quas ſi appetenti denegaſſent, me illa indubium ſimultatis ac malevolentiæ indicium præbuiſſent. Factum hoc à *Iuliano* Imp. qui roganti *Nibridio* , cum militum telis impeteretur , ut dextram ſibi ſecuritatis indicem daret, *Et quid*, ait, *præcipuum amicis ſervabitur* , *ſi tu ma-*

Val. Max.

Amm. Marc. l. 21.

tu manum meam attigeris? Cujus exemplo *Dunſtanus* Epiſcopus *Edgarum* Anglorum Regem, quod moniali vitium obtuliſſet, ab amico porrigendæ manus officio rejicens, *Tu verò nefarie*, inquit, *manum meam contrectare audes, qui ſacram DEO virginem conſtupraſti? Nolo ſociatum mihi cum illo amicitiā, qui cum Chriſto inimicitias gerit.* Vincent. l. 24. c. 87.

Nulla fœderum religioſior eſt pactio, quàm Matrimonium; quod accepta, invicemq; data dextera multus apud Gentes antiquitus, ut noſtro etiam ævo in populo Chriſtiano, ſancitum fuit. *Perſis* ita atque *Aſſyrijs* in uſu fuit; qui dextræ pignore connubialem vitæ ſocietatem confirmabant. Arrian. de geſtis Aſſyr. Quod Græcorum quoque factum more *Ageſilai* Regis exemplum teſtatur, qui Oti Paphlagonum Regi filiam deſpondens, dextram dextræ conſeruit. Xenoph. Græc. rer. l. 4. Videtur hoc etiam *Punica Dido* ſignificare,

Per ego has lacrymas Dextramque tuam, te,
Per connubia noſtra, per inceptos hymenæos. Æn. 4.

Et ibid. *Nec te noſter amor, nec te data Dextera quondā,*
Nec moritura tenet crudeli funere Dido.

Igitur *Phyllis* neglectæ religionis iſtius *Demophoonem* arguit.

Iura, fides, ubi nunc? commiſſaque dextera dextræ,
Quique erat in falſo plurimus ore DEVS. Ovid in Epiſt.

Hoc ſymbolo Hoſpitiorum quoque ſocietatem veteres coiviſſe Poëta teſtatur;

Iungimus hoſpitio dextras, ac tecta ſubimus. Virg. 3. Æn.

Quo

Quo pignore *Achæmenidem Anchiſes* confirmat, ut tentorium ſuum ſubeat:

Virg. 3. Æn. *Ipſe pater dextram Anchiſes, haud multa moratus,*
Dat juveni: atque animum præſenti pignore firmat.

Redintegrata eſt eodem ritu gratia, diſtractique ſimultatis interventu animi in priſtinam concordiam reducti. *Plut.* Igitur *Marius* in urbem reverſus, cũ fœdis in populares cædibus graſſaretur, quos ſervatos volebat, porrectâ dexterâ in amicitiam recepit. Quo fine Germani *Specul. Sax.* olim Impp. ad ſtabiliendam pacem ſanciendamque concordiam, ſi præſentes ipſi eſſe nõ poſſent, chirothecas, dextræ fideique indices, tranſmiſerunt. *Lib. 18.* Et *Tacitus*, *Dextras, Concordiæ ſigna, ultrò citroque deſtinari à militibus ſolitas*, dicit. Quo ſenſu idem author, *Lib. 2.* *Dextras renovare*, ait. Neque comicus noſter morem illum *Plaut. Merc.* præteriit: *Vxor tibi placita & placata eſt, date dextras nunc jam.* Ideoque ſupplices porrigebant olim inermes dexteras, ſeque in fidem & gratiam iſto ſymbolo admitti petebant. Quod *Thucyd. l. 4.* *Lacedæmonij* uſurparunt, cum circumventi ab Athenienſibus manus quaterent, deditionis ſigno. Et *Pompejani*, cum in pugna pharſalicâ paſſis palmis ſalutem peterent. Qui Athletarum etiam mos fuit, ut victi certamine dextrâ exectâ pacem rogarent. Quo reſpiciens Maro, *Æn. 12.* *Dextram precantem*, Et Statius, *Achil. 1.* *Supplicem*; Et Cicero, *Phil. 10.* *dextram tendere*, dicit.

Non

Non libet nunc cætera humani corporis membra; quæ aut pudor, aut consuetudo vestium abdidit tegumento; curioso nimis oculo contemplari. Vocant me ad se *illi de suggestis in proximo perorantes*, homines, ut videtur, ex Academicorum familiâ exangues pallido ex chartis cultu, talaribus circumduti togis, in eum modum, quo Romani à bellis feriati forum frequentabant. Iste, qui nunc ad dicendum consurgit, Medicinam, ut puto, profitetur: quod urinariæ ad manum matulæ, & unguentariæ thecæ arguunt. Et de *Humoribus* quidem humani Corporis, de *Aetate*, de *Sexu*, de *Colore*, quæ ex illis animi morumque cognoscendorum documenta sumantur, disserturum se pollicetur. Quàm huc bono auspicio intulimus pedem, suggerente sese ultrò discendi occasione, quam avidè captabamus. Accedamus propius, & advertamus animum diligenter: ne quod disertissimi Hominis dictum aures nostras prætervolet.

CAP. V.

De Humorum Indiciis.

Magna est Morum ac Humorum in homine consensio; ut vitia ac virtutes non alio pene ex fonte, quàm ex corporis habitu *Humorũ indicia.*

 succo-

ſuccorumque temperaturâ redundent. Hinc mens humana miris modis afficitur, varieque conturbata in diverſos ſtatus detorquetur. Hinc aut ad vitia, aut ad virtutes vehementiore cupiditatis impetu propendemus. Hinc ad intelligendum & ſapiendum magis minuſve valemus; ad expediunda negotia paratiores tardioreſve ſumus, ad obeundam civilis vitæ functionem imparem curam ac dexteritatem conferimus. Hinc aliâs procelloſo ſolicitudinum æſtu jactamur; aliâs ſedatis reſtinctiſque perturbationum motibus in ſecurâ tranquillitate verſamur. Nunc ſubditis iracundiæ facibus feroceſcimus; aliquando benigni ſermonis morumque facilitate omnium in congreſſu gratiam demeremur. Neque aliter ut corpus pro diversâ humorum affectione variatur: & aut collapsâ valetudine languet; aut integra incorruptaque ſanitate omnes officii ſui partes probè alacriterque exequitur: Ita ab eodem principio animus in diverſas morum ſpecies transformatur, & convenientem temperamento corporis habitum aſſumit. Si ſua illi perſtiterit moderatio, apta concinnaque humorum commenſuratione, mores integri ſunt atque incorrupti, mens placida ac ſedata, animus acer atque induſtrius, vitæ totius probitas ſpectata. In ſermone comitas, in vultu benignitas, in geſtu decentia,

decentia, in frænandis cupiditatibus moderatio, in capiendis conſiliis providentia, in obeundis negotiis dexteritas eluceſcit. Sin imbutis vitioſâ qualitate humoribus intemperies dominetur, cum corporis ægrotatione animus illicò ſanitate ſuâ ſpoliatur. Ira, excandeſcentia, obtrectatio, metus, pavor, ſolicitudo, æmulatio, cæteræque malarum libidinum peſtes erumpunt: quæ rationis obluctatæ imperio hominem à rectâ virtutis viâ abducunt, & profundo ſæpè exitialium errorum miſeriarumque immergunt. Faculas videmus minus exhibere lucis, quando impolito parumque nitido inſeruntur lucernario: ita mentis lumen fœculentis humorum offuſum tenebris obtorpeſcit, obtuſaque rectę rationis & conſilii acie, pro violento cupiditatū impetu in ſuam perniciē impellitur. Vitalis hîc præcipuæ ſpiritus ſunt partes; qui contractâ ex impuris humoribus labe, diffuſuſq; per univerſum corpus animi ſecuritatem perturbat, morum integritatem deperdit, hominem ad enormes perverſarum libidinum impetus avertit. O miſerabilem illius conditionem, qui in iſto lutulenti corporis domicilio verſatur! Neque enim magis in placido ſecuritatis portu acquieſcet, quàm in tempeſtuoſo mari navicula, validiſſimis aurarum flabris huc atque illuc acta. Ut enim incumbens terræ

marique ventus ſæviſſimas tempeſtates excitat, commotiſque in alto fluctibus littora aggereſque convellit, ac lacrymabilem ſatis atque animantibus noxam infert: Ita turbulenti in corpore ſpiritus horribiles animi motus cient, jactatumque perturbationum impetu pro arbitrio verſant. Fruſtrà obluctatur ratio; dum impotens ſui cupiditas, velut navem excuſſo nauclero, avulſoque clavo, damnoſis errorum ſcopulis hominem impingit.

Ex hoc humorum ſpirituumque ſeminario tanta inter homines morum atque ingeniorum pullulat varietas. Hinc una anima in uno homine tàm multiplices ſæpè actiones edit. Hinc illa cogitationum, cupiditatum, affectuum, perturbationum diverſitas oritur: quę ſumptis ex aëris alimentique natura viribus rationis frœnum excutiunt, niſi fulta divino præſidio hoſtilem à ſe impetum propellat. Intuere mihi illos aurigas, bajulos, vectores, ſalſamentarios, quique aut ſub armis duram vitam agunt, aut in luſtris popinariis lutulentâ cereviſiæ fece paſcuntur. Quàm illi ex craſſo impuroque ſanguine aſperos habent mores! Quanta in hoc hominum genere eſt ferocia! quanta inhumanitas! quàm gerunt pectora obtuſa, nullis conſcientiæ ſtimulis perfodienda, nulla bonorum reverentia, nullo religionis metu, nulla turpitudinis verecun-

dia emol-

dia emollienda? Non est illa morum immanitas in defæcati sincerique sanguinis hominibus; qui animo placido ac sedato ad humanitatis & benevolentiæ studia propendent, turbulentos cupiditatum motus comprimunt, pudore ac verecundia in officio continentur: rarò aut irâ exardescunt; aut vindictæ cupiditate accenduntur; aut malæ libidinis impetũ admittunt. Quod si vel incommodi accepti indignatione, vel cupitæ rei desiderio tacitè latenterque effervescant, atque intra se tumultuari incipiant; ut cum indignatione ventorum mare cohærescit, suspensis in alto undis, solutaque magis tranquillitate, quàm fluctibus excitatis; confestim adhibita in consilium ratione, motus exorientes componunt, antequam in graviorem tempestatem erumpant.

Humores singuli.

Nulli quidem tam sunt abditi animorum recessus, nullæ tàm reconditæ intimisque penetralibus retrusæ pectorum latebræ; quas nõ humorum in corpore exundantium dominatio aperiat, & in conspectu ponat. Ut in quoquã aut pituita congeritur; aut bilis exuberat; aut synceri sanguinis copia abundat: ita ad certa morum studia conformatur, & ex temperati corporis statu animi habitum adsciscit. Atque ut aër, pro diversa cœli temperie, variæ qualitatis spiritum herbis atque animanti-

bus affundit: ita humorum in corpore moderatio ſuam animo vim impertit, illique aut ſalutarem virtutis auram adſpirat; aut exitialem vitiorum peſtem adfert. *Pituita.* Veniat huc in medium ille corpore adipoſo, facie albicante, cute glabrâ, capillo ſpiceo, inceſſu tardo, oſcitando pandiculandoque fœdam ore illuviem rejiciens. Noſco indolem tuam, Homo: teneo corporis animique tui ſtatum: non minus, quàm ſi eodem tecum ovo natus eſſem; aut diuturnæ vitæ contubernio decem ſalis modios unâ tecum abſumpſiſſem. Caput quidem moleſtâ gravedine opprimitur. Fauces tuſſi ac raucedine infeſtantur. Os ac nares mucro affluente redundant. Corpus univerſum, manante in partes inferiores uligine, ad ſomnolentiam, ad deſidiam, ad veternum inclinat: in curandis officii ſui partibus tardum, inhabile, impeditum. Animus ſopito immerſoque frigidæ ſentinæ calore, hebet, ingenium languet, memoria vacillat, ſenſus obtuſi ſunt: ad præſtantium doctrinarum ſtudia, ad res dextrè gerendas, ad gloriam magni nominis parandam, exigua à te ipſo præſidia obtines. In eo laudem mereris, quod miti ſedatoq; es ingenio; quod à naturæ acerbitate alienus vix unquã ſtomacho atque iracundiâ efferveſcis; quod non occultas animo fraudes verſas; non technis fallaciisque alios circum-

circumvenis; non ſicam vibras; non venena ſpargis. Nihil in te cum *Antonio Cæſar* agnoſcit; quod aliquem ipſi metum ac formidinem incutiat. Tuus, *Bilioſe*, pallor, & illa compacti corporis gracilitas, illa flammea faciei fuſcedo, illa criſpi capillamenti nigrities, volubilis lingua, hiſpida cutis, majores promptioreſque habet nocendi vires. Ut enim eſt in te animus acer, alacris, erectus, qui ad res præclaras ſtimulos tibi admovet atque incitamenta; ingenium ſolers, acutum, inquietum: ita dolis inſidiiſque moliendis ſingularem aptitudinem habes. Atque ut Apes. *Bilis.*

Ingentes animos parvo ſub corpore geſtant: *Virgil.*

Ita modico in corpore magnos alis ſpiritus; iram facilè concipis, facilè deponis; negotia ut expedis dexterrimè; ita eludis ſæpè ſocium vaferrimè; in venerem præceps; in honorum certamina proclivis;

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer. *Horat.*

Væ tibi, ſi bilis illa tua, aut exuſta nimii caloris vi, aut computreſcens atram fuliginem concipiat, atque aut ex naturæ indole, aut diuturni mœroris carnificinâ, aut ſuppreſſo naturæ profluvio, aut jugi ſtudio & intempeſtivâ lucubratione in Melancholiam devergat. Namque ut atra nubes ſoli offuſa radios illius intercipit, ac lumen offuſcat. Ita bilis deflagratæ cineres mentem obdu- *Melancholia.*

 cunt,

cunt, omnemque ingenii lucem homini præcipiunt. Hinc igitur denſa fuligine cerebro impleto, corpus affligitur; animus malè habet: homo difficilis, querulus, moroſus, durus, intractabilis, præfractus, avarus redditur. Multa eſt in illo invidia, æmulatio, amarulentia, odium, indignatio, malignitas, dolor animi inexhauſtus, ſolicitudo anxietaſque nulla conſolationis medicina corrigenda. Quod ſi invaleſcens deterrimi humoris vis in principes partes imperium ſumpſerit, mentis oritur alienatio; qua ſibi alii cervina ad frontem cornua; alii pendulam ad nates caudam affinxerunt. Quidam in lupos; in milii ſemina, à Gallinis devoranda; in mortuorum ſpectra commutatos ſe crediderunt. Nonnulli capita ventreſque intus ranis, muribus, buſonibus obſideri ſunt imaginati. Multi ad deſperationem ac diffidentiam delapſi calamitoſo funeſtoq; exitu vitam finiverunt.

Sanguis. Nullum quidem iſti, quem in proximo video, florido vultus colore, ſubnigro capillo, rutila barba, elegante adſpectu, amabili ac gratioſa corporis venuſtate, ab iſto ſolicitudinis impetu periculum impendet. Syncero defecatoque ſanguine ſcatet: quo neque corporis ullus ſtatus ad proferendam vitam, ac removendam ſenectutem eſt commendatior; neque ad capienda virtutum ſcientiarumque magnarum ſemina magis lau-

gis lau-

gis laudatus: maximè, si modicâ bile temperetur, & salutari educationis præsidio fulciatur. Adolescit enim in uberrimam frugem illa boni sanguinis indoles: ut vites arboresque generosæ pretiosos ferunt fructus, si fertili depactæ solo, dum adhuc teneræ sunt, diligenter educentur. Delitescit sub hoc humore expedita mentis agitatio, morum amabilis venustas, dicendi facultas, agendi dexteritas, singularis ad imitandum quidvis aptitudo: quæ dotes, cum ætatis calorisque nativi accessu, quotidiano usu atque exercitatione communitæ magnum sæpè Reip. gerendæ usum atque ornamentum contulerunt. Sin ille meracissimi sanguinis liquor nulla calidæ bilis acrimonia coërceatur, effervescentis instar musti, in venis ebullit, animique puerilem mobilitatem atque inconstantiam parit. Nulla est in vultu gestuque corporis modestia, in moribus gravitas, in agendis rebus prudentia, in judicando ratio, in moderandâ vitâ consilium, in persequenda virtute gloriaque diligentia. Nihil animo cogitatur serii, nulla de gravioribus rebus instituitur meditatio. Cõpesce, Adolescens, exultantem inaniter sanguinis ebullientis spiritum, coërce vitulantem indecorè immodestiam, adjunge tibi prudentes vitæ moderatores; aut instabilis illa volubilisque naturæ tuæ conditio ad luxum,

ad obſcœnos amores, ad diſſipandum patrimonium, ad turpia Bacchi Veneriſque ſtudia, ad deteſtanda malarum artium exercitia deſciſcet.

Neque homines tantùm ſinguli; ſed Nationes univerſæ, ex illâ corporis temperie, ſtudia moreſque ſuos moderantur. Quis Aſianam neſcit mollitiem, impetus evanidos, iras citò conceptas, citò deferveſcentes, ingenia prompta, ſolertiam induſtriamque obeundis negotiis ſingularem? Sanguinis cæterorumque humorum hoc facit tenuitas; quæ & ingenii vim intendit, & iras, ad primum plerumque impetum deflagrantes, inflammat. Aliam in objectis Aquiloni populis indolem animadvertes: quos ſãguis craſſus denſiq; ſpiritus tardiores quidem reddunt, & hebetes; ſed ad pericula ſuſcipienda impavidos, ad perficienda negotia conſtantes, ad tolerãdas moleſtias firmos,

Cap. VI.

De Aetatum ſingularum Moribus.

Vita quidem humana non inſcitè Fabulæ comparatur; quam ille benè peregiſſe putabitur, qui, tanquam exercitatus hiſtrio, in extremo benè deſiit, impoſitaque ſcenę clauſula rebus humanis valere dixit & plaudere. Quo reſpectu in quinq; partes actuſque Ætas noſtra à Veteribus diſtinguitur, quindecem unaquæque

quæq; annos complexa. Prima ſectio XV attingẽs an. Pueros habet, puros à virilium vitiorũ labe. Secunda ad XXX porrecta Adoleſcentes, ætate ſtaturaq; corporis jã adultiores. Iuventus in XLV excurrit ann. magnum armorũ tractatione Reip. præſtans juvamentum. Inde in ſextam decada Virilis Virtutis maturitas profertur. A quo gradu extremus vitæ actus in Senatoria Senectute finitur, fabulam humanitatis conſummante. Aſtrologi ad Plantarũ rationem ordinemq; univerſos Ætatum commenſus deſcribunt. Primũ vitę tyrocinium ob vim vegetalis potentię humectã Lunari ſubjiciunt poteſtati. Secundum gradum Mercurio aſſignant: quando paulò confirmatior pueritia literis luctiſq; & luſibus operam impendit. Tertiæ obturgeſcentibus ſemine membris Venerem præficiunt: quum ----- *Surgunt*

---- Celereſque pili, mirandaque matri Barba. Mart.

Iuventutem adultam & florẽ vitæ delibatum fons luminis ac mundi mens Sol moderatur. Mars calidus ſiccuſque virilitati robur impertit. Sexta ætas Iovi ſubjicitur civilem homini prudentiam largienti. Septimam Saturnus ad Senilem frigiditatem, aſperoſque mores, & deſidiam profligat. Solon vitalem menſum decem hebdomadibus, Philoſophi Incremento, Statu, Decremento circumſcribunt. Quos ſequuti ferè Medici, Adoleſcentis, Vi-

tis, Vigentis, Seneſcentis vitæ decurſum ſtatuunt. Omnium pulcherrimè *Ovidius* diſcriminata Animi tempora, duobus Æquinoctiis, totidemque Solſtitiis comprehenſa quatuor hominum ætatibus comparat.

Metam. l. 15.

Quid? non in ſpecies ſecedere quattuor annum
Aſpicis? ætatis peragentem imitamina noſtræ.
Nam tener, & lactens puerique ſimillimus ævo,
Vere novo eſt: tunc herba virens, & roboris expers
Tranſit in Aeſtatem: Poſt Ver robuſtior Annus
Fitque valens Iuvenis: neque enim robuſtior ætas
Vlla, nec uberior, nec quæ magis ardeat, ulla eſt.
Excipit Autumnus poſito fervore juventæ,
Maturus, mitiſque inter juvenemque ſenemque
Temperie medius, ſparſus quoque tempora canis.
Inde ſenilis Hyems tremulo venit horrida paſſu,
Aut ſpoliata ſuos, aut quos habet alba capillos.

Quos humanæ vitę quatuor gradus certis, per ætatis incrementa, nominibus ſcitè Græci diſtinguunt. Editum recenter in lucem fœtum βρέφος dicunt; qui loquutionem inceſſumque moliens Παιδίσκιον; & ſui aliquam præbens operam Παιδίσκος; & literarum vacans ſtudiis Παῖς, audit. Adoleſcentem ætatem Παλλακὴν appellant, armis vibrandis validam; quam Εφηβότης, pubertas excipit; & in virilem porrecta ætatem, νεότης: quæ adultior μέση nuncupatur. Viri nomen ὑποπόλιος; & illius Πρεσβύτης abolet: quos in extremo ætatis actu ſequitur Εσχατόγηρος, & poſtre-

poſtremò in fabulæ clauſulâ Πολιοκρόταφος; qui à proximo inferni additu Πέμπελος etiam nominatur.

Singuli Ætatum progreſſus ac curricula, inde uſque à primâ infantia ad extremam ſenectutis orbitam, ſuos ſecum ferunt mores, in quos cum annorum flexu, mutato corporum habitu, tranſeunt. Percurrite mecum; niſi moleſtum fuerit vobis, pueritiæ memoriam ultimam recordari, & obrepentis ſenectæ incommoda animo proponere; omnes humanæ vitæ dimenſus & ſpatia, quaſq; animus noſter cũ ætatis procurſu ſubeat mutationes, cognoſcite. In proximo Puerilis vitæ, ut audio, ponitur tyrocinium. Eamus eò, quò nos vociferatio tumultuſque puſillorum vocat, ſimiliſque vitæ exemplo noſtræ memoriam prætextæ animo repetamus. Tenete effrænem rogo riſum, ut iſto ſtolidæ fatuitatis ſpectaculo perfrui ad libitum poſſimus. Quàm hîc videtis incompoſitas fieri geſticulationes! quàm ineptos, inſulſos, ridiculos edi motus! quàm eſt indecora pedum brachiorumque jactatio! quæ corporis per ſummam laſciviam vibratio! quæ in ludis immodeſtia; in jocis protervia; in ore, voce, nutibus, plauſu, cantilenis morum inſolentia; in omni actione inquietudo, petulantia, ſtoliditas! Non Roſcius aliquis de induſtriâ ſtultiores, ad movendum riſum, ageret geſtus: aut Mo-

Pueritia.

aut Morio quiſquam magis joculare ſeſe populo ſpectaculum præberet. Non Simiarum catuli ineptiores formarent motus. Non vituli ſtabulis primum emiſſi magis ridiculos in vernante prato facerent ſaltus. Quis non hæc vagæ volubiliſque naturæ eſſe indicia, & puerilis animi mobilitatem atque inconſtantiam teſtari judicet? Eſt enim in illa ętate bruta quędam inopſque mentis bonæ ſimplicitas, morum ineptitudo, corporis inquies, laſcivia, inſolentia, inconſtantia, animi impotentia: cujus impulſu verſatur, atque in omnem partem tanquam frœno circumagitur. Nullum in moderandâ vitâ ſubeſt conſilium, nulla in refrænandis cupiditatibus ratio, in faciendo rerum delectu prudentia, in præſentibus ordinandis, in futuris providendis cogitatio. In culpa eſt ſanguinis meraciſſimi ebullitio: qui turgido perfuſus ſpiritu corpus inquietum, animum inſtabilem facit.

Adoleſcentia. A puerili innoxiarum cupiditatum ſtultitia ad *vitæ Adoleſcentis palæſtram* tranſeamus: in qua floridæ Vigor ætatis in juveniles impetus exardeſcit. Quantus hîc eſt flagrantium animorum fervor! quàm vehementes libidinum æſtus! quàm incenſa laudum ſtudia! quæ virium conſciarum fiducia; ad audendum promptitudo; ad agendum loquendumque audacia!

Imberbis

Imberbis juvenis, tandem custode remoto, *Horat. de*
Gaudet equis canibusque, & aprici gramine campi, *art. Poet.*
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper;
Vtilium tardus provisor, prodigus æris;
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.

Non aliâs unquam certiores virtutum vitiorumque adolescunt radices, quàm in isto ætatis lubrico: ubi improvida atque inconsulta temeritas, ex biviis studiorum faucibus, facilè in partem alteram fervidi sanguinis impetu abripitur, seque aut rectis artibus mancipat, aut per ignaviam socordiamque deperdit. Ingredere, DEO duce, laudabilem Virtutis viã, omnique ope adnitere, Adolescens, & tu inprimis, quam in Honoris ac dedecoris confinio video, *prima mei sanguinis propago*; ne cæco cupiditatum impetu longius à virtutis rectitudine abstraharis. *Interfatio authoris.*

Quod facis, à primo virtutem fortiter ævo
Exere; dum Musis Ver juvenile locas.
Perge citos inferre gradus, & Honoris ad Aedem
Macte, laboriferâ nitere, Nate, viâ.
Illic multarum stabulantur Monstra ferarum;
Quæ tibi, nî caveas, damna pudenda ferent.
Hîc inimica tibi protendet tela, Voluptas,
Et lepidum Siren concinet ore melos.
Istic incutiet tardos Ignavia sensus,
Aoniæ metuens asperitatis iter.
Nequities alibi vafri malesuada Sodalis

Cæcâ

Cæcâ fraude dolos insidiasque struet.
Huic mala Paupertas: illi Dîs copia: mentem
Altius illa levat; deprimit ista: nocet.
Sunt, quibus Iscarios fallax Persuasio sensus,
Elati vitreâ cognitione, dedit.
His tu cum Monstris; animis & pectore, Fili,
Firmo opus est; forti prælia Marte seres.
Adjuti vicere DEO: Labor omnia vincit:
Omnia cum precibus fervida Cura potest,
Macte animo puros quære ambitiosus Honores:
Vt sis fida Novæ, Nate, calumna Domus.
Henricus juncto, tua per vestigia, Iano,
Repet, Alexandro corripiente gradum.

Reinerus, Henricus, Ioannes, Alexander Neuhusii.

Sed quis illic est in Circo concursus & contentio manuum consertarum? Perstrepunt horribiliter iratorum voces pugnam sibi ęquo Marte deposcentium. Ardent oculi; spumant ora, dentes, lingua, pedes, ad committendum cum adversario prælium expediuntur. Crepunt malæ diris pugnorum ictibus verberatę. Gemunt pectora infesto adsultantium impetu collisa. Fodiuntur genæ unguibus, vellicantur comæ, mutilantur aures, nulla corporis pars crebro ictuum pulsu vacat. Neque dat inducias furiosa effrænisque dimicandi cupiditas; nisi cùm fatigatio ictum suspendit, dextræque ad graviorem impetum laxantur. Ille repetitis verberibus in terram dejectus altissimo in cœno volutatur. Iste excussis dentibus crassum

craſſum ore naribuſque cruorem rejectat. Alius impar congreſſus Achilli ad fugam circumſpicit; aut miſerabili ejulatu cœlum pulſat, hominum Deorumque opem implorans. Dextrâ ſiniſtrâque ingeminantur ictus,

------ Erratque aures & tempora circum
Crebra manus.
Tantus amor rabidi, ſuccenſo à ſanguine, Martis,
Dum voces linguæ ambiguas, & noxia verba
Verberibus penſare ſtudent, ingeſtaque ſolvunt
Probra manu, & dubias forti certamine lites.

Poſitis inſaniendi faſtidio contentionibus, ad variarum artium accurritur inſtrumenta, ut pro naturæ impetu certis ſeſe quiſque ſtudiis applicet. Quos ad vilia ſordidi quæſtus artificia ignobilis ducit indoles, aut ligno elaborando ſecurim, aut metallis expoliendis ſtylum, aut veſtibus ſarciendis aciculam, aut telæ ducendæ radium arripiunt. Alios divina ingenii vis aut Sapientiæ ſtudiis, aut militari diſciplinæ, aut aliis præclararum rerum negotiis conſecrat. Sunt, qui otio gulæque mancipati per ſocordiam corporiſque gaudia vires atque ingenium diffluere ſinunt. Qui inſanâ commeſſationum dulcedine, nihil aliud vivere putant, quàm bibere. Qui Circæis poculis & Sirenum cantu ab humanitatis dejecti poſſeſſione, in brutas animantes trãsformantur. Et reperias in hoc Nepotum cœtu, qui animos

immodico cupiditatum æſtu efferveſcentes felici ſæpe moderatione repreſſerunt, reciſaque luxurie ad juſtam ſapientiæ frugem perducti ſunt. *Phædon Socratis* à lupanari; *Polemon Xenocratis* à luſtris & popinis ad Sapientiæ diſciplinas tranſiit. *Themiſtocles Miltiadis* excitatus trophæo, poſtquam ad luxuriæ metam adoleſcentiæ flexu adhæſiſſet, fortem Reip. operam navavit. *D. Auguſtinus* adoleſcentiam libidinoſam & protervam ad præſtantem pietatis cultum tranſtulit. Diſplicent ignavi deſideſque, quos turpi veterno torpentes, nullius ſtudii attollit impetus, nullus ingenii fervor præcipitat, nullæ æqualium à prima adoleſcentiâ cupiditates, non ludi, non joci delectarunt, non acrior affectus animique impetus vehementior extulit: qui plerumque inutili languore ante primam ſenectutem marceſcunt. In poſterum conſulere, & futuri temporis exitum prudenter cogitare Adoleſcens neſcit: quia redundans ſanguis lætarum rerum ſpecies animo ſemper ingerit, neque crudæ vires obnoxias ſe fortunæ eſſe arbitrantur. Non probat eadem diu conſilia; quæ eſt animi inſtabilitas, & vacuitas prudentiæ. Amicitias quàm facilè eligit, tàm facilè diſſuit: non tàm veræ benevolentiæ conjunctione; quàm ſtudiorum eorundem conſenſione confirmatas. Quam in conjungendis immatu-

Hieron in Oſeam c. 1.

Plut. in Polit.

maturè nuptiis adhibet ſæpè temeritatem: dum ſopita ratione cœcus, ſtupenſque animo, digitis magis ac oculis, quàm auribus mulierem deligit!

Intempeſtivam crudarum adhuc virium ætatem, deferveſcente adoleſcentia, & reſidente juvenili impetu, ſtata & confirmata excipit *Virilitas*, medium vigentem inter juventutem & rigentem ſenectutem locum tenens. Quid verò vos, ô Viri, demiſſis in manum capitibus doletis? quid frontem feritis? cur lacrymabiles quæſtus funditis? Novi ætatis illius, mores atque ingenium. Exactam per luſus & jocos adoleſcentiam mœrent. Emarcuiſſe per ſocordiam jucundiſſimæ vitæ florem; præteriiſſe incogitanter, ſtultè, turpiter vernantis ævi dies queruntur. Igitur nunc caſtigatur fervidæ præcipitiſque juventutis impetus. Injicitur cupiditatibus frœnum. Cohibetur animus plus nimio ſanguinis ebullientis ferocia exultans. Ruinas, quas temeraria & incauta fecit adoleſcentia, virilis ſedulitas corrigit, converſiſque ſtudiis omnia conſideratè, providè, prudenter agit. Alia tempora alios mores poſtulant. Dilapidata fuit antea pecunia? Nunc ſuſtentandæ familiæ ſtudiosè aſſervatur. Deſpecta fuit honoratorum munerum dignitas nominiſque exiſtimatio? *Virilitas*

Nunc omnibus ingenii induſtriæque artibus quæritur. Nihil inexpertum relinquitur, nullum ſtudium conatuſque prætermittitur, ut honos atque opes parentur. Quantus viris adeſt ſudor! quanta laborant molitione, ut ſe humo attollant, & conſpicuo alios honore excedant? Quod ut aſſequantur, amicitias atque inimicitias ex ſuo magis commodo, quam ex re ac fide æſtimant. Aliud ſæpè in linguâ, aliud in pectore promptum habent. Prece precioque ad dignitates graſſantur. Quibus artibus conſequuti imperium, trahunt, rapiunt, furantur. Publico diſpendio lacunas domeſticas explent. Hic auro patriam vendit. Iſte domi Reip. nundinas inſtituit. Ille ærario animam interbibit. Optimus quiſque non gratiâ, non largitione, non malis artibus; ſed verâ virorum virtute nititur: quam tamen ſine præmio non libenter colit. Vis in hac ætate judicii præcipuè viget: nō juvenilis impetu fervoris, non æſtu cupiditatum violento concitata. Ita validum eſt corpus, ita pollet animus; ut quantacunque mortalibus vita ſuppetit, in hanc annorum gratiā data videatur, & hominem te agere credas, cùm te adoleſcentiæ decurſus virum effecit.

Senectus. Sed vos in vegeto virium conſtituti vigore, Viri, illam olim à tergo triumphantibus ingeſtam commonitionem cogitate, &, vos *Homines*

mines esse, qui post paucorum annorum decursum, prostrato attritoque corporis robore, certum subeatis exitium, attendite. Dum superba virium fiducia insolescitis; dum securi de fato animi, corporum mentiumque integritatem jactatis, non intellecta vobis obrepet *Senectus*, & gravatos multis incommodis ad terram matrem inclinabit. Eheu, quam graves hominem istis annis circumveniunt difficultates! quot obruunt molestiæ, quantæ tristium malorum affligunt acerbitates! Corpus defectum viribus languet. Ingenium hebetata intelligendi acie stupet. Animus, insinuato frigidi sanguinis timore, ad omnem impendentis periculi casum exterretur.

Multa senem circumveniunt incommoda; vel quod Horat. art.
Quærit, & inventis miser abstinet, ac timet uti;
Vel quod res omnes timidè gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor castigatorque minorum.

Fœdum inprimis vitium adfert Senectus hominibus, attentiores ut ad rem sint, quàm sat est. Cùm neque vita in quamplures annos proferri; neque exhaustum ac debile corpus effuso in luxum sumptu oblectari possit, stupida frigiditas, magno mortalitatis ludibrio, avidissimè fortunas expetit, & in ipso sepulchri aditu famem ac inopiam veretur. *Simonides*

Plut. an seni Resp. tract. istius avaritiæ specimen exhibuit; de qua reprehensus, *Senectutem suam aliis orbam voluptatibus, unâ foveri dixit quæstuariâ.* Quo insanior alius, sub mortis tempus, deglutitis aliquot aureis, fato perfunctus est: fortè ne in longa difficilique ad Erebum via viatico destitueretur. Alius, insutâ tunicæ pecuniâ, in eâ sese, citra alium funeris honorem, contumulari jussit. Non difficulter illos in cymbam suam accepit *Charon*, naulo ad vecturam parato. Non minorem Senio infamiam adfert Timiditas, ad tentandam fortunam, audendũque casus incerti facinus tarda segnisque. Dũ enim ancipites rerum casus anxia secum cogitatione versat, suisque atque aliorum docta periculis dubiam Fortunæ aleam extimescit, ad aggrediendum magnæ rei negotium cunctanter accedit, mavultque secura tuto in otio acquiescere, quàm pro magna gloria commodoque magnum discrimen subire. Cautam diuturno fortunæ usu experientiam frigidus corporis confecti sanguis amplius refrænat, generosi pectoris calore, qui facem subdere virtuti solet, consopito. *Fabij* consulta cunctatio rem Romanam fractam contusamque Punicis armis restituit. At senilis ejusdem timiditas, cohibito *Scipionis* impetu, redeuntem felicitatem penè à patriæ liminibus arcuerat. *Parmenionis* clara erat at-

Livius D.3.l.8.

Curtius.

que

que exercitata Philippi armis virtus. At illius in ſenectâ religioſa ſupra modum circumſpectio, ſuaſa cum *Dario* pace, Perſici regni ſceptrum, & inclytas de Barbaris victorias *Alexandro* ferè præripuerat. In hac animi corporiſque debilitate juniorum tamen conſilia & induſtriam inſolentiſſimo faſtidio contemnunt. Sibi fidem haberi, ſuis omnes imperiis obſequi, ſuam in obeundis negotiis moderationem ductumque ſequi poſtulant. Si non obtemperes, deſpectui eſſe capitis olim venerabilem canitiem queruntur. Inconſultæ temeritatis impetum; cruda præcipitis audaciæ conſilia; cæcam, inconſultam, inexpertam, improvidam, furentem adoleſcentiam clamant. Non ut manus pedeſque, ita lingua ſenibus obrigeſcit: quæ per annorum ſuorum infinitâ oratione vagata ſeriem audientium fatigare aures ſolet. In quo hoc maximè odioſum, quod ſui ſemper ſęculi mores homineſq; ad cœlum extollant; præſentium rerum conditionem, ut miſeram atq; abjectam, cavillentur. Ita vitæ noſtræ plerumque quod vino accidit: quod, cum modicum ſupereſt, aceſcit.

Hos vitæ devexæ nævos confirmata multorum annorum uſu Prudentia excuſat: quæ repetitâ præteriti memoriâ temporis, ſalubria gerendarum rerum conſilia ſuggerit, futura ſagaciter proſpicit, præcipitem temeritatis

impetum bonæ mentis frœno coërcet. Alibi corporis ingeniique vis ac vigor; hîc anima valet: quando deficiente corpore, & defervente cupiditatum incendio, ſola lætius viridiuſque progerminat ſapientia. Igitur *Themiſtocles*, tranſmiſſis vitæ annis centum & ſeptẽ, cum contrahi lineas ſentiret, tum demigrandum ſibi doluit, cum ſapere præcipuè exorſus eſſet. Quàm verò ſæpè illa ſenum providentia publicis privatiſque rebus ſaluti fuit! Quoties cladem impendentem præcavit! Quoties poſitam in extremo diſcrimine Remp. ſervavit! Neque enim viribus, aut voluptatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur; ſed conſilio, authoritate, ſententia: quæ per ſenilem debilitatem invaleſcunt, animo corporis vinculis minus obligato.

Cum ita copioſè ornateque de Humorum Ætatumque præſagiis diſſeruiſſet Medicus, jamque de *Sexu*, & *Colore Vultus*, adjicere orationi ſuæ auctarium vellet, alius ex eadem ſcholâ, ætate, ut videtur, junior, collecto ad ſurgendum pallio, rogataque dicendi veniâ, iſtas ſibi partes depopoſcit: quem, dum in tranſitu hæremus, obiter quæſo, per exigui moram temporis, audiamus.

CAP.

Cap. VII.

De Sexus Indiciis.

SExus homini à natura adgenitus, *Colorumque in Vultu pigmẽta*, certa, meo judicio, proferunt indicia; ex quibus mores indoleſque hominum præcognoſcantur. Sexus quidem non magis externâ corporis figurâ veſtiumque diſſimili cultu; quàm diverſo naturæ habitu diſtinguitur. Expertus eſt hoc in ſe ipſo Poëtarum ille *Cæneus*, qui ex fœminâ vir factus cum corporis figura mores mutavit, exutâque muliere virilem animum aſſumpſit. At non opus eſt Poëtarum fabulis, in tantâ mulierum copiâ: quæ vivâ morum ſuorũ imagine, quàm diſſimilem viris indolem acceperint, in conſpectu ponunt. Age, adducamus aliquam in ſcenam, non ex matronarum præſtantium choro; ſed ex promiſcuâ multitudine, ac gregaria fœminarum colluvie, Mulierculam: cujus expreſſa delineataque indole, quantum ille ſexus à virorum differat ingenio, cognoſcamus. O imbellis, timida, formidoloſa, fracti *Muliebris timiditas* abjectique pectoris animus, quàm in te nihil eſt audentiæ virilis! nihil maſculi roboris! nihil, ad ſubeundum fortunæ diſcrimen, animi! Quicquid increpat, pertimeſcis. Ad quemvis incertæ famæ rumuſculum percelleris. Si pue-

rorum inſonent crepitacula; ſi aliquis in angulo ſorex deſticet; ad Ceraunoſcopii & Periacti in ſcena vibrationem; ad Claudiani tonitrui ſonitum, quaſi jugulo, aut præcordiis acies admoveretur, exhorreſcis. Qui ſi virorum pectoribus aliquando ſe metus inſinuet, quantis ex tuæ indolis cognitione, opprobriis vexantur! quàm turpi fœminei pavoris notâ, δείσῳ μεγίςῳ, dehoneſtantur? A primis Mundi temporibus vulgata eſt illa timiditatis inſectatio. Proinde Ægyptiorum Rex *Seſoſtris*, cùm imbellem in Aſiâ Gentem, ἀμαχητὶ καὶ ἀκονητὶ, ad leges ſuas redegiſſet, ſurrectis cippis γυναικῶν αἰδοῖα inſculpi juſſit. Qua cum Corinthii infamiâ notarentur, *Agis* Archidami F. muros illorum excelſos contemplatus, *Quænam*, inquit, *hunc locum incolunt Fœminæ*. Neque melius apud Moloſſorum Regem audivere Perſæ; cùm, *Alexandrum in Oriente cum Fœminis rem geſſiſſe; ſe in Italiâ cum viris ferro ac virtute congredi*, diceret. Nulla tamen in hoc populo major erat contumelia, quàm ſi viro fœminea puſillanimitas objiceretur. Idcoque *Artayntas* Ioniæ præfectus, cùm poſt infelicem cum Græcis, ad Mycalem, pugnam, à *Maſyſtâ*, Darii F. Xerxis fratre, *Mulier* per opprobrium nominaretur, ſtricto acinace hominem invaſit. Cujus exemplo *L. Antoninus Saturninus*, *ſuperioris* Germaniæ præfectus, à *Domi-*

Cœl. l. 14. c. 14.

Plut. in Apoph.

Herod. l. 9.

Cuſpin.

à *Domitiano* Imp. *Scortum* appellatus, turpiſſimam convitii ignominiam, non juguli; ſed Imperii invaſione vindicavit. Et apud Poë- *Virg.* tam *Turnus* fœmineæ indolis convitio Æneadas perſtringens, *Phrygias* appellat, *Phrygum* nomine, propter animi abjectionem ac humilitatem, indignos.

Tolerabilior eſſet illa in fœminis animi de- *Hebetudo.* jecti imbecillitas ac conſternatio, ſi mente conſilioque valentiores eſſent: ut, quam timēt ſemper injuriam, ratione declinare poſſent. At tanta mentis in hoc ſexu eſt inopia, tanta ingenii tarditas & hebetudo; ut dubitatum ſæpè apud multos ſit, an in humanitatis ſortem admitti fœmina debeat. Scilicet deficiente calore frigus exuberans vim aciemque omnem ingenii obtundit, immerſuſque humorum ſentinæ animus ad rerum magnarum cogitationem functionemq; ſe attollere nequit. Hinc illa fæminarum ſomnolentia, deſidia, inertia, ſtupiditas, ignavia, languida mentis vis, ingenii torpor, memoriæ debilitas. Quam miſerti fœminarum conditionem *Romani*, illas in *Cicero pro* tutorum eſſe poteſtate voluerunt, neque ullâ *Muræna.* Reip. adminiſtratione fungi. Cui Euāgelicus *1. Cor. 14.* adſtipulatur Orator, fœminis, ob naturę infirmitatem, in cœtu conſeſſuq; ſolemni ſilentiū imperans, neq; paſſus illas aut concionādi munus obire, aut in comitiis quæſtionem movere, aut

re, aut ſuffragiis intereſſe & ſententiam dicere. Quod cordi inprimis *Athenienſibus* fuit; qui lege caverunt, ne ulla fœminarum foro aut concionibus miſceretur, & conciliis publicis intereſſet. Et ante alios *Romanis*; quorum decreto à civilibus officiis remota fœmina, non judicem agere, non magiſtratum gerere, non poſtulare, non pro alio intervenire, non procuratrix eſſe poterat. *Calphurniæ* improbitas permoleſta judicibus cauſam edicto dedit; quo ſancitum, ne poſtulare fœminę liceret. Et jam ante, in primâ naſcentis Reip. luce, *Numa* Romanas mulieres docuerat, rem domeſticam curare, aliena negligere, de neceſſariis rebus nihil abſente viro loqui. Qua ætate cum mulier aliquando propriam cauſam in foro dixiſſet, miſiſſe Senatum, memoriæ traditur, DEOS conſultum, *quidnam ea res civitati portenderet?* Infinitam poſtea fœminis agendi dicendique licentiam *Heliogabalus* dedit; cujus permiſſu *Semiamira* mater Senatum ingreſſa publicis conſiliis interfuit: & in Quirinali colle *Mulierum Senatum* inſtituit. Repreſſa tamen ſtatim eſt audax evagandi licentia, ſancitumque ne unquam mulier Senatũ ingrederetur, inferiſque ejus devoveretur caput, qui in Curiæ curam fœminam advocaret. Meritò ſanè; cum in publico verſari, & licentius loqui priſca ſtolę verecundia non permittat. Qua mente Elien-

Gell. l. 5. c. 19. *Vlpian.* *Cæl. l. 13. c. 33.* *Plut. in Numa.* *Cæl. l. 13.*

te Elienſibus *Phydias* Venerem fecit quæ teſtudinem calcaret: muliebris eſſe decoris, ſignificans, ædes cuſtodire, ac ſilentium præſtare. Et patrio apud Ægyptios receptum fuit more, ne fœminæ calceis uterentur, quo à publico prohibitæ domeſticos intra parietes manerent. Quæ cùm apud Romanos etiam conſuetudo valeret, *Cato*, effuſis in publicum, ad Oppiam abrogandam, fœminis, cenſoriæ gravitatis ſupercilium diſtrinxit, privatamque virorum domi, & in foro publicam libertatem obteri ac calcari impotentiâ muliebri clamavit. *Plut. in Connub.* *Cœl. l. 10 c. 3.* *Liv. D. 4 l. 4.*

Ex mentis conſiliiſque inopia illa muliebris animi vanitas, inconſtantia, mobilitas, perpetua ſtudiorum atque opinionum tanquam tempeſtatum commutatio naſcitur. Nulla in oculis fides, in verbis veracitas, in promiſſis certitudo, in juramentis religio, in propoſito ſtabilitas. Lacrymas, ſuſpiria, riſus in promptu habet. Cùm gratiam addicit, odit: cum ardet, amatorem execratur. Si oculis blanditur, fraudes verſat: ſi ſupercilia contrahit, concupiſcit. Non vult, ubi velis: ubi nolis, petit ultrò. Chamæleon non alium citius aſſumit colorem: Luna non crebrius per decurſus menſium variatur: Non inſanus apud Troglodytas lacus, non Euripus plures de die habet cõmutationes: quã in varios facilè mores tranſit *Levitas.*

Varium

------ *Varium & mutabile ſemper*
Fœmina.

Iam vehementer amat : ſtatim odit ſupra modum. Nunc eſt aſpera: mox blanda dulcem vultu oculiſque fingens amorem. Quàm facilè amphorę circumaguntur auribus: quàm facilè bracteæ ſummis turrium impoſitæ metis verſantur à ventis : quàm facilè cera impreſſam gemmæ recipit imaginem: tàm facilè fœmina in diverſos deſcendit mores ſententiamque. O vos venti Campi; ô ædium faſtigiati Tritones, polypis verſatiliores, hydris ac cancris magis varii, quàm vos ſæpè credulum veſtris verbis amatorem decepiſtis! quàm ſæpè gravem illa mentis veſtræ fluctuatio fideſque lubrica ac vacillans noxam dedit! Quoties aliquis veſtris blanditiis, lacrymis, juramentis innixus ſpes cogitationeſque ſuas fallaces atque inanes deprehendit!

Cultus corporis. Garrulitas. Illa vacillantis animi levitas magnam tamen in dicacis linguæ volubilitate, & ſpecioſo corporis cultu vim ac præſidium habet. Hæc fœminarum ſunt arma. Hæ muliebris induſtriæ vires. Hi tori lacertique, quorum fiducia in pugnam exeunt. His baliſtis & tormentis oppoſitam ſæpè fortiſſimorum virorum aciem disjecerunt; victiſque ſecundo Marte hoſtibus, cum æterno maſculæ virtutis opprobrio, trophæum ſtatuerunt. Hos

mulie-

muliebris induſtrię conatus viriumque ſuperbarum impetum neque *Herculis* virtus, neque *Samſonis* fortitudo, neque *Davidis* pietas, neque *Salomonis* ſapientia, neque *Holofernis* ferocia, neque *Cæſaris* & *Antonij* dominatio, neque *Socratis* aliorumque eruditio potuit ſuſtinere. Qui omnes fortunæ difficultates fortiſſimè ſuperaverant; qui ratione & conſilio pericula graviſſima declinaverant; qui hoſtium arma invictâ virtute obtriverant; qui ſuæ doctrinæ virtutiſque famam in omnem ſæculorum memoriam propagaverant: illis, prô pudor! adblandientium oculorum gratia, & linguæ ſuada, & luſitans in vultu Venus ſpontaneæ ſervitutis jugum impoſuit. Hi ſunt illi *Sirenum* cantus; quibus allecti nautæ aquis immergebantur. Hæc *Circes* pocula; quæ bibentes in brutas animantes commutabant. Hæc *Omphales* veneficia; quibus magna mortalium pars delinita peſſum abit. Hoc pulchrum Gorgonis os; cujus adſpectu obſtupefactus amator in ſaxũ obrigeſcit. Vide, ut melleam in ore linguam volvit, tintinnabulo ſonantiorem! Ut plena rimarum, hac illacque perfluens, ad amicam effutit arcana fidelibus auribus commiſſa: quibus credidiſſe quicquam unquam *Catonem* vehementer pœnituit! Ut ad ſpeculum faciem componit! Ut ad blanditias oculos conformat! Ut crines *Plut. in Cat.*
illa-

illaqueando juveni adornat! Ut vestem decorando corpori accingit. Ut gresum molliter fingit, tempestatem oris moderatur, totum corpus ad decentiam singularem instruit!

Ter. Heaut. 2. 1.

------- Nosti mores mulierum;
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.

Ovid. 1. Rem.

------- Gemmis auroque teguntur
Omnia: pars minima est ipsa puella sui.
Sæpè, ubi sit quod ames, inter tàm multa requiras:
Decipis hac oculos Aegide dives Amor.

Raro quidem *Philonis* uxori similem invenias fœminam; quæ rogata cur excolendo corpori operam non daret, neque auro uteretur, *Satis*, inquit, *uxori magnus ornatus est mariti sui virtus.* Cujus ingenii *Cornelia Gracchorum* mater in Liberis benè educatis satis se speciosam excultamque esse dixit.

L. Vives. Val. Max.

Iracundia.

Mirari verò inprimis subit, quid sit, quòd animal tam blandum, tam placidum, tam imbelle, tam appetens virilis commercii. tam sæpè immaniter excandescat, & excusso rationis frœno, rabiosi furoris impetu efferetur. Levissima de causa iras horribiles concipit, proditâque vultu & gestibus concitatæ mentis intemperie extra sui potestatem constituitur. Ubi semel impotens sui animus efferbuit, in acerbissimas statim lites & jurgia linguam solvit, complosis manibus indecoros motus facit, humum pedibus pulsat, tumultuatur,

clamat,

clamat, domum omnem & compita ſtrepitu incondito perſonat, ſui decoriſque oblita acerbiſſimis convitiis notos ignotoſque lacerat. Nullis neque blanditiis efferatam rabiem mitiges, neque conſiliis compeſcas, neque ſilentio declines. Rabioſi inſtar canis implacabilis ferociæ aciem diſtringit, fremit, execratur; poſito pudore, neglectâ exiſtimatione, quicquid jurgandi libido ſuggerit, eloquitur; quicquid præceps furor ſuadet, exequitur. Melius, pejus, proſit, obſit, nihil videt. Equum ferocientem frœno cohibeas: Beſtiam furentem objecto cibo places: Ignem æſtuantem ſubtracto ligno extinguas: Aquæ tumeſcentis impetum vallo atque aggeribus reſtringas: At fœminam iracundiæ furiis agitatam neque vi coërceas, neque monitis & ratione ad manſuetudinem deducas. Tanta eſt muliebris animi impotentia, tanta mentis imbecillitas, ut effrœnes affectus coërcere, & facilem iræ impetum, quem levi irritatione agitata in hoc ſexu humorum ſentina, efferveſcente per laxam cutem bilis incendio, facit, reprimere non poſſit. In quâ fœminei ſexus ferocia egregiè viris natura providit: quod ut facilè mulier in iram inflammatur; ita in mobili humidoque corpore, poſt mordaces rixarum fumos, facilè deflagret, profuſis plerumque lacrymis ardore deferveſcente.

Dominandi cupido. Pessimum mulierum genus est, satuque natum Eumenidum, quod suæ oblitum sortis supra viros assurgit, non contentum ut ametur, nisi etiam dominetur. Effœminata virorum mollitie atque indulgentia crescit muliebris audacia; quâ datis impotenti naturæ & indomito animali frœnis, nullus licentiæ modus præstituitur. Ita vincitur à fœminis domestica libertas, virorumque majestas subjicitur colo: quam non præesse natura voluit; sed subesse: non regere; sed regi. Pudet dicere, *Herculem* monstrorum malleum muliebri imperio succubuisse; *Alexandrum* ad meretriculæ nutum Persepolin, regiam Orientis nobilissimam, incendisse; *Aristotelem Herpylli* pellici sacra fecisse; *Socratem Xantippæ* cupiditatibus morem gessisse; à *Cleopatra Antonium*; à *Sophonisbâ Syphacem*; ab *Euphrosyna Alexium*; ab *Eudoxiâ Arcadium* Impp. leges accepisse. Scilicet, quod *Virgilianus Aeolus* ad Iunonem dicit,

------ Tuus, ô Regina, quod optes,
Explorare labor; mihi jussa capessere fas est:

eum multi clarissimi nominis viri uxoribus suis honorem detulerunt, suâ ipsis authoritate substratâ. Atque utinam cum domestico in se imperio, non moderandæ etiam Reip. clavum ipsis in manus darent, ut sacra & profana, pro impotentis animi libidine, regerent & versarent. Ubi enim primum dominationis aditum

tum limenque occupavere, in penetralia ipsa ferociter irrumpunt: & simul ac viros sibi obnoxios habent, ad civitatis gubernacula enituntur. Nihil in hoc sexu modicum, nihil moderatum. Aut paret pudenter; aut imperat fastuosè. Regere vult, aut regi. Queritur graviter de illâ mulierum suæ civitatis arrogantiâ *Cato* senior: *Omnes*, inquit, *homines uxoribus imperant; nos omnes hominibus; at nobis uxores.* Dixit hoc ante ipsum de Atheniensibus *Themistocles*, filio etiam ipsius per matrem Græciæ imperante: *cum, ut Græciæ Athenienses, & istis ipse; ita ipsi dominaretur uxor: quam in suâ haberet potestate filius Græcam libertatem materno imperio conculcans.* Eodem insolentiæ gradu ad Reip. imperium grassatæ sunt Lacænæ, virorum prius domi obtritâ potestate. De quo accusata à peregrina muliere *Gorgo Leonidæ* uxor, *Meritò*, inquit, *viris imperamus, quæ solæ viros parimus.* Ad demoliendam viraginum talium servitutem, optare aliquis posset ex illâ *Pacuvij Arbore* surculos, quos sibi *Arius* dari petebat; cum tres illius uxores ad istam se suspendisse audivisset, *Dij boni*, adjiciens, *quanta tibi arbor ista dispendia suspendit.*

Plut. in Catone.

Plut. in Apoph.

Cæl. l. 14. c. 4.

Cum hoc turpium mulierum grege non ejusdem sunt ceræ pulverisque honoratissimi nominis Matronæ, quæ maximarum virtutum sapientiæque laude supra virorum emi-

Muliebris virtus.

nentiam aſſurrexerunt. Deſideramus literas & eruditionem? [a] *Nicaula* Sabæ Regina, ex intimâ Æthiopiâ Hieroſolymas profecta arduas Salomoni Regi quæſtiones propoſuit. [b] *Aſpaſia Mileſia* Periclis magiſtra, ac tandem uxor, Philoſophiæ atque Oratoriæ ſtudiis impensè ſe exercuit: quam in Politicæ præceptis ducem ipſe etiã Socrates ſequutus fuit. [c] *Arete*, Ariſtippi Cyrenaici F. poſt patris mortem ſcholam rexit, & filium Ariſtippum philoſophiam docuit. [d] *Theano Metapontina*, atque alia iſto nomine *Cretenſis*, & *Samia*, varia Hiſtoriarum atque Epigrammatum monumenta ad poſteros divulgarunt. *Arignote Samia* Bacchica, de Cereris myſteriis epigrammata; *Pamphile* Epidauria libris 33. Hiſtoricos commentarios; [e] *Diama* Pythagoræ Fil. paternarum ſentẽtiarum explicationes ſcripſit. [f] *Hortenſia*, Hortenſii Oratoris Fil. orationem ad Triumviros conſtituendæ Reip. habuit: quam poſterior ætas non modò in admirationem & laudem muliebris facundiæ; ſed ad imitationem quoque legit. [g] *Cornelia*, Affricani F. ornatiſſimè ſcriptas epiſtolas reliquit. Quam excellentis doctrinæ gloriam apud Romanos habuerunt [h] *Lælij* filiæ, *Liciniæ Craſſi*, *Mutiæ*, *Cornelia Pompeij uxor*, *Fulvia Antonij*, *Claudia Statij*, *Paula Senecæ*, *Eudoxia Theodoſii*: quæ ingenio doctrinâque ſingulari Sapientiæ artes pro

colo

a *Hieron. in Cant.*
b *Plut. in Per.*
c *Laert. in Ariſt. l. 2.*
d *Suidas.*
e *Laert.*
f *Val. l. 8. c. 3.*
g *Plut. in Gracchis.*
h *Cicero in Bruto. Plutar. in Pomp. Vives.*

colo excoluerunt. Ex quarum numero [i] *Pulcheria Arcadij* F. Theodoſium fratrem bonis literis moribuſque inſtituit: [k] *Anna* Alexii Imp. F. difficillimarum rerum ſcientiam ingenio comprehendit: *Fabiola*, *Marcella*, *Euſtochium*, Romanæ mulieres, Græcè Hebraicéque doctæ, ſacris literis ingenia devoverunt. Non dico [l] *Zenobiam* Palmyræorum; [m] *Amalaſuntam* Gothorum Reginam: non centum alias, quarum nomina cùm æternâ doctrinæ laude ad poſteros manarunt. Quærimus in tuenda caſtitate pudorem? Occurrent *Abrahami Sara*, *Iſaaci Rebecca*, *Iuditha Meraris*, *Anna Phanuelis*, *Suſanna*; & apud Gentiles *Lacænæ veteres*, *Chiorum fœminæ*, *Locrenſium virgines* Ilium miſſæ, *Germanæ priſcæ memoriæ mulieres*, quarum honori neque tenuis famæ rumuſculus labem unquam adſperſit. Venient in conſpectum *Caja Tarquinii* Priſci, caſtas ſuo nomine *Cajas* appellans, *Bilia Duillii* virorum omnium, mariti inſtar ſui, os olere putans, *Sulpitia Fulvii Flacci*, Veneris Verticordiæ ſimulacrum ex caſtitatis publico teſtimonio conſecrans; *Cornelia* Gracchorum, regias Ptolomęi nuptias contemnens; *Valeria*, Meſſalarum ſoror; *Martia* Catonis F., *Antonia*, Pruſi; genialem alterius lecti ſocietatem repudiantes. Ne veteres dicam, noſtri ævi & cœli fœminas complures reperias, Lacænæ iſti ſimiles; quæ de ſtupro appellata, [n] *Puella*

K 3 cum

[i] *Suidas.*
[k] *Zonoras.* *Hieron.*
[l] *Fulgoſ. l. 6. c. 3.*
[m] *Io. Magnus l. 10.*
[n] *Plut. in Apoph.*

cum essem, inquit, *patri dicto audiens fui; postquam nupsi, viro: illi, si æqua postulas, id primum aperi.* Volumus in cultu corporis moderationem? Offerent se multæ, quæ cum *Phocionis* uxore dicant; [o] *Ego in mariti mei virtute gloriaque satis habeo ornamenti, ut auro gemmisque non indigeam.* Cupimus flagrantem patriæ amorem? Erunt, quæ cum [p] *Erechtei* filiabus, cum *Macariâ* Herculis, cum *Theope*, & *Eubule* Orphei, spontaneâ morte patriæ exitium amoliantur: quæ cum [q] *Carthaginensium fœminis* capillos in classis armandæ funes sibi abscindant; cum [r] *Romanorum*, aurum mundumque muliebrem in tolerandos bellorum sumptus impendant. Postulamus militarem in armis virtutem? Reperientur, quæ cum [s] *Persicis fœminis* viros à fugâ in pugnam retrahant. Quæ cum *Lacænâ*, porrecto filio scuto, [t] *Aut hoc fortiter serva*, dicat; *aut vivere noli.* Quæ cum [u] *Archidamiâ* Spartanâ stricto gladio in Curiam irrumpens virorum mollitiem arguat: cum [x] *Cyrenensibus* fœminis adversus Ptolomæum; cum *Argivis* adversus Pyrrhum; cum *Aetolis* adversus Acarnenses; cum [y] *Chiis* adversus Philippum; cum [z] *Salmantidibus* adversus Hannibalem; cum [a] *Germanis* adversus Marium viriliter decertent. Quæ cum *Amazonibus*, cum *Cynane* Alexandri sorore, cum *Semiramide*, cum *Tomyri*, cum *Artemisiâ*, cum

Candace

o Plut. in Phoc.
p Cæl. l. 13. c. 3.
q Val. Max.
r Sil. l. 12
s Iustinus l. 1.
t Plut. in Apoph.
u Plut. in Pyrrho.
x Polyæn. l. 8.
y Plut. de mulier. virt.
z Poly. l. 7.
a Sab. l. 2. c. 7.

Candace Aethiopum Reginâ, Teucâ Illyriorum, Camillâ Volscorum, *Amage Sarmatarum*, *Fulviâ Antonii, Antoninâ Belisarii, Dominicâ Valentis Imp. uxore*, *Lybußâ Boëmâ*, *Amalasunthâ Gothâ*, *Landtgerthâ Suecâ*, *Margaritha Dana*, *Mathilde Angla*, *Ioanna Gallica*, non colo calathisve Minervæ, sed præliis conserendis, armisque tractandis fœmineas manus adsuefecerint. Requirimus in regenda Rep. consilium & prudentiam? Ostendet regiæ & egregiæ Majestatis sceptrum *Debora Israëlitarum*, *Semiramis Assyriorum*, *Sarina Sacarum*, *Artemisia Cariæ*, *Alexandra Iudæorum*, *Pythodoris Chaldæorum*, *Zenobia Palmyrensium*; *Eudocia Constantini*, *Irene Leonis IV*, *Theodora Theophili*, *Loe Leonis V. uxor*, *Romanorum*; *Theodelinda Longobardorum*, *Blancha Hispanorum*, *Margaritha Danorum*, *Elisabetha Anglorum* Regina: quæ Reip. gubernacula prudenter feliciterque tractarunt, eamque inter gravissimas bellorum tempestates salvam in portum deduxerunt. Quam fœminarum prudentiam venerati [b] *Lacones*, illas publicis consiliis adhibuêre, & in obeundis magnarum rerum negotiis socias sibi delegêre. Quod [c] Germanis etiam aliquando in usu fuit, qui ex mulierum consiliis res magnas gerere, & responsis illarum morem gerere solebant, sanctum aliquid & providum illis inesse rati. Neq; [d] *Xerxi* quidem aliter visum; qui cùm delectis Persarum

b *Plut. in Agid.*
c *Tacit. de morib. Germ.*
d *Herod. l. 8.*

rum proceribus de gerendo bello consultaturus, *Artemisiæ* sæpè consilium petiit, & sequutus est. *Romani* verò in tanta veneratione sexum illum habuêre, ut, ad memoriam extincti Sabini belli, & repressi *Coriolani*, ad mulierum occursum, viâ viros decedere, sanciverint. Quam in sententiam legem dedit Christianis *Apostolus*; qua debitum fœminis honorem deferri præcipit: ne abjectæ vilesque & serviles censeantur, quæ pari propemodum cum viris dignitate, ejusdemque muneris participes ab opifice DEO principium suæ originis trahant. Omnem verò, de Fœminarum dignatione ac naturâ, litem rectissimè *Petrus Apostolus* disceptat: dum illas, injectâ suæ fragilitatis memoriâ, ad præstanda maritis submissæ voluntatis obsequia hortatur; viros, fœmineæ infirmitatis commiseratione, à truci atque aspero nimis in uxores imperio revocat. Nunc, quæ in *Coloribus* morum sint indicia, significabo.

Sab. l. 7. c. 1.

Eph. 5. Coloss. 3.

1. Pet. 3.

Colorum indicia.

Rectè sanè Hebræus loquitur Sapiens: *De adspectu cognosci potest aliquis; & mente præstans, si obviam fiat, videtur.* Quæ namque menti inhęrent vitia & virtutes foris se proferunt, & externis in vultu colorum pigmentis plerunque ostentantur. Ita in equis & canibus pilorum; in avibus pennarũ tinctura indolem & familiam prodit. In herbescen te stirpium viriditate; qua-

te; quarum aliæ lacteo dilutoque virore nitent; aliæ ſaturato vergentique in atrum virore oculos afficiunt; aliæ cæruleo, cęſio, glauco, herbaceo, incano, porraceo colore virent; diverſa pigmenti exterioris ſpecies naturam effectuſque ſingularum notat. Igitur homines effumantibus ab interiore penetrali humoribus, pro diverſo ingeniorum habitu, atque animorum indole, variis colorum tincturis, in facie inprimis, ſuffunduntur. Ille ſpecioſa venuſtate effloreſcit, & ſuppetente boni ſanguinis copia, roſei decoris honeſtamento eleganter purpuraſcit. Iſte ſquallido vultu, marcidaque & glabra cute; tanquam ſi ex Trophonii prodiret antro, aut ab eliſis laqueo faucibus reſpiraret, pallens, luridus, exanguis apparet. Hic redundante phlegmate plus nimio albeſcit, cute molli, carne fluida. Alius reſtagnante bile, ex diluta nigredine flaveſcit. Aliquis, æſtuante intus ſanguine, oculis ardentibus, facie ex flammeo rutilante conſpicitur. Certa in ſingulis colorum pigmentis depreſſi intus animi eluceſcunt indicia. In illa *Roſæ purpuraſcentis venuſtate* placet ſimplicis animi candor & integritas; probatur ad res omnes promptitudo & ſolerita; delectat ſermonis feſtivitas, ludendi jocandique lepor, mens expedita, mores gratioſi, converſatio jucunda. Subeſt tamen aliqua ſub hoc venuſtatis velo ſtoliditas, ſub-

eſt inconſiderata temeritas, & conſiliorum factorumque juvenilis præcipitatio, ſubeſt ingenii mobilitas, mentis inconſtantia, rationis judiciique, ex vacuitate bilis, inopia. Quæ tamen omnia diligens educatio emendat, & ad perfectionem virtutis deducit. Sub illâ *Lacteâ obeſi vultus muccoſæque naris Albedine*, ſomnolentia, deſidia, mentis ingeniique, conſopito nativi caloris fomite, tarditas ac hebetudo deliteſcit. Quietus tamen eſt ſedatuſque, ſine violento cupiditatum impetu, animus; non præceps in venerem, non facilis in iram, non dolis fraudibuſque ſtruendis ſolers. Sub exangui illo plumbeæ livedinis *Pallore*, fœdis oculis, ſquallente facie, aut magnorum delictorum conſcientia, aut animus difficilis, querulus, durus, intractabilis, præfractus, mores inhumani, cogitatio ſolicita premitur. Talis fuiſſe *Cain* dicitur, & *Saulus*, mentis inquietæ ſtimulis perpetuò agitati. Talis *Catilina* ſcelerum furiis infeſtatus. Talis hoſtis ille humanæ ſocietatis *Timon*, quem nihil unquam in vitâ delectavit, quàm aliorum diſpendia & ſuſpendia. Luridus tamen ille & luteus in vultu pallor, in Iuvene fervidi amoris æſtum; in Viris doctis acrem ingenii contentionem ſtudiorumque aſſiduitatem ſignificat. Igitur *Zeno Cittiæus*, conſulto oraculo, quomodo eruditionem conſequeretur, re- (*Laert. l. 7*)

ſponſum accepit; *Si mortuis concolor redderetur:* h. e. ex impenſo philoſophiæ ſtudio pallorem ſibi contraheret. *Diogenes* verò adoleſcentem conſpicatus, exangui gilvoque colore, *Aut amare illum, aut invidere pronuntiavit.* Invidi enim, cum alienam felicitatem dolent, contabeſcentibus medullis, & conceptâ intus putredine, livido pallore ſuffunduntur. Alium cum ex amore palleſcere videret, *in proprio quidem corpore mortuum, vivere dixit in alieno.* Illa lutea *Fuſcedo* iracundiam arguit, promptumque ulciſcendæ injuriæ ſtudium, animo ſubditâ bilis face flagrante. Ferocia quoque hîc habitat indomita, & contemptrix periculorum audacia, & honorum cupiditas immenſa: quæ cum præſtantis ingenii acumine ſolertiaque, impigram agendis pace belloque rebus operam præſtare ſolet. Ille *flammæ rutilantis ardor* in *Vitellio* vinolentiam prodebat: *Sueton.* in *Sylla* iram vehementius concitatam, & tum maximè violentam, cum faciem ſanguis invaſiſſet, qui ſparsâ interfuſus albedine mora referebat, farinâ, *ut Athenienſis dixerat poëta,* obſerta. *Seneca in Ep. ad Lucil.* *Plut. in Sylla.*

Sed ecce ſanctiſſima ſeveritate vultus virũ, qui jamdudum gravibus, ut videtur, de rebus ſermonem meditatur, diſputatis Medicorum quæſtionibus, cathedram conſcendere, indictoque Auditoribus ſilentio ad dicendum ſe *Actiones publicorum munerum.*

componere. Gravitas oris religiosa, corporisque habitus Socraticæ disciplinæ sectatorem arguit. Et de *Actionum quidem Indiciis*; quæ in obeundis *Munerum publicorum functionibus*, animi adyta patefacere, & mores sensusque hominum abditos proferre solent, verba factum profitetur. Conferamus gradum, quando nunc à publicis negotiis otium est, & hominem ex propinquo audiamus: si quid fortè dignum afferat tanto hiatu promissor.

Cap. VIII.

De Publicorum Munerum functione extra Professionem Litterariam.

NUllis penè in rebus tam manifesta morum cognoscas indicia, quàm in *Publicâ Munerum administratione studiisque vitæ consuetis*: in quibus non vestigia solùm animi latentis; sed cubilia etiam videre liceat. Abeunt enim in mores quotidiana vitæ studia, naturæque vim obtinet usurpata multis annis consuetudo. Neque ita quidem hominibus à stirpe generis & seminis animi adgeneratur indoles; ut ex illis rebus, quæ ab assiduo vitæ usu suppeditantur. Quod ut patescat, age, istam publicorum munerum atque officiorum civilium accedamus scenam; quæ totius civitatis studia moresque, non ingrato varietatis spectaculo

culo, exhibebit. Illi quos videtis ſublimi exceLſos loco, truce oculorum majeſtate, faſtigiatis capitum apicibus, vibrante ſceptro, variatâ gemmis auroque veſte, ***hominum & rerum ſunt Principes***; qui ſupra civicam evecti ſortem jura & leges populis præſcribunt. Circumſiſtunt eos Aulici magno numero Miniſtri, plumatis inſignes palliis; quæ vix totâ penſione redemerunt; ita conſtanter defixis in vultus Dominorum oculis, ut latere illic magnetem aliquis putaret, qui illorum conſpectum in eam partem cogat. Qui proximum ab Aulâ locum tenent, truculento immanes adſpectu, loricato corpore, infeſtis accincti ad nocendum telis, *Militiam profitentur*, nulla in re majorem ponentes oblectationem, quàm in armorum tractatione, in præliorum conſertione, in cruore, in cæde, in direptione hoſtium & ſociorum. In contrariis è regione ſubſelliis, diſpare honorum diſtincti gradu, ſanctiſſimâ ſeveritate vultus, cultu corporis frugali, veſte in pedes demiſſa, *Viri ſedent Literati*; qui bonarum artium exculti diſciplinis, Virtutis & Veritatis ſtudia profitentur. Ad Cuneos dejecta *plebeii generis* infinita conſiſtit multitudo: ex qua alii ſolum raſtris vertunt; alii ſalum remis veliſque verrunt; alii aut mercibus mutandis, aut operis manuariarum artium præſtandis, quæſtum faciunt.

Vos

Magiſtratus.

Vos qui excelſo in ſolio clavum Reip. tenetis, legeſque vitæ moderandæ hominibus prę-ſcribitis, quàm vos ſæpè elati veſtræ poteſtatis magnitudine ſpiritus altos geritis, Deos homineſque contemnitis, omnibus inſolentię gradibus exultatis! Quoties latas à vobis leges, ſumpta quidvis agendi licentia, perfringitis, populum infinitis injuriis contumeliiſq; vexatis, libertatem opprimitis, impotenti libidinum veſtrarum ſubjecti imperio dira in alios imperia exercetis! Hos animi impotentis effrœnatio à dignitatum faſtigio trahere ſolet mores: à quibus laudata Principum virorum virtus ſemper fuit aliena. Illi provecti ad conſpicuum potentiæ honoriſque gradum reſtricto cupiditatum ſuarum frœno, quam ſubditis innocentiæ præſcribunt legem, eam ſibi ipſis indicunt; non minus virtutum, quam dignitatum apice ſupra alios ſe efferunt; non ſuo, ſed publico civitatis bono curas cogitationeſque intendunt.

In hoc Magnatum Ordine alii perpetuum tenent Magiſtratum: ſive ille vitæ currentis termino definiatur, ſive in ſobolem hæreditatis jure tranſeat: alii annua honorum viciſſitudine in certum tempus imperio præficiuntur; quo exacto ſucceſſori traditur Reſp. ipſis in Ordinem redactis. Perpetuo dominandi jure Reges imperant: ut aut naſcendi ſorte in imperium

perium veniant, ad tranſmiſſam à parentibus
potentiam nati, aut comitiorum ſuffragiis re-
rum gubernaculo admoveantur, aut oppreſſa
Rep. peſſimis injuriarum artibus in imperium
invadant. Ut diverſis ad hanc eminentiam itur
viis, ita non una omnibus mens eſt, non eidem
mores: qui ex edito dignitatis loco ita conſpi-
cua omnibus luce affulgent, ut venari eos cu-
rioſè non ſit neceſſe, quos venerari religioſè
oporteat. Nati in honorem Sceptri Reges, ut *Reges na-*
accipiunt ex parentum manibus regnum, ita *ti.*
ſartum tectumque tranſmittere illud ad po-
ſteros nituntur. Quem ſibi ſanguinique ſuo
amorem & curam debent, illam tutandis re-
gni opibus conferunt. Remp. ut hęreditarium
juris dignitatiſq; paternæ patrimonium pro-
pugnant: Cives ut familiæ ſuæ domeſticos
paterno amore proſequuntur. Ut in præſens
conſervandæ potentię proſpiciunt, ita propa-
gandę reſpiciunt in futurum. In hac poteſtatis,
nullis obnoxiâ ſuffragiis, amplitudine, ſæpè e-
latus ſummæ Majeſtatis conſcientia Princeps
inſolentius illa abutitur, duriora in plebem
imperia exercet, omnia ad libidinē ſuam ex-
igit, ſapientium monitiones ac conſilia tem-
nit, cupiditatibus liberius indulget, ut in po-
pulum nihil detrectantem, ita in leges & ju-
ra datum ſibi imperium cenſet. Efferre ſolet
Regum animos infinita poteſtatis magnitu-
do, ne-

do, neque facilè quiſquam rationi obſequitur, qui alto poſitus loco ſummum in omnes imperium tenet, & Remp. ex ſuo nutu gubernat. Ex eo ſunt inceſtæ *Cambyſis* & *Ptolomæorum* cum Sororibus nuptiæ. Ex eo pudẽdi *Artaxerxis* cum *Atoſtâ* & *Ameſtri* filiabus; *Antiochi* & *Caracallæ* cum novercis matribus concubitus. Ex illo alii hoſtilia in cives ſuos arma provocarunt; alii effuſo in voluptates ſumptu patriæ opes attriverunt; alii duriſſimâ populum ſervitute oppreſſerunt; alii rectos majorum ritus & leges abrogarunt; alii profanum Idolorum cultum injunxerunt; alii deniq; ſibi ipſis divinos honores arrogarunt.

Reges facti. Non eam ſumere ſibi audent licentiam illi, qui Comitiorum ſuffragiis acceptum referunt Principatum, à ſuo fato in aliam forte domũ tranſiturum. Non quia cum regno regnandi ſimul accepêre leges, ad quas reddere factorum ſuorum rationem tenentur, minore ſe faſtidio contumaciaque efferunt, vehementes cupiditatum impetus reprimunt, ſpiritum ferociter exultantem compeſcunt, intra æquitatis præſcriptionem ſe continent. At publicum civitatis bonum non eo ſemper, quo nati in gubernacula Reges, ſtudio diligentiaque curant. Suo ipſorum intenti commodo, minùs de propaganda in poſterum tempus regni felicitate adnituntur, cujus hæreditatem non hæſu-

hæſuram in ſuo ſanguine verētur. Locatam ſibi & commodatam, non datam Remp. cogitant: ex qua non quàm diuturnos, ſed quàm uberes ipſi, dum vivunt, capere poſſint fructus, laborant. Si de tranſmittenda in ſobolem dignitate cogitationem ſuſcipiunt, remiſſo Majeſtatis ſupercilio, procerum gratiam indecorâ adulatione aucupantur, ſuffragia prece precioque extorquent, regni cenſum privatorum uſibus addicunt, jura & leges in ſpem promovendæ familiæ inflectunt. Hæc ſolicitudo magnę ſępè virtutis indolem extinguit, conatum induſtriæ frangit, regiæ dignitatis vim labefactat, debitam Reip. operam ad curas domeſticas deflectit. Ita in *Germaniâ* dum tenere Impp. in domo ſuâ ſummæ dignitatis ſceptrum cuperent, emptis Electorum ſuffragiis imperii vectigalia redituſque acciderunt: dum augendis familiæ ſuæ opibus incumberent, nobiles Imperii provincias ſibi vendicarunt. Ita *Sarmatarum* & *Pannonum* proceres, ex effuſa Principum ſuorum largitione, exhauſto regnorum cẽſu magnas ſibi opes pararũt. Nõ ille *Naſſovii ſanguinis* in Belgio Principibus fuit animus; qui civium ſalutem ſuis ſemper rationibus prætulerunt, pro publica libertate nullam rerum ſuarum jacturam, nullam hoſtium vim, nullas Aſſaſſinorum ſicas & vitæ pericula formidarunt. Nulla erit

tam ingrata Belgii posteritas, quæ non summis extollet laudibus sapientissimos *VVillhelmos*, & bellicosissimum *Mauritium* : quorum *VVillhelmus Auraicæ* Pr. oblatam etiam Hollandiæ & Selandiæ hæreditario jure possessionem rejecit; isti omnia semper consilia, curas cogitationesque suas ad unius Reip. salutem contulerunt. Quæ fratrum suorum sequuti vestigia *Henricus Auraicæ Pr.* & *Ernestus Casimirus* Frisiæ Gubernator, summa ope, domi forisque, pro Rep. nituntur. Et jam obsessa omnibus belli artibus *Sylva ducis*, suorum capitum periculo Belgicam rem propugnant.

Optimates. Qui Regum electorum, ille in libera Rep. *Optimatum* esse sensus solet; qui electi populi suffragiis delegatam in certum tempus tenent potestatem. Plerique illorum publico commodo rem privatam potiorem habent. Non se Reip. sed Remp. sibi datam usurariam arbitrantur. Ut domesticas ipsi facultates augeant, ut liberis rem domi amplam relinquant, ut inimicos à gubernaculis arceant, hoc studiosissime curant. Omnes industriæ vires in opprimenda diversarum partium factione, & stabilienda sua consumunt. Quod ut fiat, domi Reip. mercatus instituitur, suffragia malis artibus parantur, comitia contentionibus extrahuntur; fides de foro, dignitas de Rep., religio de conscientiis tollitur. Quo loco summa res sit, parum attenditur. Nunc

Nunc à fastigiatis summæ Majestatis apicibus ad illos regiorum *Apparitorum Satellitumque comitatus* oculos deflectamus: quorum alii splendido luxuriæ apparatu spectabiles aulica principum munera expediunt; alii ferreo corporis tegumēto terribiles armis & manu vim Majestatis tuentur. Illa aulicæ magnificentiæ species, & adornata omni superbiæ cultu pompa, plena est molestiarum, plena miseriarum, plena simulationum. Sodomitica videtis poma, quæ sub aureo cortice cineres habent impuros. Splendida templorum busta, quæ intus fœdis olent cadaveribus. Nihil est hoc hominum genere addictius, nihil abjectius, nihil servilius aut vilius. Sub illo effusæ hilaritatis simulacro anxia hæret cura, gratiæ, tot quæsitæ artibus, effundendæ. Sub illo Fortunæ apparatu, obnoxia imperantium voluntati servitus; sub amplissimæ dignitatis velo, fugitiva fallaxque jucunditas, infinita molestia, perpetua anxietas habitat. Ubi se semel inseruit quisquam in Principis comitatum, hoc unum statim illi studium est, hæc votorum summa, ut opes honoresque paret. Quod ut consequatur, quàm se lentâ spe discruciat! quàm ad occasiones curiosè respicit, ne fors incogitans negligatur! quanto conatu propitiæ fortunæ industriam juvat, ut de gravida felicitatis nube

aureum imbrem depluat. Omne in Principis, gratia benevolentiaque ſitum eſt emergendi momentum. Hæc eſt ſacra fiduciæ ara. Hoc ſalutis palladium, cui rem ſpemque omnem ſuam alligant. Ad colligendam verò propitii Principis gratiam plurimum refert, ingenium ipſius noſſe; quod ubi, ſequuti naturæ veſtigia, ſagacitatis ſuæ indagine explorarunt, ad illius ſimilitudinem mores componunt, illi ſe accommodant, illud, quanta poſſunt arte, ſermone, factis, oculorum obtutu, effingunt. Non polypus corporis, cui adhæreſcit, ſimilius reddit imaginem: non ſimia hominum ingenioſius imitatur geſticulationem; quàm illi mores atque indolem Domini exprimunt. Propendet ad comeſſationes; helluantur. Amat venationes; tantum non in canes obbruteſcunt. Delectatur armis; prælia atque acies crepant. Deditus eſt ſapientiæ ſtudio; Literas addiſcunt. Et quod largius rideas, vultus lineamenta, vocis ſonum, corporis affecti nævos felici imitatione aſſimilant. Quo ſtudio *Aethiopes* olim Regis ſui morbos imitabantur. Et *Macedones* projectam *Alexandri* cervicem vociſque aſperitatem & oculorum volubiles motus; ut *Ariſtotelis* diſcipuli pręceptoris ſui balbutiem; & *Platonis*, incurvos illius humeros, exprimebant. Ita *Lesbiæ hoſpitæ* ad molam cantabant: *Molę mola molę; etenim*

molit

molit Pittacus, magnæ qui Rex est Mitylenæ. Religio est usquam à Domini vultu oculos avertere. Ille si ridet; cachinnantur. Si vultum contrahit; tristem oculis induunt severitatem. Si oscitat; oscitant: Si mejit; micturiunt ipsi. Quicquid dixerit, tanquam editum de cœlo oraculum æstimant. Vocem, ut sapientiæ ipsius effatum; sententiam, ut Deorum responsum æstimant. Laudant ingenii divini acumen. Deprædicant altæ mentis Sapientiam. In cœlum attollunt virtutem omnium sæculorum memoriâ celebrandam. Proba, improba; apta, inepta; honesta, inhonesta pari laudum encomio commendant. Illi principatum omnium studiorum concedunt. Illi victoriæ de se ipsis etiam palmam attribuunt. Illum se unum mirari, unum amare, singulari benevolentiæ extorquendæ artificio, simulant. De quâ byssinis & coquinariis, ut dicitur, verbis fraudandorum Principum vafritie insolenter comicus sese jactat Parasitus.

Quidquid dicunt; laudo: id rursum si negant; laudant id quoque: (*met mihi* Ter. Eunuch.
Negat quis; nego: ait; ajo. postremò imperavi ego-
Omnia assentari. Is quæstus nunc est multò uberrimus.

Vaferrimæ Bestiæ, ut ad libidinem Principes, tanquam auribus amphoræ, circumagitis! Quàm in certam illos perniciem mercenariis

verborum encomiis conjicitis: non principi addicti; sed illius fortunæ! Qui fascino utuntur, laudando noxam adferunt: Ita vos illum inter verborum blanditias evertitis, & melleo quasi gladiolo jucunde jugulatis.

Magnum omninò ad parandam in Aulis fortunam in Regiis amicis situm est momentum: sine quorum subsidio copiisque auxiliaribus, vix quisquam ad illustrem honoris gradum evasit. Huc igitur ingeniosa Aulici virtus summâ ope adnititur, ut quamplures aulæ proceres amicitiâ complectatur. Inter illos præcipuum aliquem, qui honoratum gratiæ locum apud Principem tenet, omnibus quibus potest, officiis sibi demeretur. Versatili hîc, ut anteà, in diversos mores affectusque animo opus est: ingenia aliorum solerter effingere, studia imitari, amorem cultumque magnæ virtutis præ se ferre, indulgentissimis obsequiis favorem hominum parare & tueri.

His virtutis ingeniosæ artibus; ne dicam aut audaciæ facinoribus, aut voluptatum lenociniis quæsitam Principum gratiam; partâ re gloriâque, tempus est excedentem à populi humilitate majestatem sumere, ambitiosâ loquendi difficultate reverentiam sibi conciliare, vultum, sermonem, mores ad tantæ dignitatis momentum conformare.

Obsti-

Obſtinata habitat in oculis gravitas , in fronte aſperitas , in ſuperciliis contractio, ſummæ potentiæ certa documenta. Difficulter aditum ad ſe tales præbent : quem ſi quiſquam captata diu occaſione obtinuerit, gravium excuſatione negotiorum breve alloquium præſtant, verbis geſtibuſque ad oſtentationem compoſitis. Veſtium apparatu non modum tantum & morem ; ſed cenſum quoque ſuum plerumque excedunt. A populi commercio ſe ſubducunt, veriti ne viles fiant, ſi fuerint civiles. Atque eò quidem interdum progreditur impotens inſolentia, ut Principes ipſos à commiſſarum ſibi rerũ cognitione excludant, obſtructis ipſorum oculis auribuſq; intus ſibi canentes. Illa verò deteſtabilis multorum eſt vafrities; quâ ſtabiliendæ augendæque dignitati ac potentiæ, novarum ſubinde difficultatum nodis Principem illaqueant, & aut bellum tutâ in pace , aut pernicioſam pacem in neceſſario bello ſuadent; ſi id rebus conſulere ſuis intelligant.

Hinc ad illa *ferreorum Militum* concilia, quò nos armorum ſtrepitus, & tubarum tympanorumque vocat clangor, abeamus. Vah truces virorum adſpectus, minaces oculos, paratas ad vim faciendam manus, diſtrictas ad conſerenda prælia acies! Quantam Martii illi pulli hominibus cædem, agris vaſtita- *Milites.*

tem, fortunis damnum adferent, quando ad classicum impunitæ licentiæ præcipiti furoris impetu concitabuntur! Nulla ipsis res jucundior videtur, quàm armorũ dimicatio, quàm humani cruoris profusio, quàm civium pariter ac sociorum ante oculos contrucidatio. Nullus inter illos versatur sermo, quàm de acie struendâ, de hoste invadendo, de telis ingerendis, de lanceis vibrandis, de gladiis stringendis, de pectoribus transigendis, de muris subruendis, de urbibus diripiendis, de sacris profanisque conculcandis. Sub ferreis corporum tegumentis feri ferreique animi delitescunt. Sub truculẽtâ vultuum specie dira morũ immanitas, effrænata violentia, legum cõtemptus, prædandi sæviendique cupiditas, insolentia, perfidia, impietas habitat.

Optimus quisque miles, qui patriæ defendendæ incensus studio nobilem ex armis gloriã quærit, otii impatiens ad nascentium bellorum famam exhilarescit gaudiumque concipit. Si insonet auribus Martii æris sonus, si pulsentur tympana, si volitent sub signis equi virique, si structa in campo fulgeat acies, si conferendis armis proponatur signum, generosâ lætitiâ effertur. Nihil volupe magis, quàm premere equum calcaribus, obtegere crinem casside, concurrere cum hoste adverso, evadereq; in hostiles muros, pro gloriâ &

victoriâ

victoriâ nullum laborem, nullum periculum extimeſcere.

In ferrum mens prona viris, animaque capaces Lucanus.
Mortis, & ignavum peritura parcere vita. l. 10.

Igitur togata pacis munia deteſtantur, literas inermes faſtidiunt, quietem deſidiamque pati neſciunt.

Ut belli ſtudiis impensè delectantur: ita ſumptis ſemel in manum armis, effrœni violentiæ impetu, proſtratis conculcatiſque legibus, violato rejectoque jure, per ſacra, per profana graſſantur. Non preces ſupplicum, non lacrymæ querentium, non integritas innocentium, non pietatis religio, non ſexus ætatiſve debilitas concitati furoris curſum refrænat. Pro lege manus; pro jure gladii acies diſceptat. Pro ratione eſt voluntas: pro æquitate libido. Fas eſt, quicquid armis miles obtinere poteſt

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer: Hor. de
Iura negat ſibi nata, nihil non arrogat armis. art. p.

Sub his militaris violentiæ ſignis *Themiſtoclem* Plut. videas, *Vim* & *Suadam* Deas ſecum ad *Andrios* ducentem: ut, quod ſuadendo impetrare non poſſet, vi armata extorqueret. Et *Lyſandrum*, ſtricto enſe, *Argivis* dicentem: *Qui hoc ſuperior eſt, optimè de finibus diſputat.* Et *Scipionem* gloriantem; *per ſanguinem hoſtium viam ſibi ad cœlum factam.* Et [a] *Marium* inter armorum ſtre-

a Plut. in Apoph. Rom.

b Plut. in Han. pitus legum vocem non audientem. Et [b] *Hannibalem*, in Carthaginensium concione, Gisconem è suggesto deturbantem. Et [c] *Cæsarem* ab ærario Metellum abstrahentem. Quod [d] *Antigonus* Sophistæ librum de Iustitia scriptum porrigenti dicebat: *Quid apud me, rapientem armis aliena, de justitiâ disseris?* hoc omnibus ratum est militibus; leges parvi pendere, æquitatis nullam rationem habere, manum rebus alienis injicere, per aliorum damna triumphos quærere.

c Plut. in Rom. Apoph.

d Eras. l. 4. Apoph.

Tanta est in militari turba prædæ cupiditas, tanta rapiendi spoliandique libido, ut illâ potissimum cædes, vulnera, sanguis pensentur. Ausus hoc fuit ad *Magnum Macedonem* captus in mari pirata magno liberoque dicere spiritu: [e] *Vt ego exigua, ita tu magna raptorum manu spem prædæ sequeris, terrasque omnes classibus atque exercitibus diripis.* Ex hostico prædas agere, virtutis est; hoc verò fœdum, ut quos defendere miles armis objectuque corporis debebat, illos per vim atque injuriam offendere satagat. [f] *Nullum equidem inter hostes ac amicos discrimen ponit.* Cum venit ad manum occasio, [g] *insontium calamitatibus avaritiam explet.* Ubi parta manu res est, *ex* [h] *abundantiâ ad luxuriam convertitur*; aleâ, vino, pene omnia parvo tempore dilapidans. In spe prædæ sola militum est opulentia, in

e Curtius.

f Guicc. hist. l. 17.

g Tac. hist. l. 2.

h Plut. in Cat.

diem

diem ſemper viventium. Si quis inter illos ad rem attentior opulentiorem fortè prædam ſortiatur, detrectat militiam, ſubductuſque periculo cauponariam plerumque exercet. Qualem conſpicatus Epaminondas, [i] *Mihi*, inquit, *redde clypeum : tibi verò cauponam emito, in qua vitam degas. Metuit mortem, qui habet, unde vitam ſuaviter vivere poßit.* [k] *In otio caſtrenſis turba expeditionibus aſſueta laſcivit*, helluatur, diſciplinæ jugum recuſat, in Deum inſurgit, ad malas artes deſciſcit. Ita cupida eſt pecuniæ, ut ſolo quæſtu fida ſit, ac bona. Nihil cauſæ valet integritas, nihil militiæ ſacramentum, nihil patriæ charitas, nihil religio. Unde prædæ ſtipendiique majoris ſpes affulget, illuc arma gratiamque transfert; ſub Diaboli etiam, ſi paſcendo ventri æs offerat, ſignis meritura.

i *Plut. in Græcorũ Apoph.*

k *Tac. in Agric.*

Nulla fides pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur,
Venaleſque manus : ibi fas, ubi maxima merces.

Lucan. l. 10.

Ab Armis ad *Opificum* ſordidas tabernas, & illa *Mercatorum*, *Nautarum*, *Ruſticorum* collegia abeamus; ut, qui mores illic habitent, cognoſcamus.

Mercatores.

Impiger extremos currit Mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Tanta illorum hominum eſt ſedulitas, tanta

corpo-

corporis animique ad faciendum quæstum contentio; ut nullas difficultates, nulla vitæ pericula subterfugiant, si aliqua quærendæ pecuniæ spes sese efferat. Ut *Vespasiano* bene olebat ex urinario vectigali nummus: ita illi omnia ad lucrum revocant: neque multum refert, qua arte, quàm sordidè pecunia paretur. Lucro amicitiam plerique pensant. Lucro fidem atque honestatem metiuntur. Merces suas miris verborum encomiis commendant: gravi pretio emptas, magno periculo advectas, singulari virtute præditas, infra dignitatẽ æstimatas. Ita fraudato emptore supra sortem illas sæpè extrudunt. Blanditiis hîc opus est, calliditate, fallaciis. Igitur byssinis in aliorum damnum utuntur verbis, pejerant, mentiuntur; auro contrà, si sine damno suo minoris possint. Illa lucri venatio multos initis monopoliorum societatibus exhaurire civitatem subegit. Multos consarcinato ære alieno, & prostituta fide, foro cedere, ac creditorem fraudare compulit. Ita ut miseri sunt lucrandi cupiditate; sic turpes lucro facto. In cultu corporis elegantes sunt, & ex abundantia sumptuosi. Cum peregrinis mercibus mores etiam & vitia inducunt peregrina. Quare *Germani* olim, aliæque Gentes prohibuêre Mercatorum ad se accessum; ne ex peregrinitatis contagione labem cives attraherent. *Carthaginen-*

Sueton.

Fr. Patrit. de Rep. l. 1. c. 8.

thaginenses distincta illis in urbe diversoria cõstituerunt. *Græci* rerum venalium foro extra pomœria relegato, à civium consortio illos excluserunt. *Romani*, *Lacedæmonii*, *Thebani*, à Senatu, & civilium functionum muniis removerunt. Malè de virtute mereri putabant, qui lucelli potius, quàm honestatis rationem haberent. Penè namque verum est, quod *Crates*, aurum abjiciens, dicebat: *Nemo potest opibus & virtuti simul indulgere.* Sed hæc in Mercatorum vulgo, cui undiquaque lucelli odor gratus est, indoles notatur. Cæterum Mercatura, post Literarum Armorumque studia, tertium in Civitate locum tenens, sine fraude fallaciisque; honestissimè à multis exercetur, privatæ rei facilem annonam, publicæ opes & firmitatem præstans. Plut.

Mercatoribus *Nautica adhæret turba*; quæ ex familiaris elementi naturâ indolem ut plurimùm mutuatur. Mira est hominibus morum immanitas, ferocia, inquietudo. Mirè contemptor periculorum animus, obfirmata tot pelagi injuriis patientia. Nautæ. Hor. 1. Carm. 3.

------- *Illi robur, & æs triplex*
Circa pectus erat; qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus: nec timuit præcipitem Africum,
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes hyemes, nec rabiem Noti.

Eadem

Eadem hodie nauticis, apud Belgas prçcipuè, ſociis eſt audentia, eadem animi vis; ad ſubeunda pericula promptis, ad tentandam fortunam expeditis. Nullis terrentur difficultatibus, nullum verentur vitæ diſcrimen. Si operæ detur pretium, ipſas Inferni portas irent oppugnatum. Et quem illi fortunæ metuerét caſum; qui levibus auris, & fragili ligno, & infidis fluctibus ſalutem audent credere, toties in vitæ mortiſque verſati confinio? Iactati in alto tempeſtatibus, periclitante vitâ, in humiles effunduntur preces, ſpondent pietatem, nuncupant vota. In portum delati fidem memoriamque ſolvendi voti ventis tradunt. In littus egreſſi, quando libero pede terram pulſant, nullum diſſolutæ in omnem luxum licentiæ modum faciunt, donec unus in bulgâ aſſis ſuperſit. Redacti ad inopiam fluctus repetunt, damnatoque patriæ ſolo ſpem cum *Alexandro* ſequuntur.

Agricolæ. *Agricolarum* paulò molliores & meliores ſunt mores; niſi ubi contumax terræ gleba, & montium ſylvarumque aſperitas hominum quoque ingenia exaſperat, & ad intractabilem ſoli natalis indolem obdurat. Equidem

Sen. Hiſp.
Non alia magis eſt libera, & vitio carens,
Rituſque melius quæ priſcos colat:
Quàm quæ relictis mœnibus ſylvas amat.
Non illum avaræ mentis inflammat furor,

Qui

Qui se dicavit montium insontem jugis:
Non aura populi, & vulgus infidum bonis;
Non pestilens invidia; non fragilis favor:
Non ille regno servit, aut regno imminens
Vanos honores sequitur, aut fluxas opes.

Suâ contentus casulâ, & agro modico, strepitum omnem forensem odit, urbanas delicias contemnit, in vestitu luxuque corporis luxuriam aversatur. Nihil habenti nihil deest. Si terra cum fœnore suum reddat depositum; si arbores uberes proferant fructus; si pecus lac copiosum fœtumque fundat valentem; satis se divitem, satis honoratum, satis felicem æstimat. Nihil magni facit ac in pretio habet, quàm equum plaustro trahendo firmum, bovem in prato luxuriantem, vaccam lactea ubera demittentem, porcum avidè pascentem, segetem feliciter adolescentem, agri colendi supellectilem nitentem. Hoc unum laudat. Hoc supra Attalicas effert conditiones. Hyeme repositis in usum fructibus ad genialem focum hilariter cum uxore familiaque perfruitur, & de superatis feliciter incommodis, de copiosâ segetum messe, de suppleto fœturis grege, de ubere partu nemorum apud suos gloriatur. Queruli tamen plus æquo apud alios sunt Rustici, nunquam libero ore sua commoda professi. Nūc parcos frugum proventus, aliâs annonæ vilitatem,

improbos

improbos labores, infinitos ſumptus, iniqua vectigalia accuſant. Et interpellat ſæpè turbatque animi quietem gravis de cœli bellique injuriis formido: ne prædonum manu fortunis evertantur; ne aut ager nimiâ pluviâ radatur; aut fruges æſtu geluve contabeſcant; aut arbores ſiderentur; aut aquarum illuvies calamitaſve ſumptuoſi laboris ſpem prima in herba fruſtretur.

Claud. *Indocilis rerum, vicinæ neſcius urbis,*
Adſpectu fruitur liberiore poli.

Ibi inter porcos vaccaſque penè obbruteſcit. Mores inſulſi ſunt, ſermo ineptus. Præter arenam ſuam nihil novit omnium rerum. Cum ad civicos venit cœtus, tanquam ſi in alio natus eſſet Mundo, omnia mirabundus intuetur, horret, obſtupeſcit. Quo cum homine, aut ſtipite Æthiope, ſi in foro conſtitiſſes, nihil credas intereſſe.

Opifices. *Officina* vix quicquam habet ingenui; non artem vendens, ſed operam. Plebeja hic habitat vilitas, ſordities, dejectio. Servilibus adſueta miniſteriis indoles ſervilem manum tenui locat mercede. Spe fortunæ melioris præſentem ſemper ſtatum damnat, novitatis avida. Itaque ad omnem rumoris auram arrigitur, manumque & fidem firmandæ factioni ultrò addicit; ſi fortè faciliorem ducendæ vitæ conditionem nanciſci poſſit. Vivit in

diem

diem plerumque, & ad diurni quæſtus cenſum ſumptum exigit ventris paſcendi. Parcius vivit profeſtis diebus; ut feſtis, ſi quid ſubtraxerit quotidiano uſui, largius profundat.

Cap. IX.

De Profeſſione Literariâ.

SApientiæ demum ſtudia atque *Eruditio* veram ſummamque homini virtutis laudem impertiunt. *Eruditionis laus.*

------ *Ingenuas didiciſſe fideliter artes* *Ovid.*

Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Eruditio ſuos alumnos à beſtiali feritate rituque vivendi barbarico ad humanitatis cultum traducit. Eruditio virtuti rudimenta atque incunabula præſtat; quibus innutrita grandeſcit, & ad ſummam dignitatis amplitudinem conſurgit. Eruditio indomitas animi libidines rationis imperio coërcet, iram moderatur, amorem refrænat, invidiam, odium, metum ad modeſtiæ præſcriptionem revocat. Hæc à ſordidis parandæ pecuniæ ſtudiis, à voluptatum fruitione, ab humilibus vulgi cogitationibus, à fluxis caducarum rerum curis averſa, arduæ virtutis & veritatis meditationi mentem intendit. Hęc ſupra fortunam aſſurgens res adverſas fortiter, ſecundas moderatè tolerat, omnem vitæ conditio-

nem ad honestatis legem exigit. Hæc datum vivendi à naturâ tempus in reformanda priscæ integritatis imagine collocat; omnem ingenii corporisque vim in juvanda Rep. & procurandis aliorum commodis impendit. Illam igitur tanti fecit [a] *Aristippus*; ut interrogatus, quod filio eruditio præstitura esset beneficiũ, *Vt nihil aliud*, inquit, *certè vel in theatro non sedebit lapis super lapidem*. Quem cùm de institutionis pretio cerdo aliquis compellaret, tantique mancipium se emere posse diceret, [b] *Eme hoc*, inquit, *& habebis duo*. [c] *Aristoteles* quidem tantum doctum ab indocto differre sensit, *quantum vivi à mortuis*: [d] *Plato*, quantum *ægri à medicis*: [e] *Demades*, *quantum dii ab hominibus*. Quod cum *Alexander* cogitaret, [f] *Malle se doctrinâ alios antecellere*, pronunciavit, *quàm opibus ac dignitate*. Est enim Eruditio, [g] *Thaletis* judicio, *consummatæ felicitatis possessio*: *Socratis*, *pulchritudo Mundi maxima*: [h] *Glyconis*, *sacrum Asylum*, hominum in omni fortuna præsidium: [i] *Ciceronis*, *in adversis solatium*, *in secundis ornamentum*. A quâ quid [k] *Hieron*. adjumenti accepisset, interrogatus; *Vt injussus faciam*, *dixit*, *quæ alii legum metu*. Et [l] *Dionysius* regno pulsus; *ut fortunæ iniquitatem animo tolerem æquo*.

a Laert. 2. c. 2.
b Laert. l. 7. c. 8.
c Laert. l. 5. c. 1.
d Stobæus.
e Anton. serm. 50.
f Brus. l. 3. c. 35.
g Laert. l. 1. c. 1.
h Max. serm. 17.
i pro Arch.
k Max. serm. 17.
l Plut.

In tantis beneficiis, quæ universim homini præstant Literæ, suam singulis separatim indolem affundunt, editis plerumque actionibus,

bus, ex ſubjecti ingenio, & functionis habitu, diverſis. Principatum Eruditionis *Theologi* ſibi vendicant; qui rectè de DEO ſentire, cognitumque religiosè colere, ex ſacrarum legum præſcripto, populum docent. Ex illis quotuſquiſque ſeſe ad priſcæ ſanctitatis imaginem componit, & in dignam tanto faſtigio mentem conſurgit, corruptos ſui ſæculi mores hominumque vitia libero ore inſectatur. Nullius aut Ordinis eminentiam, aut fortunæ ſplendorem, aut amicitiæ neceſſitudinem tanti facit, ut non Cenſoriæ correctionis aciem, ubi opus eſt, diſtringat. Non effundendæ gratiæ metu, non irritandæ multitudinis periculo, non odiis potentium, non cruciamentis ſuppliciorum terretur; quo minus delinquētium improbitatem arguat. *Theologi.*

Non illum Civium ardor prava jubentium, *Horat. l. 3. Carm.*
Non vultus inſtantis Tyranni,
Mente quatit ſolidâ.-----
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Atque ut nō curat malevolorum odia: ita neque in odia ipſe rapitur, ſi frangere atque edomare obſtinatam verbis contumaciam nequeat. Prodigos ſuæ ſalutis mortales ad ingrediendum religioſæ pietatis iter hortatur; ad perſequēdum arduę virtutis curriculum incitat; ſegnes increpat; exorbitātes reducit; debi-

 les con-

les confirmat; deficientes erigit; omnes ad urgendum pulcherrimi operis conatum accendit. Et quam insistere viam aliis suadet, illam primus ipse suis vestigiis signat: non magis ore & more hortator virtutis; quàm opere cultor. Nihil pro se; sed honore Numinis publicisque commodis laborat. In cultu corporis est modicus; in victu frugalis; in sermone modestus; in totâ vivendi ratione priscæ sanctitatis æmulus. Qui cum pedem domo effert, relinquere seriæ pietatis vestigia, & excellere omnes alios virtute sapientiaque videtur. Ut gravi sæpè voce in sæculi sui vitia, in immodicam honorum ambitionem, in immensam opum cupiditatem, in profusam vestium gulæque luxuriam detonat: ita Errores in Religionem illapsos censoria notatione perstringit, hæreses pullulantes scripturæ documentis rescindit, sectarios ab Ecclesię communione removet.

Tali ingenio Theologos meritò reverendos sacrorum Antistites, fidos Ecclesiæ Pastores, Ministros Christi, Dispensatores mysteriorum DEI, salem terræ, lucem mundi, legatos de cœlo, patres Christianæ familiæ nominamus & veneramur. Quam tantæ dignitatem functionis non tuentur, qui impietatem vultu, immodestiam veste, flagitia Religionis velo tegunt. Videas enim in illo Mystarum

ſtarum ſacro ordine homines, qui imparem tanti muneris faſtigio ſortiti indolem, Religionis officiique ſanctiſſimi dignitatem non ſuſtinet, Nummi religioſiores cultores, quàm Numinis. Prô deteſtabilem promovendę pietatis negligentiam! Per omnem totius ſeptimanæ decurſum turpi marcentes ignaviâ, ſacro Servatori die unam de divinis rebus ad populum concionem habent, vix brevis horæ meditatione elaboratam. Quo levis operæ defuncti penſo ſatisfactum abundè officio, neque deberi quicquam ulterius Numini credentes, aut congreſſibus amicorum quærendis, aut rei parandæ, aut ventri per otium ſaginando, aut aliis profanarum rerum ſtudiis inſiſtunt. De curando pietatis officio, de promovendâ hominum ſalute, de propagandâ DEI gloriâ penè penſi nihil habent. Scilicet ita curare decet res divinas, ne defixis in cœlum oculis terra relinquatur. Vultu, ſermone, geſtu eximiam in ſpeciem fingunt pietatem, quam malis animi moribus prætendunt. Si obſtipo incedant capite, ſi frontem ad triſtem ſeveritatem corrugent, ſi ſupercilia contrahant, ſi veſtem ambitioſè humilem induant, ſi plebem in externo ſtupentem habitu ſibi concilient, ſatis rectè mereri ſe de Religione ac Eccleſia putant. Inculcant magnificis verbis virtutum ſtudia, perorant in hominum

vitia voce ſtentoreâ, fundunt vivendi præcepta ſaluberrima. Ipſi vitiis omnibus pleni inutilis doctrinæ ſeſe in ſpeculâ ponunt exempla. Si quis eos arguat, fucum flagitiis inveniunt, & ficto Religionis patrocinio nævos ſuos tuentur. Facite, quæ dicitis, boni viri; & quàm aliis continentiæ legem indicitis, illam injungite vobis ipſi. Tum demum vitam aliorum rectè arguetis, ſi vos vivitis ipſi, ut aliis præcipitis. Suadetis populo concordiam: ipſi atroces cum aliis ſimultates geritis. Iubetis in cultu corporis continentiam: ipſi domi luxu delitiisque omnibus diffluitis. Præcipitis ſentientem de ſe humiliter modeſtiam: ipſi ſuperbiæ intolerabilis elati ſpiritu alios deſpicitis, vos ſupra cathedræ veſtræ apicem effertis. Prohibetis quæſitis inſidiosè ſuffragiis ad opes & dignitates eniti: ipſi in opulentæ functionis cupiditatem omnibus viribus incumbitis, & magni laboris curarumque provinciam, quæ miniſtros olim quærebat, inſano ambitu depoſcitis, triſti argumento Religionis noſtra ætate plus nimio afflictæ.

In hoc κακονηθῶν Myſtarum Ordine quò quis eſt indoctior, eò ſe majori obſervantia coli poſtulat. Dicta ſua pro ſacris oraculorum effatis, ſententiam pro fatidico Divorum reſponſo obtrudit. Religionem, Leges, publica & privata rerum momenta ſua voluntate atque

atque arbitrio verſat. Omnes ſuos intueri nutus exigit. Si contra quiſquam mutiat, liberamve vocem mittat, impingi in majeſtatem cœleſtem, pollui ſacros ritus, contemni venerabiles DEI miniſtros vociferatur. Stultum caput, quod lapidem è ſepulchro pro DEO velit honorari. Pro factionibus magis, quàm pro veritate; pro ſui Nominis, quàm pro divini Numinis dignitate acrius depugnat. Ita nunc; ut olim in regno tenebrarum; ſub humilis Chriſti nomine & Religionis prætextu, opes atque imperium in Eccleſia parantur.

Multi, ut famam ſibi parent, faſtidioſâ laſcivientis ingenii proterviâ novas opiniones ſeminant, ſciſſa plebe in ſtudia contrariarum factionum. Hoc verò etiam bonis viris adhęret ſæpè vitium, ut adverſariorum ſententiam vix unquam ſyncerè proferant, illâ in aliam mentem detortâ, & in odium deflexâ. Cum quibus ſi ſemel in contentionem venerint, rapti torrentis animi æſtu, in omnibus ab illis divertunt; quæ rectè quoque dicta ſunt, damnant; omnis generis patrocinia, quæ nihil pro cauſa faciunt, ad ſtabiliendam Religionis veritatem, uſurpant; quæ ſuo firma robore non indiget præſidiis adeò caducis. Ita juſtam hodiè in Religione, *contra profanos Pelagianæ fecis recoctores*, litem præceps Ec-

clesiasticorum fervor aliquando malè egit: cùm aut neglecta veritatis re contra personas dimicaret: aut incertis documentis fidem bonæ causæ faceret; aut intempestivâ contentione hominum animos vulneraret, iniquissimo præjudicio Religione oneratâ.

Philosophi. A cœlesti Sapientia proximum meritæ dignitatis locum tenet Humana; cujus Sectatores à propenso in illam studio *Philosophos* nominamus: hominum genus, præter alios, rectissimis moribus imbutum, animo non ad sciendum magis, quàm benè vivendum exculto. Hîc princeps virtutum omnium habitat modestia, pudor, continentia. Hîc sedem defixit veritas, opum honorumque fluxorum despicientia, prisca vivendi sanctimonia, nescia malarum artium simplicitas. In hoc enim maximè semper incumbit philosophus, ut coërceat cupiditates rationi obluctantes, ut domet effervescentem libidinem, ut restinguat iracundiæ æstum, ut reprimat invidiæ impetum; ut ab odio, à superbia, ab immoderato voluptatum studio animum abducat. Divitias, magnum sæpè & virtutis exercendæ, & tranquillitatis fruendæ impedimentum contemnit. Honores ab instabili gratiæ popularis aura pendentes fastidit. Supra humilem assurgens plebem omnia caducarum rerum studia despicit. In venanda veritate, in acqui-

acquirenda ſapientia, in paranda excellentis doctrinæ gloria, omne vitæ tempus, omnem animi vim atque corporis collocat. Præ illa [a] *Diogenes Alexandri* magnitudinem ſoli obſtantem rejecit, Macedonum donis difficilius expugnandus; quàm armis *Darius*. Præ illa [b] *Socrates* Archelai; [c] *Plato* Dionyſii Regis convictum & ſocietatem deſpexit. Præ illa [d] *Xenocrates*, Alexandri & Antipatri; [e] *Demetrius Cynicus*, Cæſaris; [f] *Apollonius Thyaneus*, Veſpaſiani largitiones repudiavit.

a *Val. l.* 4. *c.* 3.
b *Laert.*
c *Plut. in Dion.*
d *Val. l.* 4. *c.* 3.
e *Bruſ. l.* 1. *c.* 9.
f *Philoſtr. in Apoll.*

In iſta pulcherrimarum virtutum meſſe magna etiam ſæpè vitiorum redundat pullities, generoſo Sapientiæ liquore fœculenti vaſis contagione depravato. Quod animadvertens *Epictetus*, *O homo*, inquit, *vide quò Sapientiam mittas; ne illa non purgato vaſe computreſcat.* Multi namque improbis moribus, barba pallioque tantum philoſophantur; tùm ſe omnes philoſophiæ numeros impleviſſe rati, ſi habitu tituloque philoſophiam profiteantur: ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν. De quibus ſcitè *Plutarchus* loquitur: οὔτε γὰρ φιλοσόφους πωγωνοτροφίαι, καὶ τριβωνοφορίαι ποιοῦσι, οὔτε ἰσιακοὺς λινοστολίαι. Qui homines ſub verecundo modeſtiæ tegumento ſpiritus feroces gerũt, dejectiſque humi oculis & depreſſo ſupercilio, in cœlum animis efferuntur. Se ſolos ſapere, ſolos rectè vivere exiſtimant; alios mortales tanquam volitantes

Gell. l. 17. *c.* 19.

umbras præ ſe aſpernantur. Quod de ſe ipſo
Eraſ l. 8. Apoph. fateri fuit auſus *Socrates*: cui cum *Alcibiades* magnifica mitteret munera, *Xantippa* avidè inhiante: *Ille hæc mittit ambitiosè*, inquit, *nos ea pari ambitione remittamus.* Notavit illam in *Antiſthene* ambitionem; qui cum veſtem laceram
Ibid. atque attritam ſuperbe oſtentaret; *Non deſines*, ait, *te nobis comere.* Aliàs cùm fiſſuram pallii populo ille obverteret, *Per fiſſuram*, dixit
l. 3. Apoph. Socrates, *pallii tui video tuam vanitatem.* Mirum profectò, quòd tam turgidi animi ſpiritum in tam anguſto dolio trahere potuit Diogenes. Ille calcans *Platonis* culcitram ornatè ſtratam,
Laert. l. 6. *Platonis*, inquit, *ambitionem calco.* Sed ſcitè redarguit Cynicam ſimulationem Plato: *Superbiam, Diogenes, calcas ſuperbiâ aliâ, quæ ſub affectatâ gloriosè ſorditie deliteſcit.* Quam gloriæ larvam umbratilem in Laconibus agnovit, & redarguit *Diogenes* ipſe: quos cum in laceris & ſquallentibus tunicis magnificè oſtentare
Ælian. l. 9. var. hiſt. ſe videret, *Ecce*, dicebat, *ſuperbiam, ſub modeſtiæ habitu gloriam venantem.*

Quot capita, tot inter philoſophos novorum dogmatum videas Magiſtros, tractâ in partes ſequacium turbâ. Ad quamcunque aliquis diſciplinam quaſi tempeſtate defertur, ad eam tanquam ad ſaxum adhæreſcit. Clavam citius Herculi eripias; quàm ut abſtrahas illum à factione frequentati ſemel præceptoris.

ris. Solertiſſimi homines Solem & Lunam pollice metiuntur; cœli ambitum menſuratione complectuntur;maria terraſque acie ingenii penetrant; ventorum,fulminum, tonitruum cauſas reddunt, perinde quaſi Naturæ architectrici à ſecretis fuiſſent, & è Deorum conſilio venirent. Sæpè cum nihil ſciant, omnia ſe ſcire profitentur. Et cùm ſe ipſos ignorent, res tenuiſſimas; quas ne Lynceus aliquis perſpiciat, videre ſe ac cognoſcere prædicant. Cùm de omnibus rebus inter ſe digladientur, de lanâ etiam caprinâ pertinaciſſimè contendunt, nimiumque altercando veritatem, quam ſtudiosè venantur, amittunt.

Philoſophis cognati ſunt *Scholarum Magiſtri*, qui animorum generatione DEVM æmulantur, pubis formatione Naturam perficiunt, amoris ſtudio Parentes æquant, virtutum ſapientiæque præceptis Remp. conſervant. Quòd ut præſtent, ô Herculeæ virtutis animoſa pectora! in Scholarum piſtrinis inter puerorum greges laboribus conſeneſcunt, clamoribus obſurdeſcunt, pædoribus contabeſcunt. Interea dum pavidam turbam voce vultuque territant, dominantiumque imperia miſellus grex exequitur, principem ſe intra omnes mortales locum tenere putant. In duriſſimâ ſervitute, quam ſerviunt, Regiæ poteſtatis eminentiam; in extremis in-

Ludimagiſtri.

mis infimorum hominum ſubſelliis invidenda honorum faſtigia ſibi imaginantur. Sordes ergaſtuli ſqualIentis, munditiæ videntur. Fœtor puerilis amaracinum olet. Ferulam Sceptro, cathedram ſolio, togam magiſtralem Cæſario potiorem paludamento habent. Permittite, quæſo, hanc Ludimagiſtris nobis ſtultitiam; cujus perfuſi ſuavitate, per ſummam corporis animique moleſtiam, veſtros urſinæ deformitatis catulos effingimus, atque utiles Reip. cives damus. Neque ulla re magis quiſquam demereri ſibi DEVM poteſt; nullum Reip. majus meliuſve munus afferre; quã ſi doceat atque erudiat juventutem, his præſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrænanda atque coërcenda ſit. Quod etſi vulgus profanum aſpernetur, & deſpicatui habeat; regno tamen proximum eſt munus, publicum civitatis in formanda juventute negotium agere. Quod cùm obire cum dignitate Dionyſius non poſſet, à ſceptro ad ferulam dejectus, non immeritò hunc Cynicæ mordacitatis ictum ipſi Diogenes intulit: *Quàm malus olim populi Rex fuiſti; tàm nunc es malus puerorum Rector.*

Hoc ut plurimùm omnibus vitium eſt prȩceptoribus, ut inter extinctæ vetuſtatis rudera, in umbra Gymnaſii verſantes, foris inepti ſint, obrutique ſcholaſtico pulvere lucem &

publici

publici congreſſus arenam non ſuſtineant. Si fortè compellandus illuſtri dignitate vir; quaſi objectâ ſiniſtri ominis terriculâ, conturbantur. Si dicenda in publico cœtu ſententia; humilis verecundia linguæ dicta præpedit. *Membra metu debilia ſunt, animus timore ſtupet, pectore conſiſtere nihil conſilii quit.* Ex aſſidua fatuæ ætatis criminatione mores aſſumunt aſperos, immites, odioſos; niſi adnatæ humanitatis condimento mitigentur. Sua etiam eſt ſub pulverulento pallio ſuperbia, ſupra *Donatum*, *Quintilianum*, *Ariſtotelem*, veteris omnes recentiſque ævi Magiſtros, in tradendis artium præceptis, ſe efferens. Si quis adverſus ipſorum placita conſurgat, bello rem vindicandam putant. Si quis aliter ac ipſi legat, ſcribat, rem diſſerendi dicendique tractet, peſtem juventutis clamitant. Si quis in Grammaticæ præceptum temerè impingat, probroſis invectivis eum perſequuntur. Si ſoluta ligatave oratione aliquid ad regulas artium ſcriptitent, *Maronis* ac *Ciceronis* animum in ſuum demigraſſe pectus autumant. Si voculam antè incognitam, aut ſenſum priſci authoris intricatum didicerint, quaſi de capto *Buſcoduco*, aut interceptis *Americæ theſauris* triumphant. Denique ex diuturno cum pueris commercio, pueri fiunt ipſi, diſcipulorum ſuorum ludibria, vulgi fabulamenta, nihil tot annorum laborum-

Adelph. 4. 4.

que

que meriti tædiis, quàm pauperem domi victum, contemptam senectutem, valetudinem corporis profligatam.

Advocati. A Scholastico pulvere ad illum clarissimorum hominum illustrem cœtum digrediamur: quem si non ex singulorum moribus, sed ex collegii totius gravitate, habituque virorum specioso æstimes, Areopagitarum aliquem Senatum videre te putes, mira honoratissimi ordinis reverentia spectantibus offusa. Causarum, ut video, *Patroni* sunt; qui Iuris & legum consulti advocatam reis operam in judicio præstant. Inter quos reperias egregiâ fide, gravitate, justitiâ, sanctitate homines; quibus æquitas avaritiæ artibus, innocentia largitione potior est; non magis juris, quam justitiæ consultos. Vix in aliis hominibus humanitas politior, candor animi syncerior, amor Reip. bonorumque omnium certior: qui neque cum rudibus philosophis sibi tantùm sapiant; neque cum fucatis Theologis veste ac supercilio modestiam ostentent; neque cum imperitis Medicis salutem hominum fallacibus experimentis periclitentur; neque cum reliqua eruditorum plebe in Musæorum umbris computrescant. Hoc talibus viris præcipuum est negotium, ut causas apud Iudices orent, & vel improbitatem criminibus arguant; vel innocentiam injuriis irretitam

tam adverſariorum expediant. Ingenium, laborem, fidem ſuam miſeris paratam præbent. Iuris rationem cum æquitate conjungunt. Iuſtitiâ, induſtriâ, temperantiâ, afflictorum defenſione, odio improborum, ſtudiorum magnitudine, officiorum opportunitate, incredibili in omnes humanitate, benevolentia, ſtudio, illuſtrem ſibi laudis famam in civitate parant.

Non ſuſtinent tanti nominis dignationem Rabulæ forenſes, qui in fas nefasque verba locánt, ſordentium incolę cauponarum. Sed neque illi quidem, qui ſplendido magnifici titulo, atque inſignibus ſuperbi Iuriſprudentiæ, nullam civilis doctrinæ cognitionem perceperunt, nullam legum ſcientiam habent. Multi namque in illo populo, vix ultra primas aliquouſque progreſſi literas, ſuo publicoque damno præcipitatis ſtudiis, in exteras, Galliæ præcipuè, Academias proficiſcuntur: ubi non tam legibus evolvendis; quàm linguæ moribuſque peregrini ſoli formandis opera impenditur. Exacto per has curas anni, aut biennii ad ſummum ſpatio, quando aut ſumptuum grandium lacunæ, peculio vacillante, aut patriæ deſiderium, tædiumque ſuſpenſi diu amoris domum revocant, auro Laurum emunt, Doctoribus ad promiſcuam honorum nundinationem proſtantibus. His

artibus

artibus quæſito Advocationis jure, ſi nati inter divitias, honorati muneris aliquam functionem; ut Doctrinæ titulum antea; emptis mendicatiſve ſuffragiis mercantur. Alii, urgente inopiâ, aut ad obſcura pagorum, & plebejæ Curiæ tribunalia advocationem exercent; aut emptis pecuniâ litibus parvo ære merent, viles aſſeclæ clientium dominorum. Quàm vos malè de Rep. meremini hiantes imminente avaritiâ Doctores; qui inexpertos adoleſcentulos, neſcios æquitatis humanæ, ignaros civilium rerum, cum empto teſtimonio in forum propellitis, in certam clientium ruinam! *Scipio* talem aliquando Siculo cuidam dederat patronum: cujus cum ille ruditatem noſſet, ad Prætorem converſus, *Quæſo*, inquit Siculus, *da hunc adverſario meo patronum; deinde mihi dederis neminem.*

Bruſ. l. 5. c. 18.

Qui verò legibus diſcendis ſtudioſius vacant, & per ardua & moleſta juris factique argumenta ingenia diffundunt, raò aliis bonarum artium ſcientiis animos excolunt. Nō, pretioſam ad humanæ vitæ culturam, Antiquitatis cognitionem perdiſcunt. Nō Romanæ Græcæque ſapientiæ ac facundiæ venuſtatem in pretio habent. Satis ſe didiciſſe ac ſcire putant, ſi evolutis legum ſuarum codicibus queſtuoſā præſtare poſſint in prætoriis advocationem. Illis quidem una eſt opum hono-

rumque parandorum cura : quo per patrocinationes certâ expeditâque itur viâ. Sed variarum hîc artium aucupia ſunt & tendiculæ, quibus res paratur, & collectâ civium gratiâ ad dignitates aſſurgitur. Primus omnium labor eſt, ut litibus implicetur cliens, ad incertos judiciorum exitus attracta ſimplicitate. Poſito velitationis rudimento, & conteſtatâ lite, hoc maximè agitur, ut in longinqua judicia litigantes adducantur, ſparsâ in varias quæſtiones causâ, quæ unâ abſolvi cognitione poſſet. Tum longis nodis impeditur involviturque judicatio, contentionibus religioſo quodam ordine ſuſpenſis. His artibus regnum producitur in miſeros, cauſidicis perenni paſtu impletis, & miſeriis clientium ſaginatis. Leges ipſas in multos mæandros, & diverticula flexioneſque callidarum interpretationum detorquent: in quibus ſi inveniant aliquid, quo circumvenire ac eludere ſimplicitatem poſſint, ſummæ id laudi ducitur. Linguam, calamum, fidem, magno innocentiæ malo, venalem habent, ex magnitudine munerum juſtum honeſtumque æſtimantes.

Ibi fas, ubi maxima merces.

Non certius eſt ſummæ documentum injuſtitiæ, omnes lites, omnia in judicium protracta flagitia ſuum habere patronum. Neq; enim ullum eſt tam tetrum facinus, cujus non

N ſuſcipiat

ſuſcipiat defenſionem Advocatus. Nulla eſt tàm aperti juris cauſa, cui non criminationis ruina & tempeſtas à canibus curiarum aſſeclis concitetur. Scilicet undiquaque gratus eſt illis Harpyiis lucri odor; quæ non quid deceat curant; ſed quid proſit. Ita fama, fortunæ, ſalus miſerorum, ludibrio habetur, quicunque ſe ductu auſpiciiſque talium cauſidicorum credunt tribunali.

Medici. Paulò diutius, quam par eſt, deſcribendis literatorum hominum moribus immoror, oggeſto fortaſſis auribus faſtidio audiendi. Neque expedirem facilè exitum inſtitutæ orationis, ſi perſequi omnia pro rerum copiâ vellem. Sed modum ponam ſermoni, finemque faciam dicendi, ubi parum admodum de *Medicorum* indole adjecero. Medicum doctum ſolertemque meritò ſemper maximi omnes facimus;[c] cujus author DEVS eſt, & de cœlo in ſalutem hominum manant medicamenta. Ille in tuendâ firmandâque hominum valetudine, ſine qua vitæ omnis fruitio & uſura lucis acerba eſt, anxiis ſemper curis diſtinetur. Ille corporis vires ſartas atque incolumes conſervat, inclinatas erigit, fractas reſtituit, morbum ingruentem arcet, præſentem propellit. Ille vitæ fugienti manum injicit, hærentemque in ore ac faucibus lethi ægrum à propinquo exitio vindicat. Quod ut præſtet,

c *Eccleſ.* 38.

ſtet, neq; olente morbidi corporis animâ deterretur; neq; contagione virulentæ fœditatis avertitur; neque fœtore excrementorum ingrato revocatur. Non nocturnæ quietis interpellatio, non tenebræ caligantes, non cœli tempeſtas, non continuata dierum noctiumque cura, in juvandâ hominum ſalute induſtriam labefactat. Raphaël angelus artis iſtius opus exercuit. Chriſtus ægris corporibus peſtem depulit. Reges magni medicinam fecerunt. Philoſophi docti curationem ægris adhibuerunt. d Hom. 11. Il.

---- d Vir medicus multis virtutibus unus
Prævalet ante alios multos; ſeu tela ſagaci
Corporibus defixa manu trahit, intima ſcrutans;
Mitia ſeu doctâ miſcet medicamina dextrâ.

Sed pauci admodum hanc doctrinæ induſtriæque laudem merentur, pleriſque medicorum filiis, cum tenuem ex fallacibus libris atque experimentis cognitionem hauſerunt, medicandi operam ad quæſtum uſurpantibus. Qui aliorum diſcentes & diteſcentes periculo, de vitâ capitibuſque hominum negotiantur, & Carnificum more, poſt factam cædem mercedem exigunt. Plurima enim medendi opera non ex certiore ægri corporis atque ægritudinis cognitione; ſed præſcripto codicilli, dubiâque experientiâ & conjecturis exercetur. Ita periculoſa de capitibus

hominum alea jacitur, ſaluſque ægrotantium permittitur fortunæ. Sæpè inde ſalus petitur, unde certa eſt ruina. Cujus beneficum auxilium exſpectamus, ejus veneficam manum experimur. De Medicamentis dicas, quod illud ingeniorum omnium compendium de Chao ſuo *Naſo*:

e *Met.* 1. ------ [e] *Rudis indigeſtaque moles,*
Nec quicquam nibi pondus iners, congeſtaq; in uno
Non benè junctarum diſcordia ſemina rerum:
Vbi corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

Igitur merito *Adrianus Imp.* cum confici ſe medicamentis, & lentâ morte conſumi animadverteret, jam luctante cum morte vitâ exclamavit: [f] *Multitudo Medicorum Cæſarem perdidit.* Ut ille ignavam inter cruciatus mortem deploravit; ita *Stratonicus* præcipitantem impigrè fata Medicum laudavit; [g] *quod non ſineret infirmos in lecto computreſcere; ſed ſtatim eos à miſerâ vitâ liberaret.* Cui adſtipulatur [h] *Pauſanias* & *Socrates*; qui optimum eſſe dixêre Medicum, *qui non ſineret exalbeſcere ægrotos, ſed quamprimum ex luctuoſâ vitâ deturbaret.* Interea felices ſunt tales, [i] *Nicoclis* judicio, Medici; *quorum ſucceſſus, periclitante hominum ſalute, ſol intueatur; errores terra operiat.* Si fortè difficilem morbum ancipite remedio profligaverint; tum verò ſe in cœlum

f *Dion Caſſius.*
g *Max. ſerm.* 50.
h *Plut. in Luc.*
i *Max. ſerm.* 50.

cœlum laudibus extollunt; tum artes suas nulli cognitas mortalium jactitant; publicis literis ac testimoniis divinas curationum suarum laudes diffundunt. Nullo sermone gloria tanti miraculi prædicari, nullo munere opera compensari potest. Quo fortunæ successu [k] *Menecrates* Iovem se appellavit, thure hostiaque se coli passus. [l] *Empedocles* verò in medios sese Ætnæ ignes conjecit, ut inter Divos referretur. Sin minus successerit voto curatio, ægro inter medici manus expirante, culpam omnem aut in obstinatam mali contumaciam, aut ægri intemperantiam conferunt. Non esse se Deos, qui vitam fugientem revocent; non injicere se posse moram fatis; non expugnari suâ operâ naturæ sævientis vires. Aliquis propinato pharmaco postridie reversus ad ægrum, jam cum morte disceptantem, cum nullam prostratæ subitò valetudinis causam reperiret, visis sub lecto asini clitellis, [m] *Quis miretur*, exclamat, *morbum factum auctiorem, cum asinum æger devoraverit, rejectis sub lectum clitellis.*

k *Alex. l. 6. c. 4.*
l *Ael. l. 12. v. H.*
m *Poggius in Facet.*

Quando accersitus ad ægrum venit medicus, composito ad gravitatem vultu, tentat pendente manu venam, examinat urinam, explorat linguam, inquirit rationem victus, omnia naturæ temporumque momenta tanquam ad trutinam librata expendit. Tum

magna authoritate ſtudioque operoſæ coctionis præſcribit medicamenta, propinat catapotia, evacuat ſanguinem, ſubdit clyſteres, ſubjicit peſſulos, inungit partes affectas, applicat cataplaſmata; elinitoriis, maſticatoriis, gargariſmatis, ſacculis, fumis, ſyrupis, theriacalibus, & mille aliis luctuoſæ medicinæ cruciamentis ægrum vexat. Gravi ſupercilio regioque pluſquam imperio acerbiſſimus vivendi leges imponit, jubet inſolita, prohibet inſueta. Plus à tali medico periculi eſt, quàm ab ipſo morbo; damnoſiorque eſt curatio, quàm ſiniſtræ valetudinis malum. Sæpè quem levi operâ profligare morbum poſſet, illum exagitatum medicamentis protrahit; neque reſtituit ſanitati ægrum, ſi dives ſit, niſi ad extremum vitæ diſcrimen adductum; inſidioſo famæ reique parandæ aucupio. Interea, dum in ulcere ſævit unguis, urgetque doloris acerbitas, pecuniam poſcit, quum raro dignam arte meritiſque ſuis exhiberi putat. Quam Medicorum avaritiam cum *Philippus* Macedo cognoſceret, ad colli claviculam, quâ cum pectore conjungitur, vulneratus, [n] *Cape nunc*, dicebat, *quantum libet pecuniæ, quando clavem habes.* Alius cum lippientem curaret aniculam, quoties impoſito oculis collyrio domo exiret, furto ſecum aliquid auferebat. Sanata muliere, cum mercedem operæ poſceret medicus,

[n] Plut. in Apoph.

Atqui

Atqui, anus inquiebat, *nunc quam antea video minus. Plura enim in domo instrumenta conspiciebam lippiens, quam nunc conspicio sana.*

Raro invenias Medicum, qui suæ sectatorem collegamque artis æquo animo ferat. Nullum tam rectum ab alio consilium dari potest, cui non detrahat: nullum tàm salubre remedium præberi, cui non adjiciat aliquid, aut demat. Nulla est apud ipsos opinio, nulla consensio, nulla auxiliorum certitudo. Quod probat ille, improbat iste: unum est ingenii specimen, rejicere aliorum placita, obtrudere sua. Parabolanorum pretium atque æstimatio ut plurimum à pomposâ veste, à jactantis linguæ infantili loquacitate, ab insolita rerum verborumque peregrinitate pendet. Jactat frequentatas sub peregrino sole terras. Commendat Mauros, Arabes, Iudæos, remediorum suorum Magistros. Effert semigræcis barbarisque vocibus medicamentorum stupendas vires; quę aut intimis terrę eruit secessibus; aut nunquam visarum animantium elicuit sebo; aut mille herbarum expressit fibris; aut auro gemmisve eduxit eliquatis. Perfrictæ frontis impudentia nullo confunditur mendacio. Accurrite cives, dum adest missus è cœlo, qui præsentem vobis opem ferat.

Et jam longam satis auribus operam dedimus, mortuo ad umbilicum die; ut

facetus loquitur comicus. Neque tamen ullum auribus obrepsit fastidium; ita me illa de prædiscendis hominum moribus disertissimorum virorum commentatio delectavit. Nemo mihi tanta suavitate dapes condiat, nemo tàm generosi liquoris vinum propinet, quod præ illo scientiæ pabulo allubescat. Quam cupiam in hoc theatro cum illo doctorum cœtu dies integros ponere, fruique suavissimo animi pastu, qui inposterum quoque sua me voluptate deliniret! Sed sonitus æris ad prandium vocat, ad quod ex diutina commoratione integram adferemus famem. Et jam vini flos nulla jugulatus lympha, nidorque genialis culinæ naribus objici videtur. Eamus saturatis nunc auribus, relictoque Minervæ pulpito, Cererem ac Bacchum salutemus. At dum æstuat dies, flagrante per Julium Canicula, illam per devias ambages umbrã sequamur; ut quæ *in Actionum humanarum indiciis*, de *Orationis habitu*, de *Rationis præcociâ*, de *Ludis Lacrumisque* reliqua sunt, paucis vos moneam.

CAP. X.

De Orationis & Rationis usu.

Orationis indicium. ORatio est alterum divinæ munificentiæ donum, quod hominem à brutarum animan-

nimantium ſejunctum conditione proximè cum cœlitum præſtantia conjungit. Hæc nos à ferarum abſtractos convictu ſanctiſſima ſocietatis religione devinxit. Hæc nos juris legumque communione adſtrinxit. Hæc quæ intus parturit animus maximo noſtro aliorumque commodo impertit. Hæc ſanctiſſimi Creatoris laudes deprædicat, bonarum artium diſciplinas inculcat, virtutum honeſtatem commendat, perterritos à timore abducit, improborum audaciam reprimit, iras reſtinguit, cupiditates immodicas refrænat. Quod ut diſtinctè decenterque faciat, miro naturæ artificio, ſpiritalis à pulmonibus egreſſa in os fiſtula deſcendentem à mente vocem ad palati convexum defert: ubi excepta à lingua illius artifici motu in ſuavem elegantiſſimi ſermonis ſonum efformatur. Neque id quidem ſine certo indicio intus animi depreſſi. Non neſcivit hoc [o] *Democritus*; qui ſermonem εἴδωλον τοῦ βίου dicebat. Neque [p] *Demonax*; qui ut in ſpeculo vultus figuram; ita in ſermone animi elucere ſpeciem putabat. Igitur [q] *Socrates* adoleſcentem videns diutius tacentem, cum de illius ingenio judicium ferre à patre rogaretur, *Loquere*, inquit, *adoleſcens, ut te videam.* [r] *Zeno* verò audiens adoleſcentem aſſiduè loquentem, *Non dicam*, ait, *quæ mihi ſuccurrunt*; *è ſermonis procaciâ morum æſtimans impudentiam.* [s] Quare

o *Stob.*
p *Max. ſer.* 15.
q *Apul. Flor.*
r *Laert. l.* 7. *c.* 1.
s *Laert. l.* 7.

non immerito mirari visus est *Diogenes*, *quod cum ollam homines non emant, nisi tinnitu exploratam; in homine emendo solo contenti adspectu nullum animi ex oratione petant documentum.* Ita sanè; ut fictilia vasa digitis pulsantur, ex sonitu æstimatâ illorum probitate: sic abditam atque illatebratam animi indolem prodit sermo. Equidem

t *Hor. art.* [t] *Intererit multum, Davusne loquatur, herusve,*
Maturusve senex, an adhuc florente juventâ
Fervidus, an matrona potens, an sedula nutrix:
Mercatorne vagus, cultorve virentis agelli:
Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis.

Ut non eadem omnibus convenit oratio: ita profecta semel ab ore, certo indicio dicentis ingenium arguit: quod tum ex dicendi scribendique stylo; tum ex formatæ vocis sono elucescit. Vox gravis, aspera, virilis, pressa, in Laconibus Germanisque montanis animum significat impavidum, fortem, militarem. Unde fortissimi apud *Homerum* Heroes βοὴν ἀγαθοὶ nominantur. Qualis in *Alexandro*, in *Pyrrho*, in *Hannibale*, & nuper in *Mauritio Nassovio* audita fuit vox: ex amplo thorace, unde vox exit grandior, cordisque æstu flagrantiore animo ad virtutem roborato. Acuta vox, incitata, crebro incidens, iram significat atrocem. Attenuata, mollis, languida, fœmineæ debili-

debilitatis indicium præbet. Contracta, tremens, interrupta verecundiæ ac timoris habet argumentum. Incondita, inſulſa, ululans ebrio barbarove ore profertur. Balbuties & linguæ hæſitantia tardis ſtupentibuſque Battorum & Bambalionum ingeniis uſurpatur.

Non obſcurius ab Dictionis filo ingenii ſumitur documentum: quæ ut animi ſenſum exprimit; ita vitæ dignitatem repræſentat, & dicentis mores veris lineamentis effingit. Rancidæ Minervæ humilis atque abjecta facundia, nullis perpolita ornamentis, nulla rerum verborumq; ſplendida majeſtate, anguſtos plebeioſque declarat animos, & depreſſam humi tenuitatem. Ab excelſa virtutis magnitudine gravis ac plena dignitatis manat oratio: quæ neque triſti aſperitate horreſcat; neque puerili venuſtate luxuriet, puro copioſoque ſanguine niteſcens. Qualis Eloquentia nihil aliud eſt, quàm copioſè loquens ſapientia. Tumida & inflata verborum volubilitas, quæ nullâ temperata moderatione extra alveum fertur, vi majore deſtituta, Aſiatico immodicæ amplitudinis convenit cothurno, [u] *ſecuri Phocionis* reſcindendo. Qui cum [x] *Leoſthenem* iſto vanæ Eloquentiæ ſuſurro Athenienſes in Lamiacum conjicere bellum videret,

[u] Plut. in Polit.

[x] Plut. in Phoc.

ſpe

ſpe libertatis atque imperii objectâ Orationem illius *Cupreſsis ſimilem dixit, quæ pulchræ eſsent & ſublimes, ſed fructum non proferrent*. In adoleſcentibus tamen illa redundans verborum eluvies floridi vim ingenii profitetur; cujus maturitas omnem facilè luxuriam depaſcet. Meretriciæ elegantiæ fucus, & lenocinia orationis affectatæ laſcivientem puerilibus pigmentis intemperiem teſtatur. Quo immodicæ venuſtatis aucupio cũ *Lyſias* Socratem vel-
y *Cic. l. 1. Orat.* let defendere; [y] *Elegans tua*, Socrates inquit, *eſt oratio; ſed quæ Socrati non convenit*. Cujus rogatus cauſam, *Non omnis*, ait, *calceus omni convenit pedi*. Ut philoſophum venuſtatis neglectæ veſtis; ita oratio decet non affectata. Obſcœnæ dicacitatis oratio vitæ morumque turpitudi-
z *Matth. 12.* nem prodit. [z] Nam cum *ex abundantiâ cordis loquatur os*; eorum, qui turpiter, flagitiosè, inverecundè loquuntur, vitam in fœdiſſimis ſtupris, in privatarum rerum dedecore, in publicâ infamiâ expromi creditur.

Præcocia ingenii. In multis *præcipitata ingenii maturitas*, ratioque preter ętatem effloreſcens non obſcurum ſæpè dedit reconditæ indolis indicium; ſi aut ſapientiæ, aut virtutis, aut improbitatis etiam alicujus igniculi ſub rudis pueritiæ fomite deliteſcant. Quàm non dubium divinæ ſapien-
a *Luc. 2.* tiæ documentum dedit [a] *Servator Mundi Chriſtus*, cum in primæ pueritiæ orbitâ, inter ſapientiſ-

entiſſimos viros, de ſanctiſſima Religione, graviſſimè diſputaret! Quàm certum reconditæ Sapientię pietatiſque exhibuit argumentum [b] *Ioſephus* in prætextâ nocturnis inſomniorum ſpectris exercitatus: Quàm certum [c] *Samuel* adoleſcentulus, divino de futuris rebus affatu pręmonitus: [d] *Ioſias* octo annorum puer ſubverſis idolis divinarum legum volumina ex ſitu & ſqualore, in quem pater illa detruſerat, in lucem proferens! [e] *David* urſum & leonem crudo juvenilium virium robore conficiens; [f] *Salomon* in primo adoleſcentię imperiique aditu, dubiam puerperarum litem ſapientiſſimè diſceptans; *Daniel*, *Titus*, *Timotheus*, aliique, cum vix pueritiam egreſſi eſſent, rerum graviſſimarum functionibus defuncti. [g] *Ioannes* verò *Baptiſta*, in ipſis uteri materni clauſtris, arcano incarnati DEI affectus ſenſu, ſuæ profeſſionis officiique rudimentum depoſuit. Et [h] *Iacobus*, in primo ad lucem exitu, *Eſavi* plantam tenens pertinacius, transferendæ in ſe primogenituræ omen fecit. Quis neſcit *Papirii* prætextam Curiæ capacem? Quis ignorat *Cyri* imperium in colluſores pueros uſurpatum? Quem latent *Alexandri* lacrumæ ad auditum paternæ victoriæ nuncium teneris oculis effuſæ, cum Perſis ardua Colloquia, Bucephali ferocientis moderatio? Cui cognita non eſt in *Themiſtocle* magnarum rerum

ſupra

[b] Gen. 37. 6. 9.
[c] 1. Sã. 3.
[d] 2. Paral. 34.
[e] 1. Sam. 17.
[f] 1. Reg. 3.
[g] Luc. 1. 41.
[h] Gen. 25. 25.

ſupra ætatem meditatio ; *Scipionis* diſtrictus ſupra fugitivorum capita gladius paterque in acie ſervatus; *Catonis* ſumptum in Syllam ferrum ; *Marii*, *Pompeji*, *Cæſaris*, *Iugurthæ*, *Ottonis* Imp., *Sforciæ*, *Mauritii* Naſſavii virtus ætatis curſum prægreſſa? Quam ſunt nota in vulgus *Chami* in nudum patrem ludibria; *Iſmaëlis* in Iſaacum fratrem dicteria; in *Cambyſe*, in *Tiberio*, in *Nerone*, in *Caligulâ*, in *Domitiano*, in *Commodo* ſpectata in pueris crudelitatis rudimenta.

Ut depreſſam intus animi prodit indolem illa Ingenii præcocitas : ita fluxæ perituræque in primâ herbâ frugis non rarò præbuit documentum, concitatæ maturitatis vigore poſt primum impetum deflacceſcente. Quibus idem accidere videtur, quod culmis; qui ſimul ac de terrâ exeunt, luxuriante herba in altum ſurgunt, deinde crebris interſecti geniculis coercentur, in ſummo fluxâ inſtabiles teneritudine ventorum flabris laborant. Ingeniorum enim præcox illud genus magnam initio frugem pollicetur, quod ſimul ac adoleverit, fruſtrato fructu expectationem fallit. Ita ſalix ante maturitatem abjicit ſemen : & florentes cupreſſi fructum multum ferunt. Ignis quò effulſit clarius, eò extinguitur citius; vivacior eſt, qui ex difficili viſcidoque pabulo ardeſcit. Serotina longiorem ferunt æta-

ætatem; putredini obnoxia ſunt, quæ feſtinantius matureſcunt. Ita caduca eſt parvique temporis præcocis ingenii virtus: & optima quæque mortalium fugaciſſima ſunt. [i] Ex *Hermogene* ſpecimen capere licet iſtius fra- i *Cœl. l. 21. c. 6.*
gilitatis. Ille vixdum pubeſcens adeò eximio fuit ingenio, ut annos natus duodeviginti artem concinnarit Rhetoricen, quæ non citra adminiſtrationem omnium adhuc manibus teritur, *Marco* Imperatore & *Muſonio* Philoſopho declamantem ſuâ præſentiâ honeſtantibus. At ille adeò ingenioſus, & ultra ætatem ſapiens, cum quartum & viceſimum ageret annum, mente motus non medium quidem inter eruditos locum potuit tenere, ἐν παῖσι γέρων, ἐν δὲ γέρουσι παῖς. Evenit idem in [k] *Carolo Craſſo*; quem puerum k *Æmil.*
mira ingenii indoles extulit; virum nepos *l. 3.*
ex fratre *Carolomannus* curator gubernavit. In [l] *Ludovico* Hungariæ & Bohemiæ Rege cor- l *Dubra.*
poris præcox maturitas admirationi fuit. *l. 39.*
Naturæ præveniens diem, in vitalem lucem prodiit, necdum nativâ pelle objectus; barbam primam, ingreſſus adoleſcentiam, emiſit; canos ante octavum decimum annum nutriit; primo & vigeſimo ætatis anno ad Moſacium prælians occubuit.

Lacrumæ

Lacrumæ. *Lacrumæ* etiam, quæ natæ ex seroso pituitæ humore, compresso vehementius cerebro, è domestico oculorum cantho profluunt, aliquam morum imaginem præ se ferunt. Quas cum Psammenithus, in acerbo amici casu largiter emitteret, siccis oculis liberorum miserias contuitus, admiranti hominis ingeniũ quærentiq; [m] Cambysi, *Domestica mala*, respondit, *majora sunt, quam ut lacrumas recipiant; quas amicorum elicit acerbitas, animo ad misericordiam deducto.* Igitur *Dido* in miserabili ipsius fortunâ tenentem lacrumas *Aeneam* asperæ immanisque naturæ arguit.

m Herod. l. 3.

[n] *Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?*
Num lacrumas victus dedit, aut miseratus amantem est?

n Æn. 3.

Ut enim verecundus in genis pudor; ita non fallaces in publicis privatisve incommodis lacrumę, clementiæ, humanitatis, mansuetudinis indicium præbent. Tales lacrumas Dominus Christus ex intimo misericordiæ sinu, in Iudææ Urbisque subvertendæ cogitatione, profudit. Quo humanitatis sensu affectus [o] *Alexander*, cum *Darium* à *Besso* confectum in vili curru animam agere videret, volutis per ora lacrumis, maximi Regis acerbissimæ fortunæ ingemuit. Neque alienus quidem ab hoc misericordiæ affectu [p] *Xerxes* fuit: qui in Abydenis campis, cum partem multo maximam

o Plut. in Al.

p Herod. l. 7.

mam Orientis subjectam haberet oculis, sub signis stantem, caducæ mortalitatis sortem deploravit; quod tanta hominum copia, ad breve tempus, fato suo defunctura esset. Et [q] rigidi *Catonis* obstinationem, Romanorum ad Dyrrachium cadavera, cadentibus ubertim lacrumis, mitigarunt. Quâ commiserationis indole [r] *Agesilaus* cæsis à se domestico bello Græcis; [s] *Marcellus* captis Syracusis; [t] *Africanus* excisâ Carthagine; [u] *Lucullus* incenso Amaso; [x] *Cæsar* conspecto *Pompeii* capite; [y] *Titus* eversis Hierosolymis, pulchrum lacrumarum imbrem dejecit.

q *Plut. in Cat.*
r *Plut. in Ag.*
s *August. l. 3. civ. c. 14.*
t *Sabell. l. 9.*
u *Plutar.*
x *Lucan.*
y *Joseph. l. 7. c. 24.*

In adolescentibus lacrumarum effusè manantium facilitas, non fallente præsagio, flexilem animum bonamque indolem arguit. Qui enim ad primum perculsæ mentis ictum veris gemitibus madent, regi docerique se permittunt, admisso libenter disciplinæ frœno. Multorum pumiceos videas oculos; qui non unam sibi excire guttulam possunt, quam expuant inter parentum ac præceptorum objurgationes. Ferox in illis asperæque naturæ est indoles: quæ neque admittet facilè teneriorem humanitatis affectum; neque correctionem patietur. Fregeris citius, quam flectas rigidam contumaciam, si imperio utaris graviore.

Ludendi quoq; Exercitia in secretos pectorum *Ludi.*

O recessus

recessus oculos spectantium aliquando intromittunt. Aperit enim animum in omnem partem, revelatque abditos mores ludicris in rebus impetus, contentioque vincendi. Tum & formæ decus, explicati artus, vigor mentis, indoles ingenii in illâ corporis animique agitatione ac studio in conspectu ponitur. Quã pulchrum regiæ indolis exhibuit specimen

z Herod. l. 5. puer [z] *Cyrus*; cum Rex electus à collusorum grege puerũ immorigerum graviter multaret!

a Plut. in Cat. Ut exeruit se in puerili judiciorum ludo [a] *Catonis* virtus; quando puerũ aliquem damnatum vinctumq; à pluribus videns, ad ludentiũ cœtum perrexit, repulsaq; obsistentium statione vinctum ab adversariorũ manibus explicavit.

b Erasm. l. 6. Apoph. [b] *Caligulæ* improbitas in ludicris exercitiis sæpè conspiciendã se prębuit, per mendacia & perjuria ut plurimũ lucrati. Quodam tempore proximo collusori demandatâ vice suâ, progressus in atriũ domus, cũ pręterreuntes duos Equites Roman. locupletes sine mora corripi confiscariq; jussisset, exultabundus ad suos rediit, gloriãs se nunquã aleâ usum prosperiore.

Vinum.

Vino vulgo veritas tribuitur, operta pectorum sensusq; abditos recludenti. Ideoq; [c] *Sapiens Persa* nullis esse opus tormentis dicebat, si vini boni copia suppetat. Cui divinus assentitur [d] *Plato*, cum animi mores in vino patere asserit. Quam ob causam apud Poetam,

c Erasm. Apoph.

d Stob. ser. 18.

e Reges

[e] *Reges dicuntur magnis urgere culullis,* e Hor. art.
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant,
An ſit amicitiâ dignus.

Detegit enim incenditq; omne mentis vitium ebrietas, obſeſſoq; rationis domicilio vinum occultorũ morũ latibula patefacit. Tũc, quicquid adhibitâ diligenter cautione aliàs deliteſcit, in lucẽ protrahitur. Tunc impudicus morbũ profitetur ac publicat. Tunc petulans linguã manumq; in omnem licentiam diſſolvit.

[f] *Tunc aperit mores ævo rariſſima noſtro* f Ovid. l. 1. amor.
Simplicitas, artes excutiente Deo.

Superbia intolerabili faſtidio inſoleſcit. Crudelitas ſęvitiã, malignitas invidiã, omne animi vitium, revulſis penetraliũ clauſtris, ſe prodit. Non aliam vinum in corporibus humanis, quã in doliis vim exercet. Rumpuntur dolia muſto violentius efferveſcente, & quicquid in imo jacet, vi caloris in ſummum regurgitatur: Ita æſtuante in homine vino, quicquid in imo pectore abditum latet, per canalem gutturis egeritur, prolatumque ore in vulgus pateſcit. Scivit hoc Pyrrhi in Tarento miles, qui accuſatus, quod per temulentiam liberius multa in Regem dixiſſet, [g] *Imo*, inquit, *& iſta dixi, & longè acerbiora dicturus fueram, niſi me lagena defeciſſet*. At bone vir, non faciebat maledicæ linguæ vitium ebrietas; ſed protrahebat, animi latentis indole foràs vini impetu protrusâ. g Plut. Apoph.

Sed nos jam, ſuſpensâ ſatis diu fame, intrò eamus, & dum Bacchi libamus pocula, operam demus, ne quod, luctante intus vino, verbum incautis excidat, quod in aliquam indolis noſtræ calumniam incidere poſſit. Aliàs, permittente Vacunâ, illa *morum Indicia, quæ Extra hominem poſita ſunt*, perſequemur.

Cap. XI.

De inſatiabili diſcendi ſtudio, λόγος πάρεργος.

I*Amque epulis exempta fames, menſæque remotæ.* Omnium rerum eſt ſatietas & modus, maximè cibi ac potionis: cujus ut eſt vehemens integra fame deſiderium; ita faſtidium expleta naturæ cupiditate celerrimum. Oculorum quidem animique humani libido eſt infinita; at Naturam paucis contentam obſaturaveris citò. Experiundo nunc hoc diſco in me ipſo. Paulò antè ſumma me edendi tenebat cupiditas: crepabat vacuus venter, lippiebant fauces, os amarum, dentes blennos habebam, intus ventis, *ut cum Comico* [a] *loquar,* focula fumabant. At nunc ita depulſa mihi eſt fames, ita ſatisfactum ampliter gulæ; ut nihil ex filicatis Regum pateris, aut genialibus Pontificum cœnis; non Afram avem, non Attica bellaria, non Lydorum carycas, non florem Nectaris, aut lac Veneris in ventrem deſcen-

a Plaut. Cur. 2. 3. Perſ. 1. 3.

deſcendere præterea cupiam. Nihilominus improba flagrat in animo diſcendi cupiditas, creſcitque cum ipsâ ſcientiâ ſcientiæ ardor: neque reſtingui ſe patitur multa pulcherrimarum rerum cognitione; ſed augetur potius ac inflammatur. *Alexander* inſana dominandi libidine plures ſibi Mundos dari poſtulabat, quos ſignis victricibus peragraret, ultra præfinitas à Natura regiones ac ſpatia, immenſi animi ſpiritu provectus. Non minore ego mihi ſciendi deſiderio videor exardeſcere: quod nulla doctiſſimarum ſcriptionum lectione, nulla ſolertiſſimarum diſputationum auditione, non aſſidua plurimarum rerum meditatione ſatiari, non ipſis Naturæ terminis definiri poteſt.

Diſcendi cupiditas.

Naturâ ineſt mentibus hominum inſatiabilis quædam ſcientiæ cupiditas: quæ perficere conditionis noſtræ dignitatem, & reſtituere divinæ imaginis integritatem, & præſtare perpetuam homini felicitatem creditur. [b] *Socratis* illa mens fuit, qui ſcientiam unicum certiſſimumque hominis bonum; inſcitiam malum unicum dicebat. Ille aliquando rogatus, [c] *Quod pulcherrimum in terris animal putaret, Hominem dixit, doctrinâ excultum.* Cui ſapientiſſimus aſſenſit *Thales*: qui rogatus, Quem inter homines maximè felicem arbitraretur, [d] *Qui corpore,* inquit, *ſanus eſt; animo verò eruditus.* Igitur

b *Eraſm. l. 3. Apo.*
c *Ant. Meliſſ. part. 1. Serm. 50.*
d *Laert. l. 1. c 6.*

turPlutarchus vitam homini εἰς γνῶσιν ὑπὸ Θεοῦ δο-
e *Cœlius* θῆναι asseverat.[e] Et Græci olim Hominem φῶτα,
l.16.c.19 Animamq; ipsam Lumen substantiale statuerunt: quod inscitiam maximè aversaretur, & obscura tenebrisque involuta summâ vi refugeret. Quo ducti argumento prisci ævi Sapientes homines rudes atque ignaros alii brutis bestiis; alii statuis ac lapidibus; alii incommo-
f *Laert. l. 2. c. 8.* dis sarcinis compararunt. Inter eos *f Aristippus* percunctanti cuidam, Quid melior evasurus esset filius, si erudiretur; *Vt nihil aliud*, inquit, *certè vel in theatro non sedebit lapis supra lapidem.* Idem ille homines rudes nullaque rerum im-
g *Laert. l. 1. c. 8.* butos cognitione aliàs [g] Equis indomitis, ad
h *Plutar.* nullum aptis humanæ vitæ usum: aliàs [h] servis ac mancipiis nullâ ingenuitatis notâ conspi-
i *Laert. l. 2. c. 8.* cuis assimulavit. Aliquando, [i] *Satius est*, inquit, *mendicum fieri, quàm indoctum: quod ille tantum pe-*
k *Max. serm. 27.* *cuniis egeat; hic verò etiam humanitate*; [k] à brutis bestiis solâ vultus humani formâ; ut *Cleanthes*
l *Stob. serm. 4.* dicebat: aut; ut *Stilpon*; [l] à statuis vitâ motuque corporis difformis. Quo sensu *Bion*, cum quendam ex familiaribus summo eniti studio videret, ut ipsius vivi vultus è mar-
m *Max. serm. 1.* more ducerentur, [m] *Tu*, ait, *ut tuam referat imaginem lapis, das operam; at ipse ne lapidem referas nihil pensi habes?* Quod inter doctos indoctosque expendens interstitium *Diogenes*, cum interrogaretur, Quod terra onus gra-

vissimum

vissimum sustineret, [n] *Indoctum hominem*, respondit. At *Socrates* conspicatus aliquando hominem divitem, sed indoctum; [o] *Ecce*, inquit, *aureum mancipium*. Aliàs verò; *Ecce equum auro argentoque ornatum*. Ut enim brutam Equi indolem non immutat stragulorum frœnorumque dives apparatus: Ita neq; divitiæ homini stolido virtutis addunt dignitatem. Talis *Syllanus* erat Augusti pronepos: cujus vecors intuitus ingenium C. Cæsar, [p] *pecudem auream* nominabat. Præter aliorum testimonia, divini Platonis authoritate convinci potest de turpitudine suâ Inscitia. Ille rogatus, Quo discrimine docti ab indoctis disparentur, [q] *Quo Medicus*, ait, *ab ægroto*. Illius discipulus *Aristoteles* de eodem rogatus interstitio, [r] *Quo vivi*, dicebat, *à mortuis*. Demades verò, [s] *Quantum Dii ab hominibus*.

n Max. serm. 17.
o Eras. l. 8. Apoph.
p Cornel. Tac. l. 13.
q Stob.
r Laert. l. 5. c. 1.
s Ant. serm. 5. 1. Meliss.

Quid ni itaque sciendi cupiditate vehementissimè incendamur, eâque in re omne vitæ nostræ tempus, & industriæ vires collocemus, quæ animam nostram perficit, quæ hominem à brutâ pecudum ignorantiâ naturâq; humilium bestiarum sejungit; quæ nos ad Divinæ Mentis conformatos similitudinẽ, propinquâ illi cognatione adstringit. Quod cum veteres illi bonarũ artium principes & antesignani Naturâ duce cognoscerent, incredibili quodã discendi studio flagrârunt, felicitatem

humanam non corporis voluptate, aut opum honorumve magnitudine; ſed abundante plurimarum rerum ſcientia metientes. Quos inter *Solon* [t] quanta exarſerit diſcendi cupiditate, & verſibus complexus eſt; quibus ſignificat, *ſe quotidie addiſcentem aliquid ſeneſcere*: & ſupremo vitæ die confirmavit; cùm ſermocinantibus inter ſe amicis preſſum fatis erigens caput invalido diceret conatu; *ubi hoc, de quo diſputatis, percepero, emoriar*. Non minor *Socratem* diſcendi tenuit amor; qui cum Apollinis oraculo ſapientiſſimus hominum judicaretur, [u] *hoc ſe tantum unum ſcire dixit, quod ſciret prorſus nihil*: in omnium magnarum rerum artiumque ſcientiâ, quam comprehenderat, inexplebilem ſciendi cupiditatem ac famem profeſſus. Quem cum diſputantem audiviſſet [x] *Antiſthenes*, relictis quos ipſe habebat, diſcipulis, in Socratis ſe diſciplinam contulit, quotidiano quadraginta ſtadiorum itinere Scholam illius frequentans. [y] *Cleanthem* profectò ipſum Induſtriæ Numen ſuſpexit; cum extrahendis aquis nocturno tempore inopiam ſuſtentaret, diurno Chryſippi præceptis & diſciplinæ operam impenderet. Ut Cleanthem inopia; ita *Diogenem* non aſpera objurgationum verba, non fuſtium intentata verbera inhibere potuerunt, quominus Antiſthenem ſtudioſè frequentaret. Illum cùm ſublevato in ictum baculo

t Val. Max. l. 8. c. 8.

u Laert. l. 2.

x Laert. l. 5.

y Val. Max. l. 8. c. 8.

baculo à ſe præceptor dimoveret, [z] *Cæde, ſi vis,* ajebat: *at nullum tam durum invenies baculum, quo me à te abigas, dum aliquid dixeris.* Quo inflammatus ſciendi ſtudio [a] *Carneades*, ita ducebatur ad cognitionis ſcientiæque cupiditatem, ut cum cibi cupiendi cauſa accubuiſſet, manum ad patinam porrigere negligeret: confectuſque fuiſſet inediâ; niſi *Meliſſa* uxor intempeſtiva interpellans ſtudia, dexteram philoſophi neceſſariis uſibus accommodaſſet. [b] *Demoſthenes* in ſubterraneam ſecedens domunculam capitis alteram partem raſit, ut proditurum foras verecundia inhiberet. [c] *Archimedes* ſtrictum ſupra caput gladium, & victoris imperium neglexit. *Iſocrates*, *Chryſippus*, *Sophocles*, *Simonides*, aliique laborioſiſſimi Sapientiæ milites, eundem diſcendi, quem vivendi finem habuerunt. Majorem profectò illi in extremo deficientis vitæ exitu percipiendis diſciplinis diligentiam adhibuerunt; quàm nos in medio florentis curſu: quam ſi aliquâ ex parte imitaremur, ipſa Ignorantia brevi ex hominibus demigraret. Neque enim ullæ eos aut ſumptuum impenſæ, aut capiendæ cognitionis difficultas, aut valetudinis jactura, aut deſerto patriæ ſolo ad Ægyptios, ad Perſas, ad Chaldæos, ad Indorum Brachmanes ſuſcepta exilia potius, quam peregrinationes, à diſcendi ſtudio avocare potuerunt.

[z] *Ael. l. 3. var. hiſt.*
[a] *Val. l. 8. c. 8.*
[b] *Cæl. l. 13. c. 19.*
[c] *Val l. 8. c. 8.*

Sed parum videtur, Philoſophos, ad quos pertinent ſcientiarum diſciplinæ, magnâ diſcendi cupiditate exarſiſſe: quæ Principum etiam virorũ complexa fuit animos, non arduis tractandæ Reip. negotiis, non itinerum & expeditionum moleſtiis, non ipſo armorũ ſtrepitu depoſita. Quàm fuit vehemens in [d] *Scipione* cognitionis ſcientięque deſiderium; cum in medio Punici apparatu belli, Syracuſis crepidatus Philoſophorum ſcholas frequentaret! Quàm in [e] *Pompejo*; cum, ſuſceptis in Mithridatem armis, Rhodum profectus liberalium artium Magiſtros audiret, & privatis doctorum virorum januis ſummæ dignitatis ac potentiæ faſces ſubmitteret! Quàm in [f] *Catone Vticenſe*; cum ne in curia quidem, dum Senatus cogeretur, nihil operæ detrahens Reip. à lectione vacaret! Non conceſſit illam induſtriæ laudem Adverſario capitali [g] *Cæſar*; qui in caſtris, in lecticis, inter tubarum tympanorumq; ſtrepitus, diligentem literarum ſtudiis operam impendit. Cujus cum Imperio hæreditatem ſtudii [h] *Auguſtus* adiit, in medio Mutinenſis belli ardore ad capiendas bonarum artium diſciplinas ſedulò incumbens. Neque alienus ab illâ fuit virtute [i] *M. Brutus*, etſi caſtris armiſque diſſentiens, ſub ipſum Pharſalicæ pugnæ momentum in Polybio ſtudioſè commentans. Quorum ſequutus induſtriam

k *C. Pli-*

d *Plut. in Scip.*

e *Ael l. 7 var. hiſt.*

f *Cic. 2. Fin.*

g *Plut. in Cæſ.*

h *Sab. l. 1. E. 7.*

i *Plut. in Bruto.*

[k] *C. Plinius* nunquam ne in mensâ quidem & lecticâ lectionem remittebat. Qui cum aliquando nepotem deambulantem otiosè conspiceret, *Cur has*, inquit, *horas perdis, neq; aliquid discis utilium in vitâ rerum.* Istâ tractus discendi cupiditate Macedo [l] *Alexander*, quoties cubitum iret, cum pugione Homeri libros sub cervicali reponebat, ut vacuis à somno horis aliquid legeret & meditaretur. [m] *Antigonus* Demetrii F. Zenonem assiduè frequentabat, quo mortuo, *Heu quantum perdidi spectaculum*, dixit. [n] *Candacis Reginæ Eunuchus* in itinere Esaiæ de Servatore Christo vaticinia perlegebat, ut consequendæ salutis mysteria cognosceret. Inexhausta discendi aviditas in [o] *M. Antonio* fuit, in [p] *Carolo M.* in *Ottone I.* in [q] *Alvredo* Anglorum, in [r] *Alphonso* Hispanorum Rege: qui omne vitæ tempus; quantum ab arduis Reip. negotiis licuit decerpere; in liberalissimis scientiæ studiis collocarunt.

k Fulgos. l. 8. c. 7.
l Plut. Alex.
m Sab. l. 8. En. 4.
n Act. 8.
o Fulg. l. 8 c. 7.
p Crantz. l. 2. Sax.
q Polyd. l. 5.
r Fulg. l. 8. c. 7.

Hos quoque, ut fatear, discendi stimulos subdidit Natura mihi; qui dies noctesque animum concitant, & quò plura legendo audiendoque percipio, eò urgent punguntque vehementius. Καὶ τὸν ἕτερον πόδα ἐν σορῷ ἔχων μαθεῖν ἐπιθυμῶ. Quid ni igitur à Bacchi Cererisque sacris ad religiosa Musarum delubra recurrimus, & illum eruditissimarum disputationum pulverem, in quo

statim

ſtatim ad liberalem *inveſtigandæ indolis* ſcientiam inſtruebamur, frequentamus. Aſcendit in concionem ex philoſophorum Scholâ vir gravis, factiſque ad inſtitutam, de *Extimis Morum Indiciis*, diſſertationem veſtigiis & ingreſſu, mirificam *Ingeniorum varietatem in Nationibus Orbis terrarum* deſcripturum ſe pollicetur. Magnam homo doctrinæ ſapientiæque præ ſe fert ſpeciem. Accedamus huc ad ſuggeſtum propius; demuſque operam, ut non in aures tantum ſermonem infundamus, ſed in animo inſcribamus.

CAP. XII.

De Terrarum partitione.

Ingeniorum varietas.

MIram Natura hominibus Ingeniorum adgeneravit varietatem, infinitam morum animorumque diſſimilitudinem. Non major in hoc Auditorum cœtu ampliſſimo vultuum vocumque eſt diverſitas; quam habitus mentium variarum. Non major eſt in ſolo plantarum, in ſalo piſcium, in cœlo ſiderum difformitas; quàm diſſimili impetu hominum rapiuntur animi. Membrorum ſimili omnes continemur compage. Mentis ſurrectique corporis hæreditatem adiimus ex æquo. Suis verò quiſque ſtudiis ducitur, ſuis ſigillatim affectibus addicitur. Eſt hæc divini

Opificis

Opificis potentia admiranda, singulos per tot sæcula populosque homines suis notare lineamentis: quæ tàm animi, quàm oris habitum à cæterorum vultuum mentiumque imagine disparent. Quam Naturæ largitatem, ludumque in fingendis dissimilium formarum simulacris, haud quisquam facilius dicendo exprimat; quàm pictor aliquis omnium figuras in tabellâ repræsentet.

Et singulis quidem sub sole Regionibus in- *In Nationibus.* generavit peculiarem Natura spiritum, qui nascenti in lucem homini certum cum genitali aura habitum affundit: quo in suas ille inclinatur cupiditates, & insigni ab aliis notâ distinguitur. Optarim quidem ego nunc Jovis inscendere quadrigas, aut Pegasæo alarum remigio maria terrasq; vobiscum peragrare: ut proprios diversarum Gentium mores, patriosque natalium cupiditatum impetus cognoscamus. Sed cum illa citissimæ festinationis desint nobis curricula, quibus invehamur, explicate mecum cogitationum vestrarum alas, vagoque animo jacentium Terrarum Regiones, indolemque populorum genitalem obite. Properato opus est. Cursim, dimissisq;, quod dicitur, manibus susceptum iter conficiemus. Atque illos præcipuè orbis Incolas contemplabimur, quos propioribus locorum spatiis à nostra familiaritate fortuna subduxit.

Universus

Terræ partitio. Universſus habitati orbis ambitus & magnitudo quinq; quaſi *Cingulis* redimita & circumdata diſtinguitur. Quorum Extrema, quæ æquis à Medio disjuncta ſpatiis, ipſis ambientis cœli verticibus ex utraque parte ſubnituntur, ob longinquum Solis abſceſſum, aſperis frigoribus obrigeſcunt. Medium maximumque, ſphæram ex æquo polos verſum ſecans, propinquo radiorum attactu vehementius exardeſcit. Quibus interjecta paribus intervallis duo, commodiſſimum ex cœli temperatione, vitæ ducendæ habitaculum præbent. Ubivis autem, quaquâ patuli orbis porrigitur vaſtitas, terra hominum pedibus frequentatur. Neque ulla uſquam tanta eſt cœli injuria, nulla tàm immania ſub polis frigora, nulli tàm enormes ſub orbitâ Solis æſtus, ubi non ſalutis habitandique detur locus.

In hoc ſpatioſiſſimę magnitudinis circuitu, cumulus ille confluxuſque collectarum aquarum ſtagnat Oceanus: qui terram ſuis undiquaque verberans fluctibus per medium findit, fuſuſque inter obverſas ſibi Globi partes, *Superiorem* nobis, *Inferiorem* Antipodum nationi, adverſa noſtris pedibus figenti veſtigia, habitandum præbet. In Superiore noſtri Axis orbe, quà irrumpit ab occaſu inter Herculis columnas Mare, prima princepsque terrarum *Europa* ſe aperit, illud Japheti dives pa-

Europa.

trimo-

trimonium. Frontem Soli obversam occiduo Atlanticus excipit Oceanus. Septentrionale latus Hyperborei; Austrinum Mediterranei pulsant fluctus. Tergum Eois objectum plagis Tanaïs fluvius claudit, & Pontus Euxinus. Primam in hoc Gentium domicilio stationem tenet Hispania, in ipso apertissimo Oceani posita vestibulo. Proximè à tergo interiore mari Baleares stabulantur Insulæ. In continente, interpositis Pyrenæi jugis, adnectitur Gallia. Illam immensis excipit finibus Germania: illic ad Oceanum depressa; istic ad Alpium fastigia surrecta. Gallis Germanisque ad Septentrionem Britannia objicitur, novum penè in Oceano, amplissimis diffusa spatiis, orbem faciens. Ad Austrum post Alpium claustra, Italia inter Adriaticum Thuscumque procurrit mare. Ad dextram adjacet Sicilia, Corsica, Sardinia; ad sinistrum Corcyra. Adriâ transmisso patentibus campis Illyricum panditur, Croatarumque & Dalmatarum habitacula. Unde Austrina per vestigia in Græciam, Macedoniam, & superbam Ottomannici sedem Imperii est decursus. Ad Græciæ littora Peloponnesii accubant, Cretensibus, & Cycladum Insularum prætenti colonis. Sinistrorsum, ad Eoas Germaniæ plagas, à Vindelicis Danubius egreditur, secundoque flumine

Rhetos,

Rhetos, Noricos, Pannonas irrigat, & per Mesiam Thraciamque longissimè evectus in Euxinum Pontum sex ostiis devolvitur. Ad Septentriones mediterraneam planitiē Sarmatæ colunt. Balthici maris littora Vandalicæ Germanorum gentes, & Cimbri Danique tenent. Ultra quos Normanni & Gothi Boreali Oceano alluuntur. Quorum vicini Scythæ, Moscovitæ, & Lappones ad Hyperborei maris frigora excurrunt.

Africa. Meridionale Europæ latus, interfuso ad Gades Oceano, *Africa* claudit. Illam ab ortu Erythreum lambit mare. A medio die Æthiopicus terminat Oceanus. Occidens Atlanticis; Septentrio Lybicis undis perfunditur. Ab Atlantico emersis fluctu primę occurrunt Mauritaniæ, nunc inquieta Barbaricorum Regum sedes. Cæsariensis Punicæ quondam Dominationis patria, Teleusinos & Tunetanos Mediterraneo mari objicit. Tingitana ad Occidentem recedens Marocci & Fessæ Regna Atlanticis fluctibus exponit. Inde ad Atlantem montem Numidia exporrigitur. Cui contermini versus Austrum Lybes per desertas arenarum vastitates ad Nigri fluminis procurrunt littora. Illos à fluvio Nigritæ excipiunt Guinæi, propinquo radiorum exusti vibratu. Tum ad Oceanum amplissimo terrarum tractu Abyssini Æthiopes habitant.

Quos

Quos ab Æthiopico mari Congi & Angolæ claudit barbaries. A Septentrione in interiore Africâ Nubii attingunt. Ad rubrum mare dives Nilo Ægyptus excipit: cui Cyprus in mediterraneo mari objicitur.

Europæ atque Africæ tergum *Asia* prætendit: inde Græco mari, & Euxino Ponto, ac Tanaï fluvio; illinc sinu Arabico sejuncta. Ad Septentrionem Scythicis; ad Austrum Indicis; ad Ortum Eois fluctibus per ingentia terrarum spatia incingitur. Ab Europâ digressos transmisso Hellesponto Asia excipit minor, Ottomannidarum hodie, sub Anatoliæ nomine, nobilis imperio. Græci maris littora Meridiem versus Phryges, Lydi, Iones, Cares, Pamphylii accolunt. Quorum Septentrionale latus Bithynii, Galatæ, Paphlagones; Austrinum, ultra montium juga, Lycii, & ad Issicum sinum Cilices claudunt. Lycaonii, Pisidæ, Cappadoces interiora tenent, & ad Euphratem usque excurrunt. Superato flumine Asia occurrit major: quam per medium, in ortum ab occasu perpetuo exiens jugo, Taurus Mons findit, partemque alteram Aquiloni, alteram Austris obvertit: in Armeniâ Antitauri, in Cilicia Amani, in Assyriâ Antiphatis, in Mediâ Sagei, Orontis, Parthoathræ, in Hyrcaniâ Cori, in Bactris Paropamisi, apud Indos Caucasi, apud Scythas Imai,

Asia.

ultra Gangem Emodi, ad Chinenſes Aſiæ poſtremos Semantini nomen aſſumit. In Aquilonari Aſiâ prima eſt Armenia, ab Euphrate deſinens in Tigrim. Illi à fronte Medi; à ſiniſtris Colchi, Iberni, & Albani objiciuntur. A quibus ad Caſpii maris accolas deſcenditur. Medi à ſiniſtris Caduſios habent accolas; ad Auſtrum in mediterraneis Parthos ac Hyrcanos contingunt: à quibus per Bactra & Sogdianam, ultra Caſpium mare, Tartarorum Scythia, intra extraq; Imaum montem, in glacialem uſque Oceanum, & Męotidem ab Occidenti paludem, latiſſimis regionum finibus habitatur. In Auſtrali Aſiâ, tranſcenſis Tauri jugis, mediterraneo mari accubant Phœnicii, & Judæi. Ab illis ad Syros tranſitur: quibus à fronte Meſopotami, Euphratis Tigriſque amplexu terminati; à dextro latere Arabes contigui ſunt. Introrſus jacent Babylonii, & ultra Tigrim Aſſyrii. Perſæ, deflexo ad Auſtros itinere, intra Uxios montes, & Indicum mare domicilia fixêre. Proximo ſedent loco, in ripam uſque Indi fluminis, Caramani, Gedroſiani, Drangiani, Aracoſii. Hinc intra extraque Gangem Indorum opulenta ſurgunt Regna. Extremum axis noſtri orbem Chinenſes claudunt, Eoo objecti oceano. Prætenduntur Indiæ Chinæque littora ampliſſimis Iaponiæ,

niæ, Zeilanæ, Moluccarum Insulis.

Hinc, obeunte nobis sole, per Cancri Tropicum proxima est via in *orbem vestigiis nostris obversum*. Ille à Septentrione in Meridiem exporrectus Mexicani sinus Isthmo, ad medium, connectitur. Pars ulterior Borealis; citerior, in fretum excurrens Magellanicum, Australis dicitur. In Boreali, quà obvertitur Asiæ, Pacifici Maris littora Aniani obsident, & Quiviri. Illis ad contrarium Atlantici littus Nova Francia objicitur: cui à fronte, ad Arcti vertices, Gronlandi & Islandi prætenduntur, Davis freto à continente submoti. Tum Labradorii, Canadi, Cortereales, Norombegii, Mocosii proxima Oceano colunt loca. Inde Virginiæ ac Floridæ regiones in Isthmum protenduntur, Africæ Mauritaniis oppositi. Interiora sparsi per ingentia terrarum spatia insident Avanares, Albardi, Calicuates, Tagiles, Apalcheni, aliæque trucium hominum nationes nullis Europæorum commerciis frequentatæ. Hinc, sinuato in Mexicanam Regionem Atlantico, Terra in Isthmum angusto contracta spatio gracilescit. Sinum maris, abolito Mexicani Imperii nomine, Nova Hispania obsidet. Ad ingressum angustiarum Cuba & Hispaniola sitæ sunt Insulæ. Hinc superatis angustiis, *America.*

ſubmotoque in ortum & occaſum Oceano, Terra longè lateque in Meridiem diffunditur. Cujus prima ad Pacificum mare littora divites poſſident Peruviani. Eodem ad mare tractu efferatæ Chilienſium & Chicenſium pabulantur gentes. Braſiliani Atlanticis expoſiti fluctibus in Æquinoctium excurrunt. Patagonum Gigantæa natio, in Meridiem depreſſa, extrema inſidet littora, quà in acumen deſinit America, Auſtrali terrę obtenta.

Antarcticam orbis partem ignoti cœli ſolique homines inhabitant: qui ab unâ parte Moluccas Orientis inſulas reſpiciunt, Africæque littoribus atque Æthiopico Oceano obvertuntur; ab altera Patagonum terris, freto disjuncti Magellanico, objiciuntur.

Veſtram, ô Superi, fidem, quantam vos à celſis cœlorum habitaculis humanarum toto Orbe Gentium videtis diverſitatem! quantam in vultibus, in cultibus, in moribus contemplamini varietatem! quàm multiplices animorum habitus! quàm diſſimiles cupiditatum impetus! ut in varia rapitur ſtudia indoles patriæ genitalis! ut ſtrepit laborantium murmure orbis univerſi circuitus! Quibus concitatur turbis, quo miſcetur tumultu in infinitas ſciſſa factiones difformis mortalitas! Videt de cœlo DEVS, ridetque vermiculantem terreæ caducitatis pullitiem tam vario

inge-

ingeniorum ferri impetu, tam diverſo animorum concitari motu.

Sed relinquamus humiles Auſtri domos, factoque ad Arcti vertices adſcenſu, quid in Europa geratur, qui Gentium iſtarum ſint mores, quæ ſoli natalis indoles, quæ hominibus vitia virtuteſque genitalis cœli aura ingeneraverit, errante oculo adnotemus.

Cap. XIII.

De Europæ indole.

Europæ Natura præ aliis valida dedit hominum corpora, robuſtos artus, toroſa pectora, eminentes ſtaturas. Ad obeunda pericula præſto eſt audentia, ad adeundum vitæ diſcrimen virtus imperterrita. In ferrum ruendi

----- Mens prona viris, animæque capaces
Mortis.

Magno in hoſtem ſpiritu conſurgunt, conſertaque acie in pugnam incaleſcunt vehementius, ſæpè à vulnere irritata virtute. Vultus formidabilis inhumanitatem, vox aſpera ferociam, ſanguis circumfuſo denſeſcens frigore impetum iracundiæ diuturnum, animique motus implacabiles arguit. *De moribus gentium eleganter Barclaius.*

Videtis illam ad Oceanum Gentem Afris objectam Mauritanis, in primo ſeu veſtibulo *Hiſpani.*

Europæ, ſeu clauſtro extremo? *Hiſpani* ſunt, Gothorum Maurorumque mixto per nuptias ſanguine coaliti. Populus ad armorum tractationem paratas habet à naturâ manus, animos magnarum rerum capaces, induſtriam ingentibus cæptis parem. In omnem inprimis militiæ laborem obfirmata eſt patientia; vitam modico pane, herbiſque ſine ullo condimento duriter ac parcè tolerare, aquæ potu ſitim reſtinguere, noctes inſomnes ducere. Lentis ad rem gerendam itur conſiliis. Perficiundo negotio inſiſtitur obſtinatè: neque fractâ tædio, neque novo impetu remiſſâ patientiâ, qua in ſpem proſperi eventus obfirmatur. Inquieta tamen atque avida in res novas arguit Romanus ingenia. Animorum mira hominibus eſt magnitudo, incredibilis elatio, non in paupertatis extremæ mendiculis depreſſa. Illius in contracto ad gravitatem ſupercilio, in verborum granditate, in geſtuum extra modum magnificentiâ ſingularis eſt oſtentatio. Et quanquam domi ſordide tenuiterque vivant; in publico tamen ad præſtantis fortunæ ſplendorem eniteſcunt. Si humilem pauperis tecti videas fortunam, miſerorum hominum putes miſerrimos. Sin in ſermone jactationem, in cultu corporis pompam, in familiari convictu ſpiritum attendas; in conſpicuâ

Liv. D. 3. lib. 2.

ſpicuâ poſitos dignitate arbitreris. Felices eſſent, ſi quam profitentur in ſuperſtitionibus ſuis, inde uſque à *Sertorii* auſpiciis, pietatem, eam in colendo juſſis ritibus Numine adhiberent.

Hinc per Pyrenæos montes proximum in *Galliam* iter eſt: quam egreſſi de Germaniâ *Galli.*
Franci, victis victoribuſque in unam contractis Gentem, de ſuo nomine appellarunt. Mirum, in quantam natus ſit ille populus animorum alacritatem! Quanta ſit illis ingeniorum perſpicacitas, ſolertia, promptitudo! Ubicunque illa intenderint, ibi valent: ſeria luſioneſve exercere, literas aut rem militarem tractare, in re omni, cui animum operamque adjicere placeat, propitiâ Minervâ verſari. Non minor eſt in ſermone venus, in jocis hilaritudo, in geſtu gratia, in totius corporis motu decentia. Alię nationes in linguâ & verbis; Gallus etiam in geſtu, ſingulari artificio in omnem animi habitum deflexo corpore, eloquentiam habet. Trahere illa magnam à Veſte dignitatem putatur, quam variat ſerie novitatis infinitâ. Sub illâ Geſticulationum promptitudine ineptiæ; ſub ingenii celeritate vanitas ſæpe aliqua, ſubitoq; cũ impetu magnarũ rerũ pręcipitatio habitat. Ideoque à propoſito facilè deflectit, in capiendis conſiliis vulgo mobilis, ad faciẽdas ſolvẽdaſq;

amicitias æquè promptus. Ut ſubiti celereſq; animorũ ſunt impetus; ita facilè deferveſcunt, novarum rerum affectatione rapti in diverſum. Igitur, ubi armis in hoſtem res geritur, proſpera plerumque bellorum ſunt initia; ſed exitu tragico terminata: ut dubites, fortiuſne parta ſit victoria, an turpius amiſſa. Summum Gallis dignitatis eſt ſtudium: quæ precio venalis, profuſo ſæpè patrimonio emitur, virtutis præmia rapiente opulentiâ. Non alius Europæ populus in exteros eſt humanior: aut quia novitatis avidus peregrino cultu afficitur: aut quia recto judicio, non ex natalium fortunâ; ſed virtutis præſtantiâ hominem æſtimat. In ſuos tamen populares acerbior eſt, leve jurgium, aut innocuum ſalem ferro vindicans & manu. Hinc toties in Gallia domeſticis bellis concurritur. Hinc tàm atroces civium factæ ſæpè lanienæ. Hinc tàm multæ commiſſis duello adverſariis eduntur cædes.

Germani. Sed quænam illa eſt Virorum natio, eminente corporum ſtaturâ, vultu gravi, geſtu & ſermone pleno dignitatis. *Germani* ſunt, ab inclyto *Tuiſconis* ſanguine: qui debellatâ victrice terrarum orbis Româ, ſummi nomen atque inſignia Imperii ad ſe tranſtulerunt. Non alia Mundi Gens armorum ſtudio clarior eſt, quæq; hoſtem aggreditur audentius, & ſuſtinet fortius, vulnerum mortiſque con-

temptrix.

temptrix. Neque enim ex illis bellis æstimari Martia strenuitatis indoles debet, ubi aut virorum exercitus Duce destituitur; aut cum fame rerumq; inopia luctandum est, ante concursum extincto generosæ virtutis conatu. Ut corporum, ita animorum virilis est magnitudo, non territa periculis, non fatigata laboribus. Nihil tàm est arduum, quod non suscipiat solertia; nihil tàm difficile, quod non vincat pertinax industria: sive ingenii, sive manuum impigritas, & obfirmata ad exitum constantia postuletur. Illi nationi æris ferrique tractandi singularem peritiam, illi cœlórum terrarumque dimensus, illi pleraque perfectissimi operis artificia sæculum nostrum debet. Cæterum ingeniorum non est tanta subtilitas; quanta morum integritas, ingenuęque mentis aperta rectitudo. Candidi pectoris antiqua simplicitas animum in lingua habet, rudis omnium artium, quibus suo malo non satis circumspecta probitas irretitur. Nihil censetur turpius, quàm datam semel fidem frangere; nihil sceleratius, quàm amicitiæ prętentu perniciem incauto machinari. Ut in vultu corporisque habitu; ita in verbis ac sermone gravitas est virilis. Eadem in magnarum rerum adhibita consultatione importunæ tarditatis accipit labem: quâ superatâ, cum ad rem ventum est, digna viris concipitur

 flamma,

flamma, non facilè in valido ſpirituum pabulo deferveſcens. Has virilium virtutum dotes inſana potandi comeſſandique contaminat libido. Vulgo quidem amicorum benevolentia comitaſque ex largitate poculorum, & benignâ ad bibendum imitatione æſtimatur. Si ſtrenue ad genialem menſam oberrent pocula, ſi vino hoſpes inundetur, omnibus quidem amicitiæ officiis redundare cœna putatur.

Itali. Sed ſalve nunc tu, ſuperatis difficulter Alpium clauſtris, *Italia*, ſal quondam ſolque omnium Gentium, flos terrarum, Regina orbis univerſi dominatrix. Nunc miſera tantum de priſtino amiſiſti ſplendore, ut, poſt Gentium illos à ſeptentrione incurſus, aut Sacrificuli Regis, aut Tyrannorum magnâ ex parte impotenti ſubjecta imperio, etiam vix priſcæ beatitatis ſuſtineas famam. Atque hoc divino eveniſſe fato putaverim, ut, quæ olim congeſtis devictarum Gentium ſpoliis orbem terrarum expilaſti, viciſſim, talionis lege, omnium Gentium armis, cum peregrinorum etiam morum illuvie opprimereris. Nihil enim amplius eſt in te nativæ indolis, nihil genii illius Romani, quem Reges quondam nationeſque adorabant. Vt aliqua ſuis effuſa ſedibus barbaries regionem inſedit, patriæ in illâ veſtigia indolis defixit: Ita Italia Vandalorum

lorum, Gothorum, Longobardorum imbuta moribus, multum etiam illis addidit de ſuo, advenà natalique animorum ſpiritu confuſo. Incolæ tamen ad rerum omnium tractationem maximè apti natique ſunt, præſtantis ingenii paraturi nomen, quoquo animum adverterint: ſive virtutum, ſive vitiorum viam inſiſtant. Neque id à naturà magis; quàm ſtudio ſolertiaque: quam impigrè in omni negotio adhibent, verbis factiſque, ne quì inconſideratæ temeritatis delinquant culpâ, diligenter animo verſatis. In aliorum interea mores ſermoneſque ſolicitè curioſeque intendunt, veriti ne quid latentis ſit doli, quo illaqueentur: ſive quia perſpicax animus in commerciis præcipit cautionem: ſive quia ſuo ex ingenio alios metiuntur. Non facilè perſpicias, quam intus mentem habeant: ita reconditi ſunt, depreſſique in penetrali receſſu ſenſus. Verba eruditæ ſunt comitatis, cum largâ officiorum & benevolentiæ pollicitatione. Sed quæ in ſummis nata labris, non fibris, parum vulgo ponderis momentique ad fidem habent. Quàm exulceratur facilè levi æſtuans offenſiunculâ impotens ſui animus; tam altè tenaciterque adhæreſcit indignatio, vix unquam injuriæ memoriâ exoleſcente. Quæ doloſo fucatæ benevolētię

ſuppoſita

ſuppoſita cineri ad primam vindictæ occaſionem reviviſcit, pœnamque inter amicitiæ ſacra ab incauto repetit. Italus quidam graviter à ſocio læſus, altè reconditis in pectore odiis, cum perſequi injuriam pro arbitrio non poſſet, obtegit ad tempus animi ægritudinem, gratiamque cum amico reſtaurat. Quod cum ille bona factum fide putaret, ut viſus fuit injuriæ obnoxius, in terram dejicitur, admotoque faucibus pugione, ad renunciandum Deo, & execrandum diris caput ſuum compellitur. Ni faxit, ferrum jugulo accepturum. Renunciat miſer dictum Deo ſacramentum, cum jacenti fauces reſcindit adverſarius; gloriatus *nunc ſe dignâ pœnâ ſuas ultum injurias, corpore animoque inimici ad extremas miſerias dejecto.*

Angli. Oceani fluctibus undiquaque quatitur *Britannia*: quę ipſa quoque pro diverſa ſoli cœlique natalis indole, & advenarum incolatu in varios mores diſtrahitur. *Angli* quidem ſtatura ſunt eminente, corpore vegeto, vultu nitido atque elegante. Humanitatis ſtudia literaſque politiores parcius exercent: quibus tamen ſi animum apponant, non deſtituti ſolertis ingenii acumine videntur: ut aliena potius à diſciplinis egregiis voluntas; quàm indolis nativæ infelicitas debeat culpari. Magnum ad negligenda literarum ſtudia in ſoli ubertate

patria-

patriaque rerum omnium opulentia eſt momentum: quæ dejectos ad deſidiam luxuriamque incolas non patitur difficilem & laborioſam ad ſcientias viam ingredi. Igitur propenſo fortunæ indulgentis fato multam in otio vitam exigunt, & oblectando intenti genio deliciis perfruuntur; aut in amœnis pratorum viridariis, & ad fluminum frondoſas ripas cœlo ſudo deambulare; aut variis in campo ludis operam dare; aut nubilos dies in diverſoriis confabulando commeſſandoque extrahere; in omnem denique voluptatis dulcedinem animo indulgere. Hinc corpora ſunt ſucculenta; ſed quæ aëre paſtuque peregrino facilè flacceſcunt & ægritudine conficiuntur. Animi nimia efferati felicitate immoderatius in vulgo efferuntur, & inſolenti faſtidio potiorem in popularibus fortunam deſpiciunt; in peregrinos etiam, quàm fert humanitas, acerbiores. Naſcendi fortunam generiſque nobilitatem non magni æſtimant; niſi illa ſit ſummi ordinis & loci. Acres ſtabileſque iras habent: ſed quas impetu magis; quàm conſilio exercent. Ideoque nullo territi periculo in omne ruunt diſcrimen, exigua ſæpè mercede vitam ſalutemque ſuam locantes. Qui inconſultæ audentiæ impetus plurimum ſæpè in acie valuit, maximè ſub auſpiciis imperioque conſilii & ductus alieni. Suo relicti arbitrio

quàm

quàm fortiter ſæpe victorias pararunt; tam illas turpiter amiſerunt: fatiſcente per moram virtute; ut illiſi littoribus fluctus momento franguntur, & fruſtrato conatu elangueſcunt.

Scoti. *Scoti* ad Septentrionem Anglis objecti, in tenuiore copiarum proventu, reſtrictâ laſcivientis fortunę indulgentiâ, minus in luxum & voluptates diſſolvuntur. Igitur ad tolerandam in egeſtate vitam variis ſeſe artibus exercent. Neque piget verſo patriæ ſolo maria omnia terraſque circulari, & aut mutandis tenui pretio mercibus, aut merendis in bello ſtipendiis fortunam experiri. Quorum quidem in parandâ re ſpectata eſt induſtria, in ſervandâ fide religio. At meliore apud exteros viverent fato, ſi tam in conſervandis opibus eſſent frugales; quàm in quærendis ſolertes. Neſcias enim, diligentiuſne faciendo lucro advigilent; an effuſius parta expendant. Ita cum egeſtate plerumque apud exteros luctantur: non ideo minus animis elati, ut, dum ſtipem dari ſibi petunt, jactitent nobilitatem, & in abjectiſſimę ſortis fortunâ, Regiæ cognationis præconio ſe ridendos exhibeant. Ingeniorum ſumma eſt ad quævis vitæ genera dexteritas ac aptitudo, omnibus par negotiis, ſive Martem, ſive Artem placeat profiteri. In conſerendis cum ho-

ſte

ſte pugnis audaciæ impetus; in excolendis bonarum artium diſciplinis ingenii acumen publicâ famâ inclaruit.

Scotorum Anglorumque in confinio ſunt *Hyberni*; quorum multi à fera agreſtique abdu-cti vita ad virtutis & humanitatis cultum exercentur: qui ſuo docent exemplo, rudem bonarum artium Gentem, ſi accedat educatio, ad culturam humanæ conſuetudinis appoſitam eſſe. Cæterum quantâ patientiâ cœli ſuſtineat incommoda, quàm tenui victu vitam tolerare poſſit, quanta ſit in faciendis prædis furtiſque ſolertiâ, multa in bellis noſtris pręſtitit documenta. *Hyberni.*

Sed faciamus vela, ſecundoq; Zephyro ſuperatis Oceani faucibus ad proximum terræ littus proram vertamus, & magno itinere per mediam Germaniam ad *Illyricos* Adriæ accolas penetremus. Aſpera montibus Regio duros & in bellum acres nutrit viros, & ingenio loci, & ferarum crebro venatu ad caſtrenſem diſciplinam confirmatos. Cęteri animorũ habitus ex diverſa Dominationis fortuna, aut Teutonicos cultus, aut Italos aut Turcicos referunt: adnata populi indole peregrinitatis commercio exoleſcente. *Illyrici.*

Hungari ad Septentrionem Illyricos attingunt, Hunnorum Scytharum ſoboles: quorum adhuc in Equeſtri militia impetum, *Hungari.*

petum, & in prædis cædibusque faciendis truculentiam usurpant. Militem à via deflectentem, nullo sociarum hostiliumve partium discrimine, cædunt spoliantve. Equestri maximè militiâ delectantur, validi ferocesque ad impetum; sed post primum virtutis conatum languescentem. Tumentibus in superbiam animis arrogante fastidio alios despiciunt; si observari metuique volunt. Contemptum sui, aut oblatam injuriam immanissimis odiis ulciscuntur; quæ intimo concepta corde, & benevolentiæ obtecta simulatione, quando commodum est, in adversarii noxam erumpunt. Patriarum observantes legum rituumque aliena imperia inviti patiuntur, in principes suos factiosi; in exteros inhumani.

Poloni. His contermini sunt *Poloni*, Scythici quoq; sanguinis indolisque populus, non minore penè in victos diritate ac truculentiâ. Quam in sui etiam generis homines usurpant, si à quoquam lędantur, cum jurata clientium manu injuriam ulciscentes. Neque desistunt persequi adversarium, quàm aut illato damno expleverint furentem iram; aut occubuerint ipsi. Ideoque ferro sæpius deciduntur lites, quàm legibus: & jure plerumque potior habetur, qui manu viribusque est superior. Neq; gravi est in crimine hominem obtruncare, parvo pretio redemptâ judiciorum pœnâ.

Immo-

Immoderata populi eſt libertas, quidvis ſentiendi agendiq; permittens licentiam, quam neque Regum imperia reprimere poſſunt, ipſa etiam armatis civium ſuorum comitiis ſubjecta. Plebis dura eſt vita, ſub rigido cęlo. Nobiles magnis elatiſq; ſunt animis, in bellis intrepidi, virtutum ſuarum & nobilitatis egregii oſtentatores, pares gerendis egregiè rebus, maximè ſi peregrinis artibus moribuſque ingenia ſua expoliverint.

Proxima eſt *Cimbrica Cherſoneſus*, & *Gothorum Danorumque* Balthici littoris natio, illa variarum quondam Gentium officina & ſeminarium, quę Europam omnem atque Afrícan coloniis ſuis obſeverunt. Nunc non ita abundans opulenſq; eſt mittendis in orbem novorum hominum ſupplementis: ſive quod Natura tam copioſo priſcorum temporum partu effœta ignavior eſt ad prolem generandam; ſive quod terra cultior præſtat illos ſuis incolis fructus, quos olim peregrino in ſolo quærebant, domeſticâ penuriâ ſedibus ſuis, tanquam à Novercâ extruſi. Et fortè immanis illa, & pluſquam Thracica helluandi comeſſandique conſuetudo, quam nunc illæ ad ſeptentrionem Gentes uſurpant, ſegniores in Venerem homines facit, genitali calore ſub ſtagnantium liquorum uligine conſopito. Solidus maximè dies potando exigitur, vix un-

Gothi. Dani.

quam feriante gulâ; nisi cùm parva ad æstuantis stomachi discutiendam crapulam interponitur quies; aut expediendis negotiis Baccho temporis momentum subtrahitur. Quibus hominib⁹ nihil penè aliud esse vivere dicas, quàm bibere. Corpora vastæ sunt magnitudinis & valentia. Ingeniorum acumen hebes atque obtusum. In Sueciâ tamen mira Rusticorum est industria, qui mechanicas omnes artes tenent & exercent; quæ obtegendo alendove corpori sunt usui. Qui nunc etiam, *Gustavi Regis* divinâ virtute ac felicitate, ad armorum tractationem, & humanitatis culturam mirificè exercentur. Vt in linguâ; ita in moribus multa Germanicæ cognationis videas apud illos vestigia; animos apertos, probitatem ingenuam, simplicitatem versandarum fraudium rudem. Danorum tamen in adulterandis mercibus calliditas, in fraudandis peregrinis subdola vafrities notatur.

Russi. Suecis *Russi Moscovitæ*, ad Finnonias Regiones sunt confines, inde in Caspium usque mare imperio protenso. Gens in servitutem nata est, jugoque adsueta libertatem non patitur. Principem suum, ut missum de cælo Numen, veneratur; cujus arbitrio vitam fortunasq; submittit, in spontaneam illico mortem descendens, si ille jubeat. Ingenuarum artium ita rudis est, ut consignare literis nomina

mina ſua nequeat. Neque ullum in ampliſſimo Regno Gymnaſium eſt, in quo ad aliquam humanitatem, & politiores diſciplinas juventus erudiatur. Sed nec peregrinatio ulli permittitur, certo forte Principis conſilio, ut oppreſſæ barbarâ ignorantiâ mentes nullum unquam libertatis ſpiritum trahant, nec ad ingenuæ vitæ conditionem aliquando enitantur.

Capvt XIV.

De Aſiæ & Africæ indole.

AD Auſtrinas Europæ partes *Græcorum* Ja- *Græci.*
vanis habitant Gentes: à quibus in Aſiam verſus Aquilonem; in Africam ad Meridiem facilis è Peloponneſo eſt trajectus. Græcorum ingenioſa facundia, ſed fluxa etiam fides levitasque; Aetolorum vanitas, Bœotiorum ruditas, Laconum frugalitas, Macedonum ruſticitas, Thracum immanitas, Athenienſium acumen in proverbium venit. Iactata fuit olim literis & hominum ſermone *Aſiatica* *Aſiatici.*
mollities, Ionum laſcivi motus, Lydorum numeri, Phrygum & Syrorum ſervilia obſequia, Sybaritarum convivia, Chiorum petulantia, Cappadocum, Cilicum & Cretenſium κάππα, Iudæorum pietas.

 Inno-

Afri. Innotuit vulgo *Afrorum* calliditas, Pœnorum circumſpectio, Numidarum levitas, Ægyptiorum ſcientia, Alexandrinorum ſolertia. Sed Gentes iſtę excuſſâ jam pridem nativâ indole in Turcarum mores & barbariem cum Imperii fortunâ tranſierunt. Illi igitur quo animorum hodie rapiantur motu operæ pretium fuerit contemplari.

Turcæ. *Turcis* à Scythico Tartarorum populo genus ducitur, Caſpii quondam Maris, ultra Taurum, accolæ. Inde per anguſtas interrupti Montis egreſſi fauces, cum apud Perſas militiæ perfuncti ſtipendiis, Aſiæ in occidentem vergentis opulentiam cognoviſſent, feraciſſimos Ponti ac Cappadociæ agros occuparunt. Pòſt factâ in reliquam Aſiã excurſione, quicquid inter Mediterraneum mare ac Euphratem jacet campi, prodigioſo fortunæ ſucceſſu in poteſtatem acceperunt. His aucti opibus ſuperato Helleſponto in Europam tranſierunt, varioque diu Marte in Thraciâ & Myſiâ cum Græcis ac Trapezuntiis colluctati, denique expugnatâ Imperii ſede *Conſtantinopoli*, omnes Græcorum ditiones, dum Chriſtiani civili ferro in ſua deſeviunt viſcera, ſub imperium ditionemque redegerunt. Tantarum fortunarum in Aſiæ atque Europæ clauſtris Bizantii defixo domicilio, quoquo dominandi prædandique hortabatur libido excurrere,

aditus

aditus patebat. Igitur verſis primum in occidentem ſignis *Bulgaros* in Mœſiâ edomuerunt; *Valeriam*, *Liburniam*, *Triballos* ſubjugarunt; univerſam *Illyridem* ferro flammaque peragrarunt. Inde averſis in Orientem veſtigiis longè maximum *Soldani* Imperium, & ſuperbas Mamaluchorum opes tribus prælìis fregerunt, ſubactaque *Alexandria* & *Cairo* totam Ægyptum & Syriam ditioni ſuæ adjecerunt. Tum in Chriſtianum nomen converſa iterum arma, ſuſceptâque in Pannoniam expeditione *Belgradum* Hungariæ propugnaculum ceperunt, *Strigonium* & *Budam* Regni ſedem rapuerunt, *Rhodum* & *Cyprum* occuparunt, auſique Germanorum irritare arma *Viennam* Auſtriæ obſederunt. Ubi fuſi fugatique minorem ab illo tempore Chriſtianæ Reip. perniciem dederunt.

Non alia æquè res Turcarum imperium tantâ virium acceſſione confirmavit; quàm vitia noſtra, & arma Chriſtianorum inteſtina: quorum illi occaſione in tam magnam fortunam excrevêre, ut ab hoc faſtigió pacis belique per orbem terrarum momenta videantur dependere. Iuvit in noſtrâ diſſenſione creſcentem Tyrannidis magnitudinem illud tenaciſſimum Imperii vinculum Diſciplina: quâ in caſtris miles ad omnes militiæ labores exercebatur, leges ut deorum oracula, Principem

 cipem

cipem ut præſentē Numinis effigiem reverebatur, nullam niſi in armis delectationem, & in fortibus factis nobilitatem ponebat. Acceſſit ad humanitatis captum facilis, ad cupiditates exolvendæ impetum commoda Religio, quæ permiſſâ ſtuprorum libidine militarem populum, quaſi Circeis blandimentorum veneficiis ineſcavit. Tum culta dignis præmiis virtus longè maximum hominibus & periculorum incitamentum fuit & laborum. Neque enim illuſtris parentum ſanguis, & avitæ ſtirpis nobilitas ad editos honorum gradus evehitur. Plebeiæ ſortis conſpicua in armis ſtrenuitas gubernandæ Reip. faſtigiis admovetur. Hinc legionum primipili, hinc provinciarum Rectores, hinc prætorianæ ſatellitum cohortes, hinc regiarum virginum mariti deliguntur. Igitur pro ſe quiſque in illâ Gente niti, laborare, pericula obire, in hoſtem audaciſſimè pugnare, ut nomen ſibi fortunamque paret.

Cæterum indoles Turcarum Scythicæ diritatis refert incunabula: in qua hactenus ſub molli Phrygum Lydorumque cœlo, inter Ionum delicias, in Græcis Muſarum domiciliis, non mitigatâ, quod diſciplinæ fecit retinaculum, feritate, perſeverarunt. Nullæ in fœdâ barbarie bonarum artium vigent diſciplinæ, nulla humanitatis cultura, arcano ad

Impe-

Imperii conſervationem conſilio, ut cæca ignorantia ad profanæ Religionis impietatē, & Mahometicæ legis obſequium facilius acriusque adſtringeretur. Hæc avitæ feritatis indoles in cultiſſimis olim Aſiæ atque Europę regionibus depreſſis Barbariæ veſtigiis invenitur, ſplendidis civitatum ædificiis in pulveris habitum converſis, Gymmaſiis bonarum artium ſublatis, cultu humanitatis omni extincto. Nō ulla penè alia togam exercet cura, quàm ut ager pecusque benè habeatur. Interea paſcendo ſaginandoque intenti corpori, paſtum animi meliorem negligunt. In legibus & magiſtratuum imperiis innocentiæ leve eſt præſidium, in ſummâ præſidum avaritiâ venali pecuniis æquitate. Et jam Prætorianus miles, unicum quondam Ottomannicæ Dominationis fulcimentum, Bizantinis enervatus delitiis, priſcæ virtutis impetū remittit, & luxurioſo ſuperbus otio, ſoluto diſciplinæ vinculo, cum tanti imperii fortunâ luctari videtur. Tantumque nuper auſa fuit militaris ſeditio, ut *Oſmanem* ſummæ indolis principem, cum revocaturus priſtinam majorum diſciplinam videretur, inaudito in tàm ſervili demiſſæque indolis Gente facinore, ad reſtim damnaret. Fatali nunc laborat ægritudine *Regii Coloſſi Tibia Orientalis*, ſimiliquè illius ad *Occidentem Comparis* fortunâ,

ſolito ſemel diſciplinæ nexu, vacillat, & ſuâ, quam ſuſtinere amplius nequit, magnitudine ad ruinam inclinat.

Perſæ. Præter Turcarum immenſis porrectum ſpatiis Imperium, ampliſſimas in oriente *Perſæ, Tartari, Indi*, & *Chinenſes*; in Africa *Abißini Æthiopes* tenent ditiones: quorum mores in tranſitu, de via, feſtino quàm poſſumus oculo; quando barbara plerorumque feritas peregina non patitur commercia; adnotemus. *Perſæ* ad occaſum Turcis ſunt confines; quibuscum quotidiano odio de Regni limitibus, & dubio *Corani* ſenſu decertant. Quicquid terrarum ab Euphrate ad Indiam longiſſimo tractu porrigitur, uno imperio jungunt, non minus noſtro ac priſco Græcorum & Romanorum ævo maximarum opum viriumq; fama inclyti. Mahometicam Religionis profitentur legem; ſed diverſam à Turcis ſequuti ſectam, pro partium inſigni *rubro pileo* utũtur. Ingeniorum non ea eſt ſævitia, qua Turcæ ac Tartari ad inhumanitatem efferantur. In civili convictu gratâ morum verborumq; comitate benevolentiam captant. Quem in finem non verentur largitiones facere, ac muneribus amicorum gratiam ſibi demereri. In Advenas ſimili ſtudio propenſi benignè illos excipiunt, & tractant liberaliter. Propinqui ſanguinis neceſſitudinem omnibus debiti hono-

honoris benevolentiæque officiis colunt: in parentes grati, in fratres cognatoſque amici. Etiam in uxores, quæ Turcarum in gente pro mancipiis ſunt, conjugali amore ac ſtudio propendent. Zelotypiæ tamen ægritudine graviter laborant, neque admittunt fœminas in conſpectum advenarum. Generis quoque in pretio eſt Nobilitas; cui ad honoratas munerum functiones præcipue patet aditus. Neque mirum ſit, hanc Gentem Scythicæ feritatis reſpuere indolem, quæ admiſſis bonarum artium diſciplinis ad humanitatem excolitur. Non minore ſtudio artes tractant Mechanicas, in ſericorum pannorum texturis egregiè periti. Quanta vero in armis, & equeſtri prę-cipuè militiâ Perſarum ſit ſtrenuitas, bella cum vicinis geſta Turcis ſunt documento.

Ad Boreale Perſarum latus *Tartaricæ* pabu- *Tartari.* lantur Gentes, quicquid à Caſpio ad vinctum perpetuâ glacie Oceanum jacet terrarum, ſuo imperio complexi. Barbara hominum natio jus in armis, leges in robore viribuſque habet. Quadrata corporum ſtatura, vultuſque terribilis, concavis contortiſque oculis, animos ad audendum projectos, ingenia ad immanitatem efferata loquitur. Igitur nulla civilis vitæ ſocietate conjunguntur, nulla Reip. communione, nullis morum diſciplinis humanitatem colunt. Raris tectis in plau-

ſtris pleraq; errat vita, nuſquam defixo fortunarum domicilio. Patria eſt omne ſolum, ubi nox ſomnusve opprimit paſcentes. Uno in loco diu commorari ſummæ videtur miſeriæ. Idem pecudi hominique eſt tentorium, idem penè vitæ cultus, corporumque ſquallor & immunditics, nullâ aut veſtibus, aut corpori adhibitâ lotione. Ideoq; nullus mapparum, aut mantilium eſt uſus. Pro cibo cruda eſt, aut ſemicocta caro; pro potu lac equinum. Etiam incisâ equorum venâ, ſi ſitis urgeat in expeditione, ſanguinem bibunt, & modicâ farinâ melle in manu ſubactâ multorum dierum inediam tolerant. Nulla in tàm immanibus pectoribus verſatur Religio; niſi quòd quidã Mahometis legem admiſerunt. Clarum hujus indolis in Tartarorum ad Polonos legatione præbetur ſpecimẽ; cum *Chan* mortui *Stephani* locum ambiret. Dixit & propoſuit in comitiis iſta: *Poſſe ſe Poloniæ tuendæ vel augendæ Equitum aliquot myriades è terris ſuis educere. Frugalem ſe eſſe, & ſine ullis ciborum deliciis ſolâ equinâ in fame contentum. In Religione, Pontificem Catholicorum Pontificem ſuum, Lutherum Reformatorum Lutherum ſuum habiturum.* In hac tamen Gente Turcarum, Ruſſorum, Polonorum ſunt incunabula. Hæc Duce *Tamire Chane* Aſiam omnem, Ægyptumque victricibus ſignis peragravit. Hæc Europam

pam adhuc gravi ſæpè armorum metu percellit, tributo etiam aliquando à Romanis exacto.

Ultra Tauri juga depreſſi ſunt in Auſtros *Indi*, citra ultraque Gangem per vaſtiſſimos terrarum tractus habitantes. Staturâ corporum ſunt erectâ & procerâ, benè compoſitis compactiſque membris, colore à natali alvo nigro. Veſtis eſt ex lino, aut lanâ, aut ferarum etiam pellibus. Pars nudi incedunt, pudendis plerumque partibus obvelati. In commerciis ignara fraudium ſimplicitas nudâ verborum tranſigit fide, non chirographi cautione, non teſtium authoritate communitâ. Raro quiſquam lite judiciiſque cauſam ſuam perſequitur, quorum dubias pro æquitate contentiones ignorant. Si fortè quiſquam manifeſtæ falſitatis crimine teneatur, ſummis digitorum articulis mutilatur. Illata libero corpori injuria talionis ſubit pœnam. Artifici tamen luminum manuumve adempta uſura capitalis eſt. Nobilitatem priſco inſtituto in præcipuâ habent æſtimatione. Etiam ſapientia in aliquo eſt pretio; quam Gymnoſophiſtæ Brachmanes profitentur: quibus ſacrorum etiam incumbit cura. *Indi.*

Chinenſes Eois objecti fluctibus in extremo Aſiæ beatiſſimo receſſu habitant, cœlo ſoloq; mirâ in Incolas ſuos indulgentiâ propenſo. *Chinenſes.*

Corpo-

Corpore ſunt modico, valetudine plerumque in ſenium integrâ, facie hilari, barbâ rarâ, naſo ſimo, oculis parvis & nigricantibus. Veſtis ad talos propendet, plena dignitatis & modeſtiæ. Comam uterque ſexus promittit, quam viri conſtringunt in nodum. Turpe eſt capite non obtecto in conſpectum venire dignioris. Epulares convictus ſplendidè magnoque celebrant apparatu, largo etiam potu ad mutuam invítati hilaritatem. Tanta vero ad genialem menſam cura eſt munditiarum, ut duobus inter edendum paxillis utantur, ne digitos inquinent. Atque ut feſtis plerumque diebus ſtrenuè epulantur; ita profeſtis impigrè incumbunt ad laborem, deſidis vitæ otia ut ſummum in homine crimen deteſtati. Illa ſedulitas variam admirabilis opificii ſupellectilem, quam nulla imitetur Europæ ſolertia, fabricatur. Illa currus veliferos, & typorum tormentorumque bellicorum uſum jam à multis ſæculis invenit. Non alia Gens tenerius natalem amat terram, ut non eâ, vel ſi regnum tenere alibi poſſet, excedat: neque exteros ipſa admittat. Beatæ pacis ſtudioſi ad militiam neque animos habent, neque vires. Itaque omnis ex literis eſt nobilitas: quæ ex dicendi copia ornatuque pretium habent & honorum gradus. Publicum quotannis in magnâ hominum exſpectatione partiumque

tiumque

tiumque ſtudiis Candidatorum inſtituitur Examen, ſuo momento ponderatâ cujuſque eruditione. Si quis dignum, intra præſcripti temporis ſpatium, ingenii doctrinæque dederit ſpecimen, illi magno faventium applauſu literarii honoris inſignia à ſtudiorum Præfectis conferuntur. In ſummo abundantiſſimæ doctrinæ conſtituti gradu *Mandarini* vocantur; qui Regio præſunt conſilio, & Remp. pace belloque pro arbitrio ſuo adminiſtrant. Furta & homicidia immaniſſimâ flagellatione, quæ mortem plerumque infert, puniuntur. Eandem in Adulteros adhibent ſęvitiam; permiſſis tamen publicè Lupanaribus, quæ extra civitatum pœmeria in ſuburbia relegant. Plures etiam uxores ducunt, communi Orientis vitio: quarum unam & præcipuam domi habent, reliquas diverſis in locis diſponunt, fortuitæ veneris, ubi libitum fuerit, æſtum reſtincturas. Cæterum conſummata omnibus numeris Chinenſium eſſet felicitas, ſi ſalutarem æterni Numinis cognitionem haberent; pro quo Cœlum, Deorum principem, & lucidos ſiderum orbes, etiam, pro ſcelus! Cacodæmonem, ne noxam inferat, venerantur.

Chinenſium Regno, in Eoo mari maxima Inſularum *Iaponia* obvertitur, Aureæ Cherſoneſi nomine celebris. Morum penè eadem, *Iaponia.*

quæ

quæ Chinensibus, est indoles, summa munditiarum cura, splendidi conviviorum apparatus, cibo auri ramentis consperso; opificum singularis solertia; scientia præcellens, speciosis honorum ornamentis titulisq; culta, corporum integræ in senectutē vires; ingenium acre, memoria fida, judicium mentis consideratum. Paupertas nulli est probro. Aleam, furta, maledicendi jurandique libidinem detestantur. Templa Principumq; palatia opere superbo & elegantiâ visendâ extruunt, aureis plerumque laminis obtecta. Militari virtute Chinensibus præstant, corpore validi, animo feroces. Nobilitatem quoque certis honorum potentiæq; distinctam gradibus æstimant. *Bonzii* sacra curant, sub sacrificulo Rege; qui, ut Iupiter in Europâ Capitolinus principem inter omnes tenet dignitatem.

Æthiopia. Hinc facto per Solstitialem Cancri limitem itinere, relictis ad sinistram *Moluccis*, in Gangeticum sinum, atque inde circumvectis Asiæ littora in Rubrum mare aditus patet. Ad Occidentem Africa jacet; in quam factâ exscensione potens *Aethiopiæ Abissinorum* occurrit Regnum, inde usque à Rubro mari vastissimo inter Tropicos spatio in Æthiopicum Oceanum procurrens. Regem habet *Belulem Ioannem*; qui se Israëlitici generis ex Salomone sobolem Sanctorum Patriarcharum

rum

rum & Apoſtolorum Filium unicè Deo dilectum, & Fidei Columnam gloriatur. Populus Chriſtianæ Religionis inſtitutionem ſectamque proſequitur; ſed priſco in multis ex Lege obſervato ſacrorum ritu. Genitalia fœminis juxta ac maſculis circumcidunt. Baptiſmum quotannis, trinum unius naturæ profeſſi deum, repetunt. Color in vultu, ut Indis, niger eſt, capillo denſo ac criſpo. Cibus herbæ ac legumina: tum lac & caſeus. Potus vulgò ex hordeo. In aulà Regis & Patriarchæ vinum bibitur, cujus illic largus eſt proventus. Ingenium Gentis humile eſt ac demiſſum, libertatis neſcium, liberalium & mechanicarum artium rude. Æſtus hîc fermè eſt perpetua, cœlique magna ſub Æquatore intemperies: quam homines multâ diei parte luſtrorum ac cavernarum frigore umbriſque declinant. O immites ſub hoc cœlo calores! ô æſtum immodicum ſideris flagrantiſſimi! Eſſet animus in penetrali Africæ ſeceſſu, *Nubios, Tombutios, Guinæos*; & ultra Æquinoctium, *Congios, Melindios, Mozambicios, Angolios, Monopotapios*, alioſq; ferinę truculētię homines luſtrare, & mores ac ingenia remotiſſimarum Gentium cognoſcere, niſi me importunus ferventiſſimi Aſtri calor prohiberet. Iamq; ut hoc de me fatear, dulcis Patrię amor, ſatis diu maria terraſque circulatum ad ſe revocat, neque

pati-

patitur quidem, ut noſtri orbis egreſſus ſpatia in oppoſitam *Americam* proficiſcar, Gentiumque adverſa pedibus noſtris figentium veſtigia indolem experiar.

Cap. XV

De Belgica.

ET jam Belgicis velis Atlanticum obumbrari pelagus, obſeſſoque *Mexicano ſinu*, atque *Iſthmi* anguſtiis, etiam ultra Æquatorem *Braſiliana littora* noſtrâ claſſe video prætendi. Dabit propediem dignum indole *Belga*, editoque pulcherrimæ virtutis opere, aut aliquam in Freti faucibus Regii vectigalis Inſulam, aut *Pernambici* in Auſtrali tractu portum accipiet in poteſtatem. Illa propitio Numine victoria interiores Americæ receſſus ſcrutabitur, moreſque Regionum atque hominum in Europæ lucem proferet. Tu vero nunc ſalve *mea Belgica*, ſalve dulce genialis auræ ſolum, hoſpitium exulis Eccleſiæ, domicilium Religionis, aſylum Libertatis, propugnaculum Tyrannorum noſtri temporis ſævitiæ objectum. Ut te libens gaudenſque, mea Belgica, poſt tot peregrinationum moleſtias adſpicio! Ut cupidè vitæ familiaris auram ſpiritumque illum libertatis traho! Equidem

Neſcio

Nescio, quâ natale solum dulcedine cunctos
Ducat, & immemores non sinat esse sui.

Quis verò est ille armorum strepitus tumultusque concrepantium armorum? Quid vult ille in bellum apparatus, illæ oppugnandarum urbium machinæ murales, commeatus, classes, copiosum militiæ instrumentum? Cur ad signa creber festinat miles, eductisq; in campum legionibus ad conserendam aciem apparatur manus? Quantus equis, quantus viris adest sudor!

Et jam minaci murmure cornuum
Stringuntur aures: jam litui strepunt.
Iam fulgor armorum feroces
Terret equos, equitumque vultus.
Quos inter fulgent Nassovii Duces,
Non indecoro pulvere sordidi,
Armisque crudelem fatigant
Vindicibus Fidei Tyrannum.

Scilicet hoc vestræ virtutis opus est, Belgæ, contra juratum libertatis hostem, contra Fidelium sectorem, contra funestum bonorum omnium Tyrannum in acie stare, neque pati, ut turpi damnosaque pace Resp. in perniciem deducatur. Justum profectò piumque Belgæ cum Hispano Rege bellum administrant, justis cum perduelle armis decertant. Neque enim cum *Nimrodo* ad propagandos Imperii fines in aciem ac dimicationem venerunt: non *Belli Belgici commendatio.*

cum *Alexandro* ad amplificandam inclyti nominis gloriam; non cum *Craſſo* ad faciendam ex Parthico auro prædam; non cum *Antiocho Epiphane* ad reſtinguendum inflammati furoris ignem; non cum *Antichriſto* ad confirmandum iniquitatis myſterium, arma ſumpſerunt. Pro libertate cum Græcis adverſus Xerxem; pro patriâ cum Romanis adverſus Gallum; pro vitâ fortuniſque cum Solymæis adverſus Sennacheribum; cum Judæis ac Chriſtianis adverſus Syros, & Barbaros, Religionis atque innocentiæ hoſtes, extremæ neceſſitatis ferrum ſtrinxerunt. Vt traditas à majoribus conſervandæ Reip. leges & jura tueremur, in Bellum, unicum ſalutis noſtræ Palladium, confugimus. *Pulcherrima*,[a] Cyri judicio, *res eſt, pro libertate bellum gerere:* [b] *quam nemo bonus, niſi cum animâ ſimul amittit.* Ut vitam à cruentis latronum ſicis; poſſeſſiones à violentis prædonum manibus defenderemus, ad arma ivimus.[c] *Bonos decet viros, ſi afficiantur injuriis, pacem bello mutare:* [d] *cum omnis ſit honeſta ratio expediendæ ſalutis.* Ut cœleſtem poteſtatem præſcripto Apoſtolicæ pietatis ritu coleremus, infeſtis cum ſuperſtitione ſignis dimicavimus. [e] *Obediendum magis eſt* DEO, *quam hominibus:* [f] *profanis quoque Gentibus, præter Iudæos & Chriſtianos, pro Religione bellum ſumentibus.*

a *Xenoph. lib. 3. Cyrop.*
b *Salluſt. Cat.*
c *Thucyd. l. 1. Conc. Cor.*
d *Cic. Mil.*
e *Act.* 5. 29.
f *Cic. pro Font.*
g *Plut. in Them.*

Verſantur in magnâ gloriâ [g] *Athenienſes*, quòd

quòd relictâ Vrbe, conscensisque navibus, pro
publicâ Libertate, ad Salaminem, contra *Xer-* h *Herod.*
xem decertaverint: [h] *Persæ* principes cõtra Ma- *Thal.*
gos Imperii obsessores; [i] *Scythæ* contra Dari- i *Herod.*
um; [k] *Romani* contra Tarquinios; [l] *Cherusci* A- k *Livius.* l *Tac. in Germ.*
masi Lippiæque accolæ, duce *Harminio*, contra
Quintilium Varum & Romanos; *Helvetii* con-
tra impotentem Austriacorum dominatum. m *1. Sam.*
Famâ & prædicatione effertur [m] *David* non- 17.49.
dum ex ephebis egressus, pro salute patriæ cũ
Goliatho in arenam descendens; [n] *Leonidas* cum n *Herod. l.7.*
CCC. Spartanis in Thermopylarum aditu
Persis objectus; [o] *Horatius Cocles* Hetruscorum o *Val.*
in Romanos impetum suæ vitæ periculo susti- *Max. l.3. c.2.*
nens; *Scævola* Porsennæ R. arma conatum- p *Liv.*
que minis infringens; [q] *Camillus* cum Gallis *D.1 l.2.* q *Liv.*
captâ Vrbe Capitolio imminentibus; [r] *Mil-* *D.1 l.5.* r *Herod.*
tiades in Marathone; [s] *Themistocles* ad Salami- *l.9.*
nem cum Barbarorum copiis; [t] *Epaminondas* s *Herod. l.7.*
ad Leuctra cum Laconum exercitu, pro publi- t *Val. l.3.*
câ civium salute suo discrimine congressus. *c.2.* u 2. *Reg.*
Omnium Gentium linguis literisque celebra- 10.
tur [u] *Iehu*, Idolatrarum stirpe succisâ; [x] *Ezechias* x 2. *Reg.* 18.
& [y] *Iosias*, Baalitarum aris eversis; *Maccabæi* cũ y 2. *Paral. 34.*
Antiochi Ducibus; [z] *Constantinus* cum Maxẽ- z *Zosim.*
tio & Licinio; [a] *Theodosius* cum Eugenio; *Iusti-* a *Nicep.*
nianus cum Vandalis Arrianis; [b] *Zisca* Bohe- 3. *l. 17. c.12.*
mus cum Cæsarianis; *Elisabetha* Anglorum Re- b *Aen. Sylv. H.*
gina cum Hispano pro Religione manus & *B. c. 14.*

ferrum conferens. Marmoratis effertur laudibus [c] *Ajothus Aeglonem* Moabitarum R. trāſfigens; *Juditha Holofernem* obtruncans; *Thraſybulus* Athenis; *L. Junius Brutus* Romæ; *Timoleon* Corinthi; *Aratus* Sicyone, violenta Tyrannorum imperia fortibus armis extinguētes. Nos omnia belli gerendi jura, duriſſimæque Neceſſitatis telum, ad ineunda præliorum pericula, & conferendam cum Hiſpano aciem, invitos dolenteſque protraxit. A Rep. ſervitutem, à religione ſuperſtitionem, à jugulis carnificum enſes, à fortunis Harpyiarum ungues, à patriâ vaſtitatem & exitium propulſavimus. Iuſtè pieque bellum gerunt, quibus nulla niſi in bello ſalutis ſpes eſt. Quos tegere non potuit innocentia, eos armorum tegere præſidium oportuit.

c *Iud.* 3. 21.

Cic. Mil. Et ſanè ſuadet ſapientibus ratio, barbaros cogit neceſſitas, Chriſtianis injungit defendendæ ſalutis periculum, feris natura præſcribit, ut atrocem violentiæ impetum omni honeſtâ ratione avertant. Atque eſt illa non ſcripta; ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; ſed ex ipsâ naturâ arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti; ſed facti: non inſtituti; ſed imbuti ſumus, ut ſalutem noſtram propugnemus, & oblatam ab hoſte injuriam, ſi legum invalida ſint præſidia, manu ferroque vindicemus. Neque

enim

enim ut tēpeſtates, & cætera naturæ mala, quę humana induſtria opeſque noſtræ corrigere nequeunt; ita violenta dominantium imperia, & Tyrannorum libido, fortium civium circumſcripta virtute, toleranda eſt. Pugnat Leo unguibus, cornuum aciē Taurus diſtringit, dentibus hoſtem Aper ferit, Gallus gallinaceus infeſtis mucronibus dimicat, Mus laceſſitus mordet, Apicula irritata aculeum figit. Et Formicis ſua bilis ineſt: neque ullum tàm minutum eſt animal, quod non ſuis ad ſe defendendum præſidiis natura inſtruxerit. Homini validas attribuit manus, brachia nervoſa, latera firma, ingenium ſolers, ut vitam ſalutemque ſuam contra omnem violentiæ impetum tueatur. Induſtria excogitavit arma corpori tegendo: capiti galeam, pectori thoracem, lateri enſem, manibus haſtam, urbibus foſſas profundas, aggeres firmos, turres præcelſas, ad muniendam hominum incolumitatem, elaboravit. Fortuna rem atque opes addidit, in neceſſarios pretioſæ militiæ ſumptus. Cum Deo ac naturâ bellum gerere dicamur, ſi defendendæ ſalutis inſtrumenta rejiceremus. In Eretrienſes cavillabatur [d] *Themiſtocles*, quod Gladiolis piſcibus ſimiles eſſent; qui cū gladium haberent, corde deſtituerentur. Hoc Belgæ terrarum orbi ludibrium deberent; niſi divina Naturæ præſidia, & induſtriæ opes, [d] *Plut.*

& potentes armorum viros vireſque, ad cohibendum violentiæ incurſum, & frangendum Hiſpanici furoris impetum adhiberent.

e Gen. 14.14. Igitur ſtricto cum [e] *Abrahamo* ferro cognatum ſanguinem ex prædonum manibus eripuimus. Cum [f] *Ioſua* in Amalechitas idololatras arma coacti movimus. Cum [g] *Baraco* in Siſaram advenam libertatis hoſtem ſigna convertimus. Cum [h] *Gedeone* improbam Madianitarum dominationẽ fregimus. Cum [i] *Iephtâ* Ammonitarum inſolentiam edomuimus. Cum [k] *Samſone* ac *Davide* patriam ab Allophylorum armis vendicavimus. Cum *Iehu* ac *Ezechiâ* Baalitarum aras evertimus. Cum Maccabæis ſanguinarios Antiochi Equites repreſſimus. Cum *Conſtantino* & *Theodoſio* cruentos Eccleſiæ ſectores profligavimus: libertatem manu armiſque defendimus: Religionem aſſeruimus: ferrum à cervicibus, ſtuprum à caſtis corporibus, direptionem à fortunis, exilium à dulciſſimâ patriâ prohibuimus. In hac divinæ Militiæ acie, pari animorum magnitudine, Belgica ſacri Fœderis Reſp. etiamnum verſatur, erectoque libertatis ſigno, ad frangendam Hiſpanicæ dominationis violentiam, & ſubigendam ſepticollem Antichriſti ſedem, terrâ marique viam, quod juvet propitius DEVS, patefacit.

f Exod. 17.9.
g Iud. 4. 14.
h Iud. 7. 7.
i Iud. 11. 32.
k Iud. 14. 19.

Et ſane quam diu tenebimus in manibus arma,

ma, collocatique in ſpeculâ cuſtodiis vigiliiſque libertatem muniemus, tuti invictique tranquillam in medio bello fortunam trahemus. Inſidioſæ pacis artes opes poſſent Belgicas frangere, Remp. labefactare, ſalutem omnium noſtrum evertere. Quid enim depoſito armorum ſtudio, profligatoque hoſtilis gladii metu expectandum aliud eſt, quàm ut diſtractis civium in Belgio animis, ſciſſaque in factiones Rep. illæ collectæ in faſciculum ſagittæ diſſolvantur: rebus, quas ab humili initio feliciſſimo incremento concordia extulit, diſcordiâ dilapſis? Tradentur inteſtina civibus in manus arma; qui externo vacui hoſte domeſticis ſeſe iris fatigabunt. Collidētur inter ſe urbes ac provinciæ: dum aut pro ſuo quæque commodo, aut pro novo Imperio ac legibus nitetur. Ita majorib⁹ nobiſcum odiis, quam cum hoſte certabimus, & diſſipatæ libertatis ſociatæ vires nudum latus inſidianti Prædoni oſtendent. Erunt, qui rigidi in ferrum pretio expugnabuntur, & gratis pecuniarum nimbis obruti, æneas *Acriſii* turres & clauſtra *Iovi aureo* reſerabunt, victâ populi ad defendendam libertatem pertinaciâ. Principum gravem benè geſtâ Rep. authoritatem fidemque apud vulgum hoſtis imminuet, ipſis in quæſitæ Dominationis ſuſpicionem callidè vocatis. Nautici generis militem, magnum

Imperii noſtri præſidium, liberaliore invitatũ ſtipendio ad ſe traducet. Omnes infirmandæ Reip. ſolvendique Fœderis noſtri fraudium ſuarum artes induſtriamque adhibebit.

Tum ad primam deguſtatæ pacis dulcedinem Martius ille fortitudinis impetus, quaſi bibito Circes poculo, reſidebit. Generoſa propugnandæ Libertatis parandæque gloriæ cupiditas, quæ nunc Belgarum animos in hoſtem concitat, deferveſcet. Vis vigorque generoſi ſpiritus effœminabitur. Virtus conſopita elangueſcet. Ducum noſtrorum divina fortitudo, militum invicta ſtrenuitas, procerum eximia prudentia, animorumque in gubernanda Rep. magnitudo, longæ pacis malo extinguetur. Inde ubi repetenda erunt arma, conſerendæq; reſumpto bello manus, ad ſubeunda militiæ incommoda vires, ad invadendos hoſtes iracundiam invalido impetu concitabimus, diuturnæ quietis dulcedine conſopiti. Ita neſciemus, ab hoſtibuſne, an à noſtra capi ignavia fuerit pernicioſius.

Equidem vehementer erramus, ſi hoſtem noſtro magis, quam ſuo bono pacem expetere arbitramur. Neque enim alio ille animo deponet arma; quàm ut ſe à graviſſimo fortunæ caſu recolligat, vireſque reſtituat, infauſta colluctatione prolapſus. Non facit pacem nobiſcum Hiſpanus; ſed bellum differt, acrius

data occasione gerendum: ut qui fossam saltu volunt transmittere, in sua vestigia parum recedunt, ut collectæ vires impetum habeant majorem. Vbi ille fractas Regni vires confirmavit; Germanicas opes sibi adjunxit; ærarium congestis undiquaque opibus explevit; socios nostros oppressit; Fœderatas provincias ad omnes aditus circumscripsit: convulsa domestica seditione Belgarum concordia; circumventa insidiis Libertate; Ducibus militibusque nostris aut fato suo perfunctis, aut sacramento ex solutis, imparatos rudesque bellorum cum Veteranorum exercitata manu invadet, & consiliorum armorumque destitutos præsidio facere imperata, quod prohibeat DEVS, coget.

Non equidem in positis armis pax est; sed in armorum & servitutis posito metu: à quo numquam Belgica vacavit minus, quam cum militandi remitteret contentionem. Creditis Jurisjurandi sanctissimæ Religioni? At nullo ad stringendam fidem Rebellibus Hæreticis sacramento obligatur. Confiditis magnificis in speciem verbis, & gloriosæ mille bonorum jactationi? Tam illa vana est, quam ludicra Nutricum pollicitatio, qua flentibus pueris silentium extorquetur, illorum oculis ad pictas pulchrè tabulas aut aulæa sublatis. Nihil profectò aliud hostis, quàm libertatis nostræ

perniciem intendit: quod cùm armis parum ſuccedat, ad improbas fictæ pacis artes convertitur.

Belgarum indoles. Rectè itaque, & ex patria Majorum indole, generoſæque virtutis ſpiritu Belgæ faciunt, quod glorioſum ſanctæ militiæ opus magnis animis proſequuntur, obverſaque Hiſpanis acie, nullam pro libertate moleſtiam, nullum periculum extimeſcunt. Eſt namque in libertatem natus Belgarum populus, indocilis pati ſervitutem, neſcius cruda Exterorum ferre imperia. Libera loquentium vox, libera ſentientium mens eſt, adverſus acerbè dominantium juſſus obſtinata. Miti alloquio verborumque comitate conciliaveris animos in promptiſſima obſequia deflexos. Superba imperantium juſſa non patiuntur: ut faciles blanditiis; ita minacibus edictis præfracti atq; intractabiles. Nihil itaque vulgo gratius, nihil ad demerendũ populi favorem efficacius; quã facili cum quovis colloquio miſceri, benignè obvios ſalutare, ad plebeia popularium ingenia moreſque ſe componere, in eminente fortuna nihil ſibi præ aliis ſumere, non ſordidum ruſtico pulvere, aut nautica pice homuncionem deſpicere. His potiſſimum artibus collectâ multitudinis gratiâ, eblanditiſque ſuffragiis ad honores conſurgitur. Faſtidioſa contractæ frontis gravitas & immodicæ oſtentationis

tionis ſupercilia in publico contemptu odioque verſantur. Hunc Belgicæ libertatis ſpiritum cùm aſperis edictis, & violentis imperiis Hiſpanus laceſſeret, dignam viris tempeſtatem excitarunt, quæ omnem adhuc terrarum orbem percellit. Non alia Gens ad parandam rem eſt attentior, ad faciendam mercaturam ſolertior. Quæ etiam negotiandi cura fœminas exercet, cum alienis viris à prima ætate ſine ulla profanati pudoris ſuſpicione converſantes. Vnde elatæ quandoque, facto largiter quæſtu, ſupra ſui ſexus faſtigia conſurgunt, & plus nimio viris moleſtæ imperium affectant. In ædibus nitida mundicies, in ſupellectile dives copia ornatuſque ſummo eſt ſtudio. Ignavia dedecori eſt, omni ætate in ſuo pulvere verſante. Puellæ ad filum & lanam erudiuntur. Pueri mechanicarum artium opificiis admoventur. Qui oberrare in plateis otioſè cõſpicitur, in publicas urbium officinas compingitur, ut aliquam ſuſtentandę vitæ artẽ ſub cenſoria præfecti virgula in umbra addiſcat. Igitur mechanicæ artes nuſquã copioſius, aut peritius tractantur. Quum vero in obeundis magnarum rerum negotiis, & percipiendis ingenuarum artium ſtudiis ſint appoſiti, me tacente, clariſſimorum virorum in literis & Rep. curanda virtus & claritudo præbet documentum. Par in Militia, maximè Nautica, eſt ſtrenuitas

nuitas atque audacia: ut Hiſpani Regis afflictis ſub utroque ſole viribus, ſibi glorioſam armis libertatem paraverint, Orbem terrarum à crudis Tyranni imperiis vindicare atque exſolvere etiamnum ſatagant.

Ita quidem ſingulæ Nationes in vitia virtuteſque ſuas, adſpirante ſoli natalis aurâ, naſcuntur: unde adgenita hominum ſingulorum indoles moreſque ad habitum patriæ expreſſi tacita conjectura arguuntur. Erat animus mihi Belgicam univerſam celeri pede peragrare, & ſingularum Gentium patrios mores in conſpectum proferre; niſi ſurgere ad dicendum *Collegam* meum viderem: qui ut ſpero, tàm diverſæ indolis ſtudiorumque, in quæ ſpiritus cupiditaſque nativa deflectitur, cauſam aliquam in medium adducet. Cui ut libentem & benevolam auribus operam detis, veſtræ eſt, Auditores, humanitatis.

CAPVT XVI.

De cauſis diverſæ indolis ex naturâ Soli & Poli natalis.

Omnis regio ſibi peculiarem habet indolem.

EQuidem ſuum Natura ſingulis Nationibus genium ingeneravit; qui certas hominibus cupiditates inſerit, per quas in diverſa ſtudia vehementiore animi impetu rapiuntur. Hinc illa à priſco Mundi ævo genitalis à patria

patriâ indoles, virtutum vitiorumque ſurgentium, obſtetricāte Natura, nutrimentum: unde Gentes univerſæ, publica omnium ſæculorum authoritate, aut laudem, aut labem trahunt. Illæ ſuę magnitudinis inſolentes opinione magnificentius ſe oſtentant, & verbis geſtibuſque ad triſtem gravitatem compoſitis in ſuam dignitatem conſurgunt. Iſtæ ſubitis præcipites conſiliis in diverſam facilè mentem impulſu levitatis feruntur. Aliæ eximia ingeniorum luce ac perſpicacia; aliæ virili morum gravitate ac conſtantia; aliæ mechanicarum artium peritia; aliæ bellica ſtrenuitate magis excellunt. Quædam in libidinem, in luxuriam, in iracundiam, in honorum aut pecuniarum deſideria, in potandi commeſſandique ſtudia cupidius ducuntur. Sunt, quas ſimplex probitas, antiqua fides, innocua modeſtia, religioſa pietas, virilis fortitudo commēdat. Quas veteratoria calliditas, inſidioſa ſimulatio, inſolens ferocia, barbara profanitas, effœminata mollities abundantius culpat. Nulla eſt hominum ſub utroque Sole natio, nulla tam barbara ferventis frigentiſve plagæ ingenia, quæ non à Natura certa virtutum vitiorumque ſemina conceperint, magnum, ſi adoleſcant, ad parandam boni malive famam nominis momentum.

De iſtis quidem rebus copioſè & abundā-

Causæ indolis adgenitæ. ter Collega meus disseruit, *omnem ingeniorum habitum*, quà se noti orbis porrigit capacitas, oratione complexus. Quæ ut cognoscendis hominum moribus magnam afferunt lucem : ita tam diversæ indolis causam rationemque scire, non parvo erit, ut opinor, in rem eandem adjumento. Ego quidem omnem istius diversitatis causam à *Cœli Solique natalis conditione ac habitudine* esse puto, unde in variam homo indolem, suo quodam fato, nascitur : inde *geluve æstuve immodico exustus*; hinc *vi Regionis propriâ & peculiari affectus.*

I. In cœli habitudine. In Cœlo Sol ille luminum moderator circumerrans Terræ Orbem, medium illius ambitum, Tropicis utrimque definitum, propinquo radiorum attactu vehementius ustulat. Extremi à medio limites, utrinque Mundi subnixi verticibus, sub geminæ Arcti imperio, frigorum hyemumq; magnitudine obrigescunt. Interpositæ istis metis Regiones, ut quæque ad Solaris curriculi confinia accedit propius; eo majore æstu infestatur : ut magis ad extremos limites excurrit, eo vehementius frigore abundat. Mediæ inter frigora caloresque intensiores terrę benigna indulgentis cœli temperie fruuntur, plus minusve, ut ab æstuum frigorumve domiciliis propius absunt. Ex hoc fonte, pro molientis Naturæ conatu, omnis est ingeniorum diversitas. Hinc alii alios non provi-

proviſa dicendi conſulendique promptitudine, invicta curandarum rerum diligentia, ſimplicis animi integritate, armorum peritia, in victu & venere continentia, in bonarum artium diſciplinis ſolertia præcellunt. Hinc illa multarum gentium effœminata mollities; aut contemptrix periculorum animoſitas: cō-ſiderata in ſuſcipiendo negotio tarditas; aut concitata temeritatis impetu feſtinatio: grata morum humanitas; aut barbara ferocia: compoſita verborum geſtuumque gravitas; aut futilis inconſtantia: ſervilis reverentiæ humilitas; aut impatiens jugi moleſtioris elatio: religioſa colendi Numinis pietas; aut profana negligentia. A calore non ferventiſſimo eſt providæ mentis ſagacitas, ingenii ſolertia, puſilli animi debilitas, effuſa in omni intemperantia libido, triſtis contracti vultus ſeveritas, ſervilis imperii patientia, tenax rerum ſuarum frugalitas, ſubiti fluxique affectionum impetus, bonarum artium & religionum ſcientiæ. A frigore non vehemētiſſimo eſt virium pollentium firmitas, corporis vaſti robur, magnitudo periculorum & adverſitatum contemptrix, cupiditatum moderatio, liquidæ frontis hilaritas, ingenua ſuis vivendi legibus libertas, motus animorum ſtabiles ac diuturni, profuſi ſumtus largitas, mechanicorum operum artificia.

Igi-

Borealiũ & Australium indoles differens.

Igitur *Auſtrales*, quorum vertices propius perſtringit æſtivi ſolis orbita, (neque enim ad extremas Auſtri domos Antarctici poli ulla nobis eſt cognitio,) ingenio abundant, ad cogitandum acuti, ad intelligendum expediti, ad capienda conſilia parati, ad cavenda pericula circumſpecti, in omnibus humani commercii negotiis providi ac ſapientes. Illi bonarum artium lucem Mundo primi accenderunt. Illi virtutum præcepta condiderunt. Illi Religiones poſteris tradiderunt. Ab illis ipſa humanitas, tanquam à ſuo fonte in terrarum orbem manavit. In hoſtem magis fraude & furtivis inſidiarum tendiculis; quam aperto Marte, conſertiſque æquo virtutis certamine viribus depugnant. Nota eſt in vulgus Punica vafrities, & Hannibalis artes. Tenentur Parthorum fallaces fugæ, & ex inſidiis quæſitæ victoriæ. Manifeſta eſt Ægyptiorum in obeũda callidè militia fraudandiſque hoſtibus calliditas. Neque clarius quidem Auſtralis naturæ, quam in illis *Aegyptiis* refulget ſpecimen: qui in Aſiæ Africæque ſiti confinio, & flagellati ſolis propinqui radiis, utriſque ſemper promptiſſimi ingenii artibus excelluere. Igitur *Apuleius* Eruditos appellat, ut Judæos ſuperſtitioſos, Nabathæos mercatores, fluxos veſtium Arſacidas, pauperes Scythas, odorum divites Arabas. *Vopiſcus* eos Poëtas, ad ſcribenda epigrammata

mata

mata & publicas cantilenas propensos. *Macrobius* Ægyptum matrem artium nominat. Et tanta quidem Alexandriæ urbis erat dignitas, ut, *Marcellino* authore, Medicis ad commendandam artis authoritatem suffecerit, si Alexandriæ eruditos sese dicerent. Igitur *Cæsar* Gentis illius in fabricandis militię instrumẽtis admiratus fuit sagacitatem. Et veteres scientiarum Antistites in Ægyptum suscepere peregrinationem, ut illic veræ sapientiæ mysteriis imbuerentur. Non minus ad versandas fraudes, & concinnandos dolos solertes fuêre & vafri. Hinc *Aeschylus* nectendis dolis idoneam dicit Ægyptum. *Vopiscus* Ægyptios ventosos scribit, furibundos, jactantes, injuriosos, avidos rerum novarum. *Cæsar* fallaces, semper alia cogitantes, alia simulantes. *Marcellinus* ad singulos motus excandescentes, controversos, reposcones acerrimos. *Curtius* Gentem vanam; novandis, quàm gerendis rebus aptiorem. *Seneca* loquaces, & in contumelias ingeniosos. *Adrianus* Imp. leves, pendulos, ad omnia famæ momenta volitantes: seditiosos, vanos, injuriosos. *Boreales* hebetiore sunt ingenio, acieque mentis obtusa, humorum spirituumque obsepti nebulis; ut cum Sol offusa caligine minus elucescit. Si quid cogitandum discendũve, impeditę mentis tarditas gravem objicit difficultatem. Si gerendum magnæ rei

negotium, ſtupidis retuſiſque ſenſibus conſilium nullum in promptu eſt. Bella virium magis, quàm ingenii fiduciâ gerunt. Aperta virtute, conſertiſque palam manibus, parant ſibi cum *Macedone* fortunam; non furantur. Rectius illis negotium committas, quod valido robore perficitur; quàm ingenii ſolertiâ. Ab Auſtro liberales ſcientiæ; à Boreá mechanicarum artium opificia provenere. Illic aſtrorum & poli; hîc raſtrorum & ſoli felicior eſt cultura, eruto ex intimis terræ viſceribus metallo. Illic cum ingenuis ſcientiis futiles malignarum artium diſciplinæ, magia, divinatio, faſcinatio, & tam varia ſuperſtitionum ſollicitudo; hîc in perniciem generis arma, in ruinam urbium machinæ, in frangendo fluctuum armorumque impetu vallorum atque aggerum ſtructiones ſunt inventæ.

Auſtrales ventri turpiſſimiſque corporum dediti partibus per luxum atq; ignaviam plerumque ætatem agunt. In geniali epularum apparatu, in balnearum lavacris, in unguentorum odoribus, in delicato mulierũ comitatu, in voluptatum fruitione majorem, quàm in armorum ſtudio libidinem habent: tam faciles pati muliebria; quàm præſtare. Quis neſcit motus tripudiantium Ionicos, Leſbiorum ſpurcitiem, Sodomitarum libidinem, Babyloniorum petulantiam, Ægyptiorum deli-

cias, Aſſyriorum voluptates? Quis ignorat Lydorum cauponationes, Samiorum flores, Sybaritarum menſas, Trojanorum porcos, Perſarum convivia, Indorum umbellas, cultumque curandorum corporum pluſquam muliebrem? Ibi voluptatum inventoribus & magiſtris præmia ſunt conſtituta. Ibi caſtrato corpore virilitas primum effœminata. Ibi *Antonius* nobilis decoctor, cum maximi apparatus inſtituiſſet epulas, tanquam rudis luxuriæ tyro veteranis Cleopatræ copiis profligatus. Ibi numeroſi fœminarum greges in matrimonium ducti, materna & ſororia conjugia frequentata, maſcula execrabilis flagitii venus uſurpata. Quibus enervati fractique voluptatibus nullas ad arma vires, aut animos habent. Ad leviſſimum incommodum labaſcunt, ad minimi doloris ſenſum deficiunt & collabuntur, ſæpe vultum ſpiritumque Europæi militis numeroſiſſimis exercitibus non auſi ſuſtinere. Qualem euntis in *Alexandrum Darii* Exercitum, omnibus rebus inſtructum præterquam animos manuſque viriles, intuitus Græcus ille miles, [a] *Quin tu*, dicebat, *ſi vincere vis,* [a Curt. l. 1.] *inutilem illum armorum cultum militibus detractum in Græciam mittis; & parem Macedonicis legionibus contrahis exercitum?* Ex quâ Aſiaticæ mollitudinis & luxuriæ Gente cùm CCC. hominum millia contra Romanos *Antiochus* in campum

 eduxiſ-

eduxiſſet, ſignis auro argentoque fulgentibus; quæreretque ex *Annibale* Rex; [b] *an illas copias ſufficere Romanis putaret; Maximè*, inquit, *etſi ſint avariſſimi.* De quarum ſplẽdido apparatu cum T. *Quintius* audiviſſet; [c] *illas ſui hoſpitis diverſi condimenti ex unâ ſuillâ ferculis ſimiles eſſe dixit.* Cum illis congreſſurus, ad Tyatira, Romanus: [d] *non cum armatis militibus pugnandum; ſed parem pecudum numerum trucidandum jactavit.* Itaque *Alexander Moloſſus*, ſuſcepto in Romanos bello; [e] *ſe in Italiam ire, quaſi in* ἀνδρονίτιν; *propinquum Macedonem iviſſe ad Perſas, quaſi in* γυναικονίτιν, dicebat. Atque hoc *Murenæ Cato*, & *Pompeii* manibus objecit *Cæſar*; *non magno cum labore Magni nomen ex Aſiaticis effœminatorum hominum victoriis quæſiviſſe*, dictitans. [f] Eorum C. M. in Artaxerxis exercitu, cum XIV. M. Græcorum *Cyrus*: [g] XLVI. nationes cum XI. M. Athenienſium, ad Marathonem, *Miltiades*: [h] XXX. myriadas cum CX. M. ad Plateas *Pauſanias*: [i] innumerabiles, Artaxerxe Rege, copias parvâ manu in Hermi campis *Ageſilaus*: [k] CCCCCC. M. cum XXX. M. ad Iſſum & Arbela, *Alexander*: [l] CCC. M. cum XI. M. ad Tigranocerta, *Lucullus*, quinque tantum Romanorum deſideratis, profligavit. *Boreales* Auſtralium rudes delitiarum, minus in victu cultuque corporis ſunt ſoluti & molles. Pro cibo plerumque ſolida eſt à muria fumove caro, & ex farinâ aut leguminibus pultes,

cum

[b] *Macrob. Sat. l.* 2.
[c] *Plut. in Apoph. Roman.*
[d] *Liv. D.* 4. *c.* 7.
[e] *Gell. l.* 17. *c.* 21.
[f] *Xenoph.*
[g] *Herod. l.* 9.
[h] *Herod. l.* 9.
[i] *Pauſan. in Lacon.*
[k] *Curtius.*
[l] *Plut. in Lucull.*

cum ſiligineo pane. Pro potu craſſi liquoris hordeacea cereviſia. Pro condimento fames labore quæſita. Scythæ ſectis equorum venis, quando opus eſt, ſitim reſtinguũt. Gothi mariumque accolæ obduratum vento piſcem, & ſalſamenta in delitiis habent, ſine lautitiarum apparatu & blandimentis depulſa fame. Iſto corporis cultu in hæc membra, in hoc virium robur animique audaciam, quæ Orientem ita ſæpè perculit, excreſcunt. Quibus viris non labor eſt inſolitus, non locus ullus aſper aut arduus, non armatus hoſtis formidoloſus. Vis pectorum obfirmata nullo periculo exterretur, nullum vitæ diſcrimen extimeſcit. Sæpe conſpecto ſanguine acrius in hoſtem inſurgitur, & in pugnam irritata virtus ardentius excaleſcit.

[m] *Quicquid ad Eoos tractus, mundique teporem* m *Lucan. lib.* 1.
Labitur, emollit Gentes clementia cœli:
Omnis in Arctois populus quicunque ruinis
Naſcitur, indomitus bellis & mortis amator.
Felices errore ſuo, quos ille timorum
Maximus haud urget lethi timor.

Copioſi ſanguinis hæc eſt virtus: unde natus violentior ſpiritus adverſus omnem injuriam altius conſurgit.

Ex illa effœminatæ virtutis mollitie Auſtrales ſunt manſueti, tractabiles, ad patiendum ſervitutis jugum indole demiſſa. Quid

Syris Lydiſque ſervilius? Quid Indis ac Ægyptiis vilius? Quid Abyſſinis & Peruanis abjectius? ad toleranda imperia obſequentius? ad collocandam volenti operam facilius? Atque ut ineſt illis tractabilis in animo facilitas; ita in corpore affectata eſt mundities, in veſtitu elegantia, in verbis moribuſque benignitas. Inde tanta eſt balneorum & lavacrorum in Oriente frequentia. Inde viſenda Indorum ex diverſarum avium plumis veſtimenta. Inde Perſicæ togæ muliebris elegantia. Inde picti coloribus vultus, & corpora gemmis ſtellata. Quis miretur illam cereæ teneritudinis mollitiem in omnem facilè partem verſari, atque ut ſubito, ita fluxu & evanido impetu ferri? Igitur effervęſcente in iram bile excandeſcũt ocius, expeditoque ſtatim aculeo furenter certamen ineunt. Sed in ſubtenui ſanguine ſpirituque ſubtili rabies confeſtim deflagrat, ad primum vulneris ictum animo deficiente. Eadem eſt in ſervanda fide inconſtantia, in tenenda ſententia mobilitas, lubricæ inſtabilitatis animo huc illuc ad popularitatis auram fluctuãte. Si quis aut mutandæ Religionis, aut faciendæ factionis idoneus author extiterit, eum magnis agminibus tanquam miſſum de cœlo Numen ſequuntur; non quò ire deceat, cogitantes; ſed quò ducunt antecedentium greges. Ita ad vulgatam novi Meſſiæ famam

ingens

ingens ſæpe hominum multitudo confluxit. Ita *furcifer ille Arabicus* univerſum penè Orientem in ſui cultum pertraxit. Ita *Alohadinus* ridiculà Paradiſi pollicitatione magno numero Aſſaſſinos in Syria ſibi devinxit. In ipſa Iſraëlitarum Gente clarum eſt iſtius mobilitatis documentum: quæ tot DEVM edocta miraculis, toties traditam à Majoribus Religionem abjecit, & facili levitatis impulſu modò ad hos, modò ad illos profanarum Gentium ritus deſcivit, marini ad modum æſtus pietate fluctuante. *Boreales*, motus habent animorum ſtabiles ac diuturnos, denſis in copioſo ſanguine ſpiritibus non facilè attenuatis. Vt efferveſcit; ita deferveſcit ira tardius, commotoque ſemel æſtu dignam viris excitat tempeſtatem. Ideoque in obeundis negotiis fixos ac ſtabiles non facilè à propoſito ſuſceptoque conſilio deflectas, animo in extremam contentionem obfirmato. Ex eo toties in Europa civilibus de Religione armis concurritur. Hinc *VVeſtphali Saxones* triginta annorum bello à *Carolo* M. vix demum ab idolorum cultu abducti; *Vandali*, *Obotriti*, & Balthici littoris accolæ ad internecionem Gentis à Chriſtianis Principibus oppugnati; tot Religioſorum millia, cum declinare à propoſito nollēt, ferro flammiſque hauſta ſunt. Eadem eſt in exolvendis promiſſis religio, in ſervanda fide pactiſque

promptitudo ac tenacitas: quæ [n] *Frisiorum* olim Legatos Romæ in Senatoriis ſubſelliis collocavit, [o] *Batavos* in principum cuſtodes & fratres allegit, *Helvetios* hodie Regiorum corporum ſtipatores & ſatellites conſtituit. In illo obfirmatæ mentis robore ferocia, morumque immitium quædam aſperitas habitat, à cultu humanitatis præſtandiſque obſequiis alienior. Non patitur violenta jubentium imperia animus ad libertatem erectus. Franges obſtinatam pertinaciam: non flectes, ſi vim majorem adhibueris. Elegantiarum in veſtitu cultuque corporis nulla eſt magnopere cura & æſtimatio. Atque ut eſt infrequens balneorum uſus; ita adſciti aliunde vultus, & ficta pigmentis corpora neſciuntur. Color non fuco illitus; ſed ſanguine diffuſus magis placet; ſub ſordium tamen ſæpe illuvie vix apparens. Notat hoc in priſcis Germanis hiſtoricus, [p] in omni domo nudis ac ſordidis, inter eadem pecora, ſub eodem tecto degere ſolitis.

[n] *Sueton. in Claudio.*
[o] *Suet. in Aug. Tiber. Calig.*
[p] *Tacitus in Germ.*

Auſtrales copioſa bilis atræ illuvies ad mœſtitiam dejicit, corpori retorridam maciem, animo malitiam, calliditatem, fraudes, odia, invidentiam, crudelitatem affundit. Boreales copia ſanguinis ad ſecuriorem hilaritatem deducit; corpus vaſtum ac obeſum, ſenſus ſtupidos, mentem apertam fraudiumque verſandarum rudem, impetus in iracundiam tardos,

ſed

ſed validos ac diuturnos, memoriam affluente pituitâ fluxam efficit. Quo cœli Borealis habitu [q] *Antonium* conſpicatus *Cæſar*, nullam ab illo, ſed ab Auſtrali *Bruti Caßiique* macie vim ſibi metuendam judicavit, in obeſis vaſtiſque corporibus minimum habitare calliditatis arbitratus. *Auſtrales* ab interni defectu caloris ſummam habent in victu potuque moderationem, in generãdam ſobolem evanidos conatus: ſive prolifica vis immoderata Venere, quam proritat bilis, depaſcitur; ſive diſſipatus externo æſtu calor molientis Naturæ impetum evertit. *Boreales* quo minus à Sole, eò magis à ſeipſis ferveſcunt, calore, qui diffluere ac diſſipari flagrante vehementius aëre ſolet, ad interiores receſſus per vim frigoris externi retruſo. Ita ſubterraneę cellę hominumque ventriculi, per brumales dies, coacto intus calore, abundantius caleſcunt. Vnde hyeme & cibus appetitur cupidius, & coquitur rectius, Auſtroque flante languidiores ſumus; at vegetiores ex Aquilonis aurâ. Igitur Septentrionales copioſiore ſeſe cibo potuque ingurgitant, dum flagrans intus ventriculus palati ſolicitat aviditatem, perpetua ſiti fameque laborantem. Calori ſeminalis affuſus humor Borealibus illam generandæ prolis fœcunditatem ingeneravit; quæ omnem terrarum orbem coloniis ſuis obſevit, nunc in Indiis

q *Plut. in Apoph.*

etiam atque America genere propagato.

Extremi caloris & frigoris eadem indoles.

Hæc Auſtrini Borealiſque cœli eſt natura: quam eo magis quiſque trahit, quò ad exteriores calorum frigorumque regiones magis devergit. Eadem eſt hominum in extremis utrinque metis indoles. Æque barbari ſunt, parvi, debiles, omnium bonarum artium rudes, tum qui nimio frigore rigeſcunt, in ultimo Arctoi Orbis poſiti angulo; tum qui æſtu immodico excoquuntur, ad extremam Auſtrini Solſtitii orbitam depreſſi. Illi frigore; iſti calore immoderato flagellati languidiores animi corporiſque habent vires. Illic tranſiens ad intima frigus calorem depaſcit; iſtic excandeſcens fervor humorem ebibit: utrinque virtus eximiorum operum effectrix penetrabili aurâ exuritur.

Temperatæ Regiones.

Quò quiſque magis in medio æſtuum frigorumque poſitus eſt intervallo, & temperatas inter Polos regiones habitat, eò commodius beatiuſque vivit, omnibus animi corporiſque dotibus cumulatius inſtructus. Illi verò ſunt, qui ab Æquatoris circulo verſus Arcti vertices (quando à diverſa parte ad Antarctum depreſſæ Gentes minus ſint cognitæ) à 40. in 50. latitudinis utrinque gradum incolunt, neque nimio frigore ventiſque fatigati, neque æſtu violentiore toſti. In quo temperatiſſimi aëris domicilio poſiti ſunt verſus Iberum *Hiſpani, Galli, Itali, Germani*, præ-

cipuè

cipuè in meridiem & occaſum depreſſi: *Pannones, Illyrii, Dalmatæ, Græci*: in minore *Aſiâ*, verſus Euxinum maximè, nationes, *Armenii, Medi, Parthi, Chinenſes, Iaponii*: & in America *Virginii, Floridi, Mexicani, Peruani*. Has maximè Gentes ſuo quodam fato Natura in maximas animi corporiſque dotes voluit naſci: ad cogitandum acres, ad agendum expeditas, ad diſcendas diſciplinas promptas, ad omnia belli paciſque munia aptas natas.

Vt verò Cæli; ita *Soli glebæque natalis habitudo*, variatis hominum moribus latentis intus animi indicium præbet: Si illa ſterilis ſit, fertiliſve; ſi aprica cœlo aperto, ſylveſtriſve; ſi arida, paluſtriſve; ſi aut montibus aſſurgat, aut in æqualem planitiem fundatur; ſi aut quieta ſit, aut ventorum flabris vehementius agitetur; ſi aut mari fluminibuſque irrigetur, aut ſiticuloſa ſiccitate areſcat. Ad patriam terræ indolem naſcitur homo & componitur, pro genitali illa aura habitu animi conformato. *II. Soli patrii conditione.*

Igitur cui cordi commodoque eſt, adgenitam morum habitudinem, & animorum in hominibus indolem prædiſcere, patrios ille regionum ſpiritus, & locorum, in quibus naſci contigit, cultum exploret. Illa virtutum vitiorumque prima ſunt incunabula & fomenta. Quod cum apex ille Philoſophorum *Plato* conſideraret, non immerito egiſſe gratias Diis

vide-

videtur, quod in Græciâ naſci ſe voluiſſent; non apud Barbaros: Athenis, in illa Sapientię & virtutum palæſtra; non apud Thebanos. Vt enim in Salo nati piſces ſalem referunt: ita ad patriæ Regionis ſpiritum homines effinguntur, in illas rapti plerumque animorum impetu cupiditates, quas natali ſolo Natura ingeneravit. Erant omni ſcelere nequitiâque perditi *Sodomitæ*. Flagrabant turpiſſimarum voluptatum infamiâ *Sybaritæ*, nati denatique ſolis ut plurimum ſignari. Vivebant proterve petulanterque *Aegyptii*. *Campanorum* ſupercilia, Ionum & Phrygum luxuries, Syrorum, Lydorum, Sabæorum, Indorum, Chinenſium effœminata mollities, & ſervilis ingenii vilitas in ſermonem & vituperationem venit apud omnes. Soli natalis ubertas & glebæ feracis opulentia illos effœminavit, ſolutoſque in omnem luxuriam ad peſſimas nequitiæ artes peſſumdedit. Ita namque comparatum eſt cum hominibus, ut proventu ſecundarum rerum plerique inſoleſcant, & ex copia ineſcati voluptatum ſtudiis, animi ſimul corporiſque vires deperdant. *Cyri* Regis hoc fuit judicium, qui rogatus à Perſis ut in feraciorem ipſos regionem deduceret, *Ergo*, inquit, [r] *ad ſerviendum vos parate. Mollis terra molles & demiſſæ indolis homines producit. Non ejuſdem eſt Regionis fructus & viros edere generoſos*. Igitur Aſia, quam minorem dicunt,

Regionũ feracium mores.

[r] *Eraſ. in ad. ex Herod.*

dicunt, ob luxuriantem glebæ fertilitatẽ, gravi semper deliciarum infamia laboravit, vitiorum nobile seminarium : quam suos cives [f] Lacedæmonii frequentare noluerunt ; ne invitamento voluptatis capti ad delicatioris vitæ genus prolaberentur. Illa postea Græcis Romanisque direpta armis, utrumque populum ex abundante præda irretitum luxuriæ commercio fregit, & attrita majorum virtute hostibus debellandos objecit. Illa Gallogræcos, expugnata Celticæ fortitudinis indole, effœminavit. Illa Scythicæ originis Turcarum & Persarum Gentem nimiis captam deliciis nunc emollit, & ad primam belli occasionem Europæo militi vincendam effœminat. Campanæ fertilitatis copia & seplasiaria castra Punicam feritatem contuderunt. Græcorum sub *Alexandro* M. exercitum XXXIV. dierum spatio Babyloniorum opes & deliciæ corruperunt. Nota sunt Mauritaniæ ad Atlantem CCCC. germina ex uno tritici grano. Vulgati in vallibus Tauri montis duorum cubitorum racemi, & ex una ficu modii septuaginta. Scitur Damasceni agri in Libani convallibus spontanea fertilitas. Tenetur *Arvernorum, Limonici, Taurinus ager, Thessala Tempe, aurea Pyrenæorum; tum & Sedunensium, Vmbrorum, Palatinorum, Carpathi valles*: quæ radiorum concursu calescentes, & ex fontium imbriumque limoso affluxu uberes, incolas

[f] *Val. l. 2. cap. 6.*

colas luxu deliciisque emollitos ab armorum studiis abducunt.

Sterilis. Non ea est in *sterili glebâ* ex abundantiâ luxuries, & ex luxuriâ inertia & protervitas, pauperis soli damna virtute industriaque incolarum compensante. Copia magna est vitiorum genitrix, magna vitiorum nutrix & hortatrix. At paupertas utilis sæpe fuit disciplinæ magister: quodque uberes libri ac hortatus non potuerunt, aridula patriæ gleba multos docuit, sobrietatem. Erat [t] *Corinthiorum* Regio non admodum ferax, inæquali situ alibi tumens, alibi cava: quod incolis ad exercendas egregiarum artium disciplinas incitamento fuit. Erat *Attica* sterilis & maligna frugum nutrix; non item bonarum artium, quæ ex illo humanitatis seminario in omnem se Europam propagarunt. *Persæ* pauperes Assyriorum & Medorum opes diripuerunt. *Scythæ* vagam in plaustris vitam agentes, & Riphæis indurati nivibus, uberes Asiæ campos occuparunt. *Gothi*, *Vandali*, *Langobardi*, *Normanni* in retorridis patriæ terræ arenis ad virtutem obfirmati Europam omnem in potestatem redegerunt. Et ne vetera dicam; apud Italos hodie arens illa & *scopulosa Ligurum pars*, quæ Romanam olim virtutem duravit, præ cætera Italia mercaturam, & militiam graviter exercet. Apud Germanos *Noricorum urbs* sterili sita solo, arte industria-

[t] Strabo. l. 8. G.

que

que opificum in celebri gloria verſatur. Ne aliena; noſtra quæ in ſterili arenâ, aut bituminoſo ceſpite macileſcit, *Friſia*, & laboris patiẽtia, & ingenii acumine opulentam populariũ ſuorum ubertatem plurimum antecellit. Hîc diſtenta vaccarum ubera, & campi frugum proventu luxuriantes; illic felicia hominum ingenia laudantur.

Arborum umbracula ſolo æquali mitia homi- *Sylveſtrium & Ventoſarum.* num præſtant ingenia: dum & ſævientium aurarum flabra infringunt, & frigora æſtuſque vehementiores prætento quaſi velo avertunt. *Aſperior in locis planis & apricis, ad omnem auræ violentiam patentibus, eſt indoles*; quæ hybernis menſibus frigore, æſtivis ardore, commoto aëre ventorum flagellis infeſtantur. Quibus hominibus ut corpora robuſta, laboribus aſſueta, membra articulata, cutis hiſpida; ita animus eſt pertinax, iracundus, ferox. Vt enim arbores in obſcuro quietoque poſitæ loco humiles ſunt & infirmæ; ad ventos expoſitæ feliciſſimo incremento in altum exeunt, & ſolido robore obfirmantur: ut corpora umbratili adſueta vitæ tenues vires habent; quæ in ſole ac pulvere exercentur, ferunt ætatem: Ita in apertis locis flagellati acrius à ventis, & indurati auris homines ad ſuſtinendum laborem vires majores, ad explendas animorum cupiditates impetus habent à natura vehementiores.

res. Iidem, ad ventorum fugacium naturam, inquieti ſunt, mobiles, factioſi, novarum rerum appetentes. Tales ſunt obverſi Chinenſibus Iaponii: quos ut Typhonum; ita ingeniorum turbulentæ tempeſtates vehementiſſimè flagellant, homines robuſtis corporibus, aſperis moribus, neſcios pati quietem. Non alia Europæ regio magis ad ventorum patet ictus, quàm *Polonia*; Aquilonum ſævientium violentiâ, nullo ſylvarum montiumve repercuſsâ obſtaculo, liberum, ut in pelago rapiĕte, cœlum. Hinc illa Genti ingeniorum ſævitia morumque invenuſta aſperitas, & animorum, ut in turbido mari nautarum, perpetua jactatio. Eadem, temperatiore tamen cœlo, ex ventorum agitatione, in *Tauris Ponticæ Cherroneſi*, in *Thracibus*, *Narbonenſibus*, *Britannis*, *Pannoniis*, *Illyriis*, & noſtris in Belgicâ *Mattiacis*, & *Caucis Amiſianis*, irrequieti ingenii feritas notatur. Jactato corpore inquieta mens eſt. Neque quiſquam in turba & tumultu animo eſt compoſito: qui, ut æſtu maris navigia, cômmotione corporis fluctuat, & in diverſam facile partem diſtrahitur. Igitur Poëta cogitandis ſcribendiſque carminibus ſeceſſum & otia deeſſe ſibi queritur:

u *Ovid. Tr. Eleg. 1.*

[u] *Me mare, me venti, me fera jactat hyems.*

Fortè ideo *Delos* Inſula dubio quondam errãs pelago, poſtquam naſcenti Apollini incunabula

bula præstitit, firmis defixa radicibus stabili deinceps loco desedit.

Montes horrentibus asperè cautibus militem gignunt ad tractanda arma validum ac expeditum, ad ferendos castrorum labores obduratum, non deficientem itinerum molestiis, non metuentem truces hostium vultus, ex crebro ferarum venatu fundendi sanguinis audacia confirmata. Prævidit illam Martiæ strenuitatis indolem in [x] *Ephraimo Iosephi sobole*, montium Palæstinorum destinato divinitus accolâ, pater *Iacobus*, *Isaschare* in molli camporum planitie ad Asininæ servitutis conditionem dejiciendo. Ita *Britanni* ubi in Cambriæ juga, & horridum Pictorum ad Septentrionem cœlum exurgunt, feroci cum suis montibus ingenio efferuntur: in felicibus *Angliæ* pascuis, & pulcherrima camporum arborumque viriditate, retuso impetu, languescũt, vulgi animis in luxum segnitiemque resolutis. Nõ minus in editis Alpium jugis ad virtutem obdurata *Helvetiorum* natio inclytam armis gloriam & libertatem paravit: quam adhuc pari fortitudine adversus vim externam defendit. Quo bellici spiritus impetu in Africa *Atlantis*, in Persia *Tauri*, in Hircania *Coroni*, in Cilicia *Amani*, in Arabia *Petrarum*, in Græcia *Acroceraunii*, in Italia *Apennini*, in Germania *Hercyniorum* jugorum accolæ campestres, regionum

Montuosarum.

x Gen. 49.

gionum ſuarum gentiles plurimum adhuc præſtant; duri,agreſtes;ut corpore robuſti, ita vita longævi.

Mariti-marum. A *Marinæ quoque afflatu auræ*, denſeſcente cũ ſanguine ſpiritu, morum quædam eſt aſperitas & ferocia, periculorum atque imperii, ad trucis indolem Elementi, contemptrix. Deteſtatur eam in *Batavis* & *Friſiis* Hiſpaniarum Rex, tanto ſpiritu utriuſque ſolis divitias fatigantem. Sæpè tamen illa molleſcit & effœminatur, ſive peregrinitatis conſortio; ſive rerum, quas maritimi ſuppeditant aditus, copia luxuriæ proritatrice: Inſularibus etiam ab infido Mari mobilitatis & perfidiæ adſperſa labe. Igitur veteres [y] *Belgæ* & *Germani*, cùm externo luxu Gentem ſuam effœminari nollent, mercatores portubus ſuis prohibuerunt. Quo animo *Scythæ* mores merceſque externas, quibus corrumpi ſua frugalitas poſſet, rejecerunt: [z] occiſo *Anacharſi* philoſopho, quòd Græco more Cybelis ſacra faceret. Eodem olim fuit in odio depravatrix illa patriorum rituum peregrinitas apud [a] *Epidaurios*, [b] *Carthaginenſes*, [c] *Laconas*: quorum extremi adoleſcentem aliquãdo increpuerunt, *quod viam noſſet, quæ duceret in Pylam.*

y *Avent. l.1. Ann. Boj.*

z *Fulg. l.2.c.1.*

a *Ariſt. 2. Pol.*

b *Alex. l.4.c.10.*

c *Plut in Luc.*

Paluſtrium. In *Vdo autem paluſtrique patriæ ſolo*: ut corpora hominum ampla, fluida, infirma; ita ingenia proferuntur obtuſa, fluxæ memoriæ, tardi ſermo-

ſermones atq; inceſſus, deſidia, ſomnotentia, ad bonas malaſque artes rudis ſimplicitas. Humidus ab effumante uligine aër in cerebrum ſe inſinuat, atque illud abundanti madore perfundit: qui in ſtagnantem deſciſcens pituitam quando liqueſcit & deſtillat, ſubditas corporis inundat partes, nervos debilitat, ſenſus obtundit, ingenium hebetat, vim animi pariter ac corporis labefactat. Atque ut ædes ſtillicidiis ventiſque perviæ, atque imbribus expoſitæ incommodum præſtant hoſpitium: Ita caput à ſtomacho & aëre combibitis vaporibus fluctuans, & nimia humiditate imbutum, tum corporis infirmam valetudinem conſtituit; tum vires animi corrumpit. Idem herbis atque arboribus evenire videmus, quæ in paluſtri ſolo citius quidem & procerius adoleſcunt, multiſque cum ſtolonibus, & agnato frutice ac propagine humo proſiliunt; ſed neque vim illis, quæ in arentibus creſcunt locis, parem habent, neque ætatem tam longam ferunt. Hinc mordacibus jocantium dicteriis *Batava auris*, & *Friſica ſtupiditas* innotuit: non ita tamen retuſa ingenii acie, ut Hiſpanicæ calliditatis artes nequeant cavere.

Sed *ſcatens fluminibus terra*, ductuque aquarum dulcium irrigata, molles minuſque aſpero ingenio homines producit. Talis eſt *Aegyptus*, ebullienti quotannis Nilo inundata.

Humectarum.
Arentiũ.

data. Talis *India* torrentium aquarum fluxione, quaqua patet, perfuſa: quæ ortæ ex Caucaſo in Gangem & Indum deſinunt. Talis *China*, & illi inter Tigris & Euphratis fluenta *Edenis* incolæ, Aſſyrii, Chaldæi, Babylonii, ſolo animiſque hominum dulcium aquarum irrigatione ad omnem vitæ cultum emollitis. Alia in *ſiticuloſis aridiſque Regionibus* hominum naſcuntur ingenia, ferveſcente humoris defectu ſanguine ad graves iras morumque aſperitatem obdurata: Quibus idem, quod ſub flammeo Leonis & Canicularum ſidere hominibus evenit: quæ cùm propinqui ſolis ictæ incenſæque radiis exardeſcunt, terrę corporumque exucto humore, fructus pariter & homines penetrabili excoctos uredine inflammāt.

Corporū habitus ex patriæ indole. Non adeo quiſque mirabitur ad natalis ſoli & cœli naturam mores animoſque hominum conformari, qui Terræ matris *in fingendo corporum habitu* vim atque induſtriam perpenderit. Hinc nunquam eſt, quod alibi nani coactæque brevitatis homines; alibi in ſtaturoſæ granditatis molem excreſcunt. Eſt, ubi gutturoſi ſtrumiſque deformati; ubi aut ſimarum narium, aut pandorum crurum, aut cadaveroſi vultus turpitudo adnaſcitur. Aliis ex attracto terræ ſpiritu vox eſt rauca, gravis, aſpera; aliis ſubmiſſa, tenuis, muliebris: illic interiores meatus calor aperit, iſtic frigus adſtringit.

Ab

Ab Aſiatica temperie corpora ſunt frigida, ſicca, dura, glabra, colore fuſca, mole parva, robore infirma, capillo criſpante, oculis nigricantibus. Septentrio calida facit, humida, piloſa, candidi coloris, eximii roboris, amplæ ſtaturæ, fluidæ carnis, ſubflavi capilli, cæſiis oculis.

Idem eſt Patriæ Terræ cœlique *in generandis Mineralibus* ingenium: pro cujus habitu & natura alibi auri, æris, argenti glebæ eruuntur; aliubi varia marmorum, cretarum, colorum, ſoboles fructificat; alicubi ad libidinis æſtimationem gemmæ lapideſcũt. Non nuſquam in intimis terræ finibus ſal, alumen, ſulphur, gypſum elaboratur. Eſt ubi ex penetralibus viſceribus ſaxei rigoris carbones foco nutriendo effodiuntur. Friſiæ noſtræ paludes bituminoſo ceſpite ligni inopiam compenſant: ſive ille convulſis proſtratiſque priſco aquarum Diluvio ſylvis ex arborum truncis adolevit, ſive, quod magis reor, molientis Naturæ artificio terræque natalis indole in hominum uſum concrevit. *Mineralia.*

Non minus *ſuam cuique Herbæ atque Arbori* Natura patriam attribuit, in qua ſpecioſius atque uberius effloreſcit. *Stirpes.*

[d] *Nec vero terræ ferre omnes omnia poſſunt:*
Fluminibus ſalices, craßiſque paludibus alni
Naſcuntur ſteriles, ſaxoſis montibus orni,

d *Georg.* 2.

Littora myrtetis lætißima: denique apertos
Bacchus amat colles, Aquilonem & frigora taxi.
Divisæ arboribus patriæ: sola India nigrum
Fert ebenum, solis est thurea virga Sabæis.

Sua certè singulæ stirpes habent natalia; quorum hospitiis & nutrimento mirificè delectantur, raro sine virium suarum vigorisque defectu in peregrinum locum translatæ. Aliæ in umbrosis sitæ vallibus solarium radiorum ictus vehementius extimescunt. Nonnullæ soli expositæ adverso, in apricis montium jugis volunt habitare. Quædam campestri planitie, aut sabulosis arenis, aut paludum uligine, aut fluminum humectantium propinquitate impensius afficiuntur.

e Georg. 1. [e] *Hîc segetes; illic veniunt felicius uvæ;*
Arborei fœtus alibi, atque injussa virescunt
Gramina: nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittat ebur, molles sua thura Sabæi,
Et Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea?

Atque omnino ut se cœli status & natura soli habet: ita aut uberius, aut tenuius humo prosiliunt: aliæ humili caule, & tristi specie fœdum squalorem referunt; aliæ in spectabilem magnitudinem assurgunt, & jucundo adspectu contuentium oculis adblandiuntur. Et ut sub novercali educatione subtracto alimento pueri gracilescunt, & luridum deflorescente san-

ſanguine colorem trahunt: Ita in jejuno ſterilique ſolo herbæ, præbito parciter nutrimento, ſquallent & elangueſcunt: in pingui & fœcundo viſenda granditate ſpecieque luxuriāt. Hinc ille in multis ſtolonum fruticumque adnaſcentium locuples proventus, aut miſeranda propaginum orbitas: illa ſaturata viriditas, aut lacteus pallor: illa flammea purpura, aut diluta rubedo: ille ſcintillans candor, aut hebes albedo: ille auriginoſus crocatuſq; fulgor, aut lutea fuligo: illa virium efficacia, aut languida imbecillitas: illa odorum fragrantia, aut fœditas faſtidioſa. Quid, quod in alio depactæ ſolo, ſub peregrino cœlo, ab adgenita plerumque indole deſciſcant, & in aliam ſpeciem naturamque vertantur. Quam hoc in ſylveſtribus plantis eſt manifeſtum, quæ in commodum devectæ locum, horreſcentes ſentium aculeos exuunt, depoſitaque naturæ feritate ad melioris cœli terræque temperiem mitigantur! Quam in arbuteis neglectæ culturæ fœtibus, qui auram glebamque ſortiti meliorem temporis tractu miteſcunt, & fructus ſapidos edunt! Quàm in Tabaco, in Pontica radice, in pipere, in cardamomo, in aliis denique æſtus tranſmarini fruticibus, qui noſtro expoſiti cœlo inſitas ingenii ſui vires immutant, & peregrinæ terræ ſucco elangueſcūt! Ita pomis & pyris à marinorum fluctuum adſpergi-

ſpergine ſalſudo: ab exhalante paludum vapore uliginoſa viroſitas adnaſcitur. Ita in uberioris glebæ hortis floſculi multiplici foliorum ambitu orbiculati proveniunt: qui alibi raris ordinibus tenuique contextu gignuntur. Et quanquam artificum induſtria, & ſolertis curæ mangonium in variandis ornandiſque plantis plurimum valeat; terræ tamen cœlique potiſſima vis eſt ut aliubi nitidius, grandius, ſalubrius adoleſcant. Teſtatur hoc de Perſicis pomis *Columella*:

----- quæ barbara Perſis
Miſerat, ut fama eſt, patriis armata venenis.
At nunc expoſiti parvo diſcrimine lethi
Ambroſios præbent ſuccos, oblita nocendi.

Tranſlatio mutat mores. Commemoratio migrantis à patrio ſolo Perſicæ iterum mihi Hominum mores & ingenia in memoriam revocat: quæ, ut Plantæ, aliam ſub peregrino ſole faciem induunt, naturæ genitalis indole diuturnitate temporis commutatâ. Quid *Celtarum* olim populis erat durius, efferatius, bellicoſius? At illi Aſiatico emolliti cœlo, vix aliquâ parte, cum Romanorum oppugnarentur armis, majorum ſuorum virtuti reſponderunt. Quanta armorum gloria floruerunt *Longobardi*, *Normanni*, *Gothi*? At illi clementiore uſi cœlo in Gallorum, Italorum, Hiſpanorum naturam deſciverunt. Ita in Battavia *Catti*, in Britannia *Saxones*, in Gal-

lia

lia *Britanni*, in Ionia *Græci*, in Siria *Turcæ*, in Palęstina *Iſraelitæ*, degenerante paulatim indole, in alios denique mores tranſierunt.

Cap. XVII.

De Siderum influxu.

EQuidem certum eſt, *in patrio cœlo ſoloque prima virtutum vitiorumque eſſe incunabula*: pro quorum habitu & conditione Homo in diverſa ſtudia deducitur, formatoque intus ingenio, aut odit aliquid vehementius, aut amat impenſius. In natali patriæ telluris indole ac ſpiritu magnum quidem eſt ad formandos animi mores momentum. A fertili glebâ luxus plerumque atque inertia redundat: Sterilis & jejuna ad bonarum artium diſciplinas & virtutem exercendam magno multis fuit hortamento. Ventorum planis in locis violentia exaſperat ingenia, & perpetuo jactata motu ad ſubitos furenteſque cupiditatum impetus detorquet. In horrentibus Montium jugis ad tolerandos labores robur & patientia obfirmatur. Marinæ afflatus auræ, denſeſcente ſanguine forociam ingenerat liberiore licentia gaudentem. In paluſtri ſolo ingenia obtuſa, fluxæque fragilitatis corpora & memoriæ proveniunt. In irriguo, ad culturam humanitatis facilia; in ſiticuloſo torridoque ex ſte-

rili æſtu, promptus in iracundiam homo naſcitur.

Non minus Cœli Borealis Auſtraliſq; conditio, & Calorum Frigorumq; ſtatus & tẽperatio, in conformando animi habitu, vim magnam obtinet. Qui exuſtas à Sole mundi regiones incolunt, ita in extima corporum parte caloris torrentur exuberantia, ut intima viſcerum penetralia frigore obrigeſcãt. Hinc ad metum mollitiemque dejecti ſervitutem placidis cervicibus admittunt, & dominantium imperia non inviti patiuntur. Laxatis enim meatibus, & hiante æſtuoſi ſideris propinquitate corpore, calor ille virtutis focus diſſipatur. At qui ad Borealem Mundi plagam habitant, & pruinis geluque torpentia frequentant, præcipitem magis ad ſubeunda pericula audaciam habent. Crudi non patientes ſunt imperii: manu, quàm ingenio; opere, quam conſilio promptiores. Ad extremas Frigorum Æſtuumque rejecti metas animis pariter ac corporibus torpent, virtutum egregiarum fomento utrinque à violentiore aëre depaſto. Qui Medianas mundi partes, ad congruum caloris frigoriſque revocatas habitum, terunt, gerendis fortiter rebus, parandis & tenendis feliciter imperiis, capiendis bonarum artium diſciplinis, ingenio præcipuè valent.

Cœlo

Cœlo natali cognata ſunt *Sidera*; quorum vis influxuſque magnum quoque in impellendis hominum animis formandiſque moribus adfert momentum. Quam in concitanda bile flava ingenium ſuum efficaciter Mars exercet! Vt melancholiam Saturnus crudeliter exaſperat! Quantum pituitæ à Lunâ incrementum accedit! Quale in ſanguinem Sol & Jupiter imperium tenet! Quid non cæterorum ſiderum luces in humanum corpus ejuſque temperamentum juris habent! Quam primum tenera infantium corpuſcula ex alvi maternæ latebris in natalem lucem prorepunt, cum aëre cœli viribus imbuto ſimul profectas à ſtellis qualitates hauriunt, quæ per univerſum diffuſæ corpus, permixtæque humoribus ac ſpiritibus, cum ipſa membrorum compage coaleſcunt, & cœleſti vi corpus animant. Iſta moderatio temperatioque corporis, redundante in animum domicilii ſui affectione, hominem ad certas cupiditates vehementiſſimè inclinat. Hinc ad diverſos morum, ſtudiorum, affectuum impetus, propenſio commotiòque animi cietur.

Atque ita quidem corpori & principibus vitæ membris, Cordi Cerebroque innnexa & devincta eſt Anima rationalis, ut ſine illorum miniſterio atque adminiculo, nihil neque ſapere rectè, neque velle benè poſſit. Mens ſanè *Corporis & Mentis cognatio.*

nihil

nihil intelligit eorum, quæ foris aguntur, nisi ex sensuum relatione: quorum exteriores, quicquid organorum ministerio apprehendunt, per nervos ad cerebrum transmittunt, ubi sano Intelligentiæ judicio examinantur. Quarum rerum si improbum fuerit hallucinante sensu judicium, Ratio à veritatis abducta scopo in graves errores impingit. Errant vero sensus, & mendacem objectorum faciũt relationem, si cerebrum male sit affectum; cujus naturæ atque indoli tota vis sensuum respondet. Corrupto Mentis judicio in eosdem trahitur errores voluntas: quæ ductum atque imperium sequi plerumque Rationis solet. Ipsa verò etiam voluntas à corde afficitur: cui occulto consensu & societate quadam muneris est devincta. Si cor bene temperatum & justa moderataq; primarum qualitatum proportione concinnatum fuerit, subditis Rationi affectibus, voluntatem ad honestatis amorem & cupiditatem exstimulat. Secus indomitarum Affectionum impetu adversus bonæ Mentis imperium consurgit, & voluntati vim facit: quæ turbulento illius concitata motu ad improbas præceps cupiditates abripitur, extortoque Rationis sceptro, in omnem effusæ cupiditatem ruit. Cerebri quoque magna hîc vis est: quod Cordi multis fœderibus vinculisque conjungitur, utroque membro & par-

tium

tium societate ac cohæsione, & officiorum usu, per mutuas sese operas afficiente. Respondet enim Cerebri phantasiis Cordis motus, & in similes cogitationum trahitur affectus: non aliter, ut Voluntas, Mentis sequitur authoritatem, illiusque judicio actiones suas temperat. Igitur ut Cor & Cerebrum constituta sunt; ita Mentis ac Voluntatis sese habet actio, hominique cum principum membrorum habitu ad vitia & virtutes propensio adgeneratur. Illorum vero, ut corporis totius, moderatio est à Cœlo ac Astris: quorum positu & dispositione ut variè dissimiliterque corporis membra temperantur; ita ingenia diversos habitus adsciscunt, animi indole ad membrorum rationem, & temperationem crasinque totius conformatâ. Vnde adeo est, quod iisdem nati parentibus dissimili astrorum coustitutione, adeo sæpe discrepent, ut ne minimâ quidem sanguinis cognatione juncti videantur.

Non magis hoc in singulis hominibus, quã in Regionibus universis est manifestum: quæ *Stellæ Regionum præsides.* suis subjectæ sideribus ex illorum indole varie afficiuntur, moresque suos ad stellas, quarum attribuuntur Dominio, referunt. Namque ut lumine nitent diverso sidera, neque eodem modo in omnem Regionem radios suos projiciunt: ita vario sese impetu incitant, & dissimiles

miles in terram vires expromunt. Alii quidem tractus à medio Cœli ſpatio, in quo planetæ curſus ſuos faciunt, longiſſimè abſunt. Alii ſolares radios directiſſima vibratos jaculatione verticibus excipiunt, ex regeſtione reſultuque caloris uſti vehementius. Quaſdam regiones recto brevique luminis trajectu ſtellæ feriunt, quaſdam obliqua affulſione perſtringunt, & velut tranſcurſu prætervectæ extrema tantum ambitus convexi lambunt. Fulget Sol, rutilat Mars, Iupiter puro lumine ſplendeſcit, Saturnus livet, Venus albicat, Mercurius micat, flammeam Lampadias, fulgidam Sirius lucem oſtentat. Pro diverſo radiorum in terras vibratu, & varietate luminis diversè regiones afficiuntur, unde varii diſpareſque ingeniorum habitus efformantur. Ita Germanos Leonis & Sagittarii dominatio ad ſubeunda pericula, & ſubeundam fortiter armorum aciem confirmat. Cor Scorpionis Hiſpanos, & Galliæ Britannos Normannoſque ad malignas fraudium artes exſtimulat. Chaldæos ad humanitatis cultum cœlique obſervationem Sol & Leo cõponit. Iudæos & Syros Aries, adſcito in ſocietatem Scorpione, malignis fraudium artibus, & imbecillis animi ſuperſtitione imbuit. Africa Scorpioni, Piſcibus & Cancro; Aſia Auſtralis Tauro, Virgini & Capricorno; Orientalis Aquario; Meridionalis Capricorno,

no; Scythia Libræ; Europa Arieti & Leoni obligata, siderum præsidentium naturæ ac dominio magna ex parte respondet.

Non possem assentiri hac in parte Astrologis, nisi mihi ita manifesta & mirabilis in Herbas, in Gemmas, in Animantes dominatio ac imperium religionem objiceret, cœli stellarumq; virtute rebus terra satis vivificâ radiorum sparsione impressâ. Solis virtute Crocus & Aurum recreatis spiritibus cor ad hilaritatem provocant. Solis virtute Carbunculus, in modum ardentis prunæ tralucens, clarum per tenebras lumen diffundit. Solis virtute Pæonia cerebrum reficit, mentis perturbationem sedat, nocturna ludibria atque incubos dissipat, comitialem morbum profligat. Solis virtute Zinsiber stomachum languentem corroborat; palma & laurus fulminum tempestates avertit; cedrus & fraxinus veneno adversantur; Aquila fulminum ictus cõtemnit; Leo & Gallus ingenti præ cæteris animantibus spiritu efferuntur. Soli debet Pantaurus, quod lapides ad se trahat: quod Hyacinthus à pestis contagio incolumitatẽ præstet; quod Chrysolithus nocturnos pavores & molesta insomnia dissolvat. Lunæ Mustela obnoxia, illa crescente, oculorum orbes explicat; decrescente contrahit. Scarabęi primo Lunę nascẽtis lumine in lucẽ & vitam prorepunt, fœtu inanimi 28 diebus

Stellarum vis in Herbas, Gemmas &c.

bus

bus, dum cursum suum sidus expleat, in terræ latebras retruso. Ad illius motum liquores in plantis & animantibus aut minuuntur, aut exuberant: maria ab imo impulsa effervescunt & insurgunt; aut represso diffluxu considunt & resorbentur: res denique omnes terrenæ ex illius vertigine, ortuque & obitu, admirando naturæ consensu, afficiuntur. A Venere habet Aëtites, ut alligata femini fœtum extrahat. A Iove Salvia, ut membris torpentibus vigorem restituat, & cerebrum nervosque firmet. Ab Vrsa minore Magnes, ut ferrum trahat. A Mercurio Achates, ut prudentiam & facundiam præstet, ac scorpionum ictibus medeatur: quod Sidus Canibus etiam, & Simiis, & Vulpibus singularem bestialis ingenii sagacitatem ac solertiam affundit. A Saturno Iaspis, ut protervas amantium libidines compescat. Medusæ caput indolem Adamanti & Artemisiæ impertit, quo vanos metus profliget, & animum confirmet. Pleiades Crystallo & Feniculo, quæ hebetem oculorum aciem collustret. Auriga Sapphiro & Menthæ, quæ gratiosos & acceptos efficiat. Cor Leonis Mastici & Chelidoniæ, quæ biliosos humores exhauriat. Cor Scorpionis Amethysto & Aristolochiæ, quæ formæ elegantiam animique hilaritatem conciliet. Hinc illa morum, ut mea quidem fert opinio, est varietas. Hinc in

adeò

adeò diverſas cupiditates & ſtudia, inclinantis naturæ propenſione, homines abripiuntur, cœlo ſoloque patrio arctiſſima cognatione cum ingeniis hominum conjuncto.

Vobis nunc, *Humaniſſimi Auditores*, gratias merito maximas ago, quod me his de rebus tenuiter dicentem benignè ſtudioſeque audiviſtis. Ego ut à patriæ ſolo & cœlo morum cauſas & indicia ſumpſi: ita alii, quando oportunum erit, aliis in rebus animi latentis veſtigia perſequentur.

CAPVT XVIII.

De varietate Ingeniorum ex Divino afflatu.

O Gratas auribus meis epulas! ô jucundum acroama; in quo audiendo majorem ego, quàm in præconio laudum ſuarum *Themiſtocles* cepi voluptatem! Ita me illa de natalis cœli ſolique indole diſſertatio recreavit; ita refecit ille liberaliſſimæ doctrinæ ſermo, & ingenua perfuſum voluptate largiter oblectavit! Exeat mihi tali in negotio ſolidus ſæpe dies: pro quo non in Alcinoi hortis verſari; non Muſico fidium vocumque concentu aures demulcere; non Deorum epulis accũbere, ac nectareis paſci dapibus cupiam. Equidem non paterer me ab erudito illo pulvere, aut *Antiſthenis* baculo, aut *Orbilii* ferulâ, aut diuturni temporis morâ propelli.

Neque tamen ego uni patriæ regionis Soli & Solo intimam animi indolem adſcribo. Altius illa repetenda mihi videntur: & *à largitore bonorum omnium* DEO, *& malorum fonte Diabolo, creſcentium vitiorum, & futuræ virtutis culturæ expectanda eſt.* Hæc mea eſt his de rebus ſententia: quam, niſi id moleſtum vobis fuerit, dum lentiore gradu domum imus, paulo uberius explicabo. Declinem⁹ verò hâc parum de publica via, ne illo ruentis turbæ ſtrepitu, & moleſta occurrẽtium ſalutatione interpellemur.

Ingeniorũ in ſingulis varietas. Vt multum in formandis hominum ingeniis natalis ille patriæ ſpiritus poteſt: ita vis ſæpe major illos agit, certiſque affectibus addicit; quæ ejuſdem terræ alumnos, eandem vitæ auram ſpiritumque trahentes, in diverſas cupiditates, & contraria voluntatum ſtudia deflectit. Si patriæ terræ Spiritus ſuam ſingulis naturam ingenerat, & pro adnata ſibi indole internos animi habitus morumque in hominibus ſpeciem efformat, dicite, amabo, cur tanta ingeniorum in eadem patria eſt varietas? Cur in eodem Solo nati, ab eodem ſole irrigati, ejuſdem terræ nutricis uberibus ſaginati, eadem vivificæ lucis aura paſti, tam diverſis animorum ſtudiis diſſentiunt? Cur in iiſdem mœnibus & parietibus eundem cœli aërem haurientes, ejuſdem ſtirpis ac ſanguinis cognatione devincti, tam variis affectibus

atque

atque ingeniis aguntur? Vt vultuum; ita mentium diverſos natura habitus, & quaſi lineamenta effinxit; quibus ſinguli tot jam per ſæcula homines, ſub eodem cœlo, in eadem domo ac familia, à ſe diſſenſerunt. Quot capita, tot hominum diverſa ingenia. Vt ſuum quiſque ſpiritum; ita indolem à Natura traxit peculiarem, certum virtutis vitiorumq; creſcentibus annis rudimentum.

Videas eadem intra mœnia alios omni in DEVM religionis pietate defungi, diligentem ſemper ſacris rebus operam dare, cœleſtem poteſtatem aſſiduis ſupplicationibus comprecari, majorum inſtituta & ritus ſanctè tueri, nullum inſolens verbum dicere, nullam profanæ rei curam & cogitationem admittere; alios nulla religione obſtringi, nullum DEO cultum tribuere, ſacra contemnere, cœlum infra res humanas ducere, in omni vita irreligioſæ profanitatis indolem profiteri. Invenias ejuſdem gentis ſtirpiſque alios ad conciliandas amicitias parandamque multorum gratiam impetu quodam animi vehementius ferri, familiaritates contrahere, ſtudia favoremque hominum ſpontaneis officiis mereri, & alterius quoque ſexus venuſtate impenſius delectatos in jucundæ triſtitiæ voluptate ludoque protervi amoris cupidiſſimè verſari; alios ſevero imperio omnem amicæ conſue-

tudinis dulcedinem prohibere, ſui immenſa fiducia gratiam benevolentium reſpuere, nullam benigni amoris ſuavitatem, nullum delicatæ voluptatis ſenſum admittere. Reperias, qui liquido defæcatoque animo jocis ſemper ſalibuſque diffluant, frontem in omni fortuna exporrectam gerant, lepidis verborum facetiis delectentur, contrahendi in nubem ſupercilii, & componendi ad ſeveram gravitatem vultus ignari. Qui caſtigatâ in triſtiorem prudentiam mente vix innocentem jocum ſuſtineant, ſuperbi alienæ vitæ cenſores, queruli de ſuorum temporum licentia, ad rigidæ virtutis regulam & priſcam religionem omnia exigentes. Aliquando tamen, aut nimia intentione fracti, aut potu liberaliore irrigati, emollito ſeveritatis rigore in immodicam licentiam ſolvuntur: cui dum vacant, revocata in animum religio admiſſæ voluptatis uſum damnat, & emancipatam pietatem arctioris diſciplinæ vinculis conſtringit. Reperias, qui nullis ſimulationum involucris animum tegant, nihil inteſtinæ cogitationis verſent, quod non ore vultuque ingenuo prodant, improviſis aperti conſiliis, ſyncerâ ſimplices fide, odia iraſque ad parandam fraudem abſcondere rudes. Qui arcano pondere ſenſus & libidinem animi premant, nihil niſi meditatè loquantur, nunquam niſi per longos cuniculos, quaſi ob-

ſeſſis

ſeſſis inconſpectos, mentem explicent, taciti retruſis intra ſe cogitationibus; ſed in profundam abyſſum & ingentes latebras deſidente tranquillitate. Sunt, quos virilis animi altitudo, & erectæ virtutis indoles ab omni deſpectarum rerum vilitate abducit, impatientes humilis obſequii, negligentes ſordidi quęſtus, à depreſſæ mentis anguſtia & vulgari dejectione alieni. Quos plebeia dejecti animi parvitas nullam præclaræ rei cogitationem ſuſcipere permittit, dummodo libidinem ſuam expleant, nihil ſe indignum arbitrantes. Sunt, qui faſtuoſo ſupercilio & elato ſpiritu graviſſimè vehementiſſimeque ſua bona jactitent, omnes alios deſpiciant, hominem præ ſe neminem putent, ſibi benè geſtæ rei laudem ſolis vendicent, aliorum miſeriis ſuperbè illudant, nullo infelicium incommodo moveantur. Qui humano modeſtoque ingenio honeſtum in verbis ac factis pudorem præ ſe ferant, non quenquam præ ſe contemnant, non alienæ laudi obtrectent, ad miſericordiam allici faciles, in audiendis & admittendis hominibus benigni. Sunt, qui ad audendum projecti præcipiti impetu quidvis aggrediantur, non periculi metu, non ancipitis terrore caſus ſuſpenſi. Qui de dubia fortunæ aleâ ſoliciti timidè omnia cunctanterque adminiſtrant, neque quicquam niſi advocato in conſilium

reductoque in se ad meditandum animo incipiunt, utiles Reip. si non tam declinent ignobili metu suum periculum, quàm salubri providentia inconsideratam temeritatem coërcent.

Et ne in bonis literis eodem homines ingenio versari putemus, offeruntur inter illos, qui subito facilique impetu, & natâ quasi sub manu facundiâ, de omni argumento copiosè atque expeditè, verborum fluido torrente loquantur; non eo virilis sapientiæ suffulti robore, quod, si quid literis consignent, severioris judicii aciem sustinere, & famam incolumi honore ad posteros possit deducere. Qui spōtaneæ Eloquentiæ destituti viribus, ut visendâ sese ostentantis sapientiæ specie minus effulgent; ita retrusâ intus delitescentis opulentiæ copiâ, precium apud consideratos judices magnum habent. Existunt, qui domesticis ingenii freti opibus otiose semper cessant, vacuoque animo securæ quieti indulgent. Qui naturæ damna singulari industriâ rependunt, neque unquam solutum liberumque tempus patientes, nunquam in opere cessantes, agendo vigilandoque ingeniis nativæ dignitatis palmam gloriæ præripiunt.

f *Liv.D.1.l.2.* g *Liv.D.1.l.5.* Igitur eadem in Rep. [f] *Coriolanus* malè de se merentem patriam armis oppugnavit; [g] *Camillus* Gallorum oppugnatam armis defendit.

Flami-

[h] *Flaminius* Prusiam Regem ad occidendum [h] *Liv.*
per scelus hospitem Hannibalem impulit; *Fa-* *D.4.l.9.*
bricius Pyrrhum hostem de cavendo veneno
præmonuit. [i] *Manlius* filium contra imperium [i] *Liv. D.1.l.9.*
feliciter pugnantē occidit; [k] *Hortensius* & *Ful-* [k] *Val 5. c.7.*
vius suspectæ impietatis nequitiæque filios ju- [l] *Liv.*
dicio liberarunt. [l] *Fabius* cunctando; [m] *Mar-* *D.3.l.2.* [m] *Liv.*
cellus pugnando Pœnos fregit. [n] *Cæsar* dando, *D.3.l.7.*
sublevando, miserendo; *Cato* nihil ignoscen- [n] *Sall. Cat.*
do, improbitatem criminando, severe omnia
censendo gloriam paravit. In eisdem castris
Achilles certando; *Nestor* consulendo rem ges-
sit: *Ajax* manu promptus; Vlysses ad fraudem [o] *L. De-*
callidus: [o] *Hannibal* vincere; *Maharbal* victoriis *cad.3 l.2.*
uti potior erat. In eadem domo àc sanguine
[p] *Iacobus* ad pietatem ac modestiam; *Esaus* ad [p] *Gen. 25.*
immanitatem ac ferociam indolem habuit.
[q] *Philippus* pater versuta fallendi ratione; *Ale-* [q] *Iustinus l. 11.*
xander filius collatis aperto Marte viribus opes
& imperium quæsivit. [r] *Brutus* pro libertate; [r] *Liv. D.1.l.2.*
Filii ejus pro regia dominatione sanguinem
effuderunt. [s] *Aruns Tarquinius* miti moderato- [s] *Liv.*
que; *Lucius frater* inquieto superboque ingenio *D.1.l 1.*
eminuit. Quæ patriæ indoles [t] *Castorem* & [t] *Hor. Sat.1.*
Pollucem ovo prognatos eodem in diversa stu-
dia rapuit: illum equis; istum luctâ pugnisque
delectatum? Quæ gemellos [u] *Eurysthenem* & [u] *Herod. l.6.*
Proclem, Aristodemi Spartiatarum R. filios,
per omne vitæ tempus odio internecino dis-

 tractos,

tractos, in ſeram poſteritatem contentione
x *Plut. in Art.* propagatâ? Quæ [x] *Cyrum & Artaxerxem*, Darii
ex Pariſatide FF; quorum ille acri violentoq;
ingenio; alter molli & manſueto, viribus in
mutuam perniciem conſertis, depugnantes?
y *Plut. in Gr.* Quàm diſſimili apud Romanos ingenio fue-
z *Sueton.* re [y] *Gracchi* fratres; [z] *Titus & Domitianus*, Veſ-
a *Cuſpin.* paſiani FF; [a] *Marcus Antoninus* Philoſophus, &
b *Sab. l. 5 En. 7.* L. *Aurelius Verus Commodus*; [b] *Caracalla & Geta*,
c *Cuſpin.* Severi; [c] *Numerianus & Carinus*, Cari; [d] *Gallus*
d *Cuſpin.* & *Iulianus*, Conſtantii; [e] *Valentinianus & Valens*:
e *Sigon l. 7. Oc.* Apud Longobardos [f] *Rachis & Aiſtulphus*: A-
f *Platina.* g *Regino l. 1.* pud Gallos [g] *Sigebertus & Clodoveus*, Dagoberti;
h *Aemil. l. 2.* [h] *Carolomannus, Pipinus, Aegidius, Gripho*, Caroli
i *Cuſpin.* Martelli: Apud Germanos [i] *Sigiſmundus &*
VVenceslaus Caroli IV. Filii! Quæ in hac fra-
terni ſanguinis communione ad variandam
indolem Patriæ ſunt partes? Quæ Cœli vis,
tam germanæ cognationis pectora in tam
diſſimiles cupiditates impetu ingeniorum ad-
nato diſtraxit? In eodem homine diſpares ſunt
k *Rom. 7.* mores, [k] aliò membrorum, aliò mentis tra-
hente lege; ut victa ſæpe improba cupiditate
pietas ſuccumbat, & contra rationis conſili-
um ſuaſumq; bonæ mentis maleficium com-
mittatur. Quæ verò in hac morum diſparitate
natalis terræ vis eſt? Cur ejuſdem patriæ aurâ
paſti, ejuſdem hoſpitii domeſtica familiarita-
te conjuncti, ex eodem utero geniti, ab eadem
ſtirpe

ſtirpe ac ſanguine propagati, in tam diverſas animorum ſpecies efformantur; ſi à natali tantum ſolo & cœlo virtutum vitiorumque indoles homini adgeneratur!

Eſt verò etiam, eſt profectò major quędam vis, quæ virtutum & vitiorum ſemina in hominum animos effundit: non à ſolo tantum patrio adgenerata; ſed à DEO quoque, & *Diabolo* excepta. Ille princeps authorque eſt bonorum omnium; iſte ſtirps & radix omnium execrabilis improbitatum. DEVS eſt, qui decente noſtros animos motu concitat, eoſque ad virtutis pulchritudinem & honeſtatis decus accendit. DEVS eſt, [l] qui mortalium corda inclinat, ut injunctarum *legum orbitam perſequantur*. DEVS eſt ille luminum pater, [m] *à quo omnis donorũ perfectio proficiſcitur: nihil* [n] *habẽte homine præſtans & eximium, niſi à cœlo ſubminiſtretur*. DEVS eſt, qui domeſticis ſuis *Spiritum* [o] *largitur virtutis, dilectionis, ſobrietatis*. Illius Spiritus hominum mentes ad priſcæ integritatis rectitudinem inſtaurat, fidem ac credulitatem verbo DEI fultam inſerit, uberrimos virtutum proventus generat, [p] *omnia ipſe unus idemque operatur, ſuas ſingulis dotes, prout vult, admenſus*. Igitur pii [q] *templa dicuntur* DEI: [r] *in quibus ſacer ille Spiritus habitat*, defixoq; quaſi domicilio præſtantes virtutum functiones exercet, [ſ] *charitatem, gaudiũ, pacẽ, patientiã, bonitatẽ, benignitatẽ operatur*.

Virtus à Deo.

l 1. Reg. 8.58.
m Iac. 1.17.
n 1. Cor. 4.7.
o 2. Tim. 1.7.
p 1. Cor. 12.11.
q 1. Cor. 3.16.
r Rom. 8.9.
ſ Gal. 5.22.

t Rom. 8.15. Hic est Spiritus ille [t] *adoptionis*, ille [u] *gratiæ*, ille
u Heb. 10.29. [x] *sanctificationis*, ille [y] *veritatis*, qui [z] *electos docet*,
x Rom. 1.4. qui [a] *vivificat*, qui humanarum mentium inno-
y Ioan. 15.26. vator suo ductu ac moderatione cupiditates
z Ioan. 14.26. rationi obnitentes compescit, & humani cor-
a Ioan. 6.63. poris spiritus regit ac in officio continet, ne ferocius exultantes tumultuentur, & contra bonæ mentis imperium rebellent.

Geniorum vis in formandis moribus. Principi DEO suam in impellendis hominum animis *Genii* operam præstant: qui corpus mentemque penetrantes, pro diversa suæ naturæ indole, in varias hominem cupiditates rapiunt. Neque aliter ut auræ halitusque graves insinuati per patulos meatus corpori variè illud afficiunt, & salutarem ipsi, aut noxium valetudinis habitum impertiunt: Ita Geniales illæ animæ latenter in hominem irrepunt, eumque aut ad recta & honesta quæque instigant; aut ad improbitatem, ad de-
b Eph. 6.12. decus, ad vetitos vitiorum actus solicitant. Quod enim scelus [b] *spirituales illæ Nequitiæ* in
c 2. Cor. 4.4. homine non operantur? Vt DEVS ille hujus sæculi [c] *excæcat infidelium mentes, ne ab Euangelii luce irradientur*! Quàm magna humani generis
d 2. Tim. 2.26. multitudo Diaboli laqueis [d] ad voluntatem il-
e Gen. 3. lius captiva tenetur! Ille [e] primum nostræ stirpis parentem suis circumventum insidiis in
f 1. Reg. 22.22. pestiferum errorem pertraxit. Ille per mendaces oraculorum suorum prophetas [f] *Achabum*

ad exe-

ad execrabilem impietatem ſeduxit. Ille [g] *Iobum* miris vexatum modis ad dejiciẽdum turpiter animum inſtigavit. Ille [h] *Davidem* ad cenſendum arroganter populum impulit. Ille [i] *Iudæ* cor ingreſſus ad prodendum præceptorem Chriſtum facem inſano exitialem ſubdidit. Neque puduit quidem illum nequitiæ architectum [k] *Chriſto Domino* tentationum arietes admovere, atque ambitione, gulâ, regnandi cupiditate, gloriæque inanis captatione oppugnare. Sed impar invicto congreſſus es Heroi Dæmon. Vtinam verò Homo tuas nocendi artes felicius evitare poſſet, dum omnes tentas exploraſque aditus, ſi qua per nativam corporis indolem incautum opprimere, ac in perniciem vocare poſſes. Igitur ſynceri ſanguinis copiâ redundantes ſæpe ad luxum, ad laſciviam, ad ebrietatem, ad probroſas libidines & illicitos amores deduxiſti. Bilioſos ad præcipitem iram, ad acerbas contentiones, ad cruentas pugnas, ad civiles ſeditiones & tumultus provocaſti. Melancholicos ad invidentiam, odium, indignationem, fraudes, diffidentiam exſtimulaſti. Pituitoſos ad turpem ignaviam, incuriam, munerum virtutumque omnium neglectum incitaſti. Non aliter ac Poëtarum illæ Sirenes dulci allectos cantu viatores in brutas pecudes convertebant: ita tu in perniciem ſemper hominum excubas, atque

g *Iob.* 2.
h 1. *Paral.* 21. 1.
i *Luc.* 22. 3.
k *Mat.* 4.

atque irretitos restrictosque tuis laqueis, abolitâ DEI Creatoris imagine, in monstrosæ turpitudinis portenta deformas. Ex hoc principio Homo, præter soli & cœli natalis indolem, aut ad virtutem bonosque mores, aut ad nequitiam propendet, ab istius auræ afflatu salubrem noxiamve animam tracturus.

Astrorũ nullũ jus in mentes.

Astra magnam profectò in formanda inferioris Mundi naturâ potestatem habent, & vibrata radiorum sparsione maria terrasque afficiunt, aërem vario lumine irrigant, in stirpes & herbas jus & dominationem à supremo opifice vicariam habent. Etiam in animantes & humana corpora vim manifestam exercent: quorum humores valida lucis jaculatione ac ictu concitant & moderantur, valetudinem membrorum temperant, in ciendis affectibus efficacem sæpe operam adhibent. Vultis potestatis regiæ in hominum mẽtes vim illis tribuere? Non admitto. Vultis nequitiarum virtutumque proventum ad genitales siderum positus, & affulsionem nativæ lucis referre? Non concedo. Mentes à concretione mortali solutæ liberæque, solo DEI Spiritu, unde genus ducunt, impelluntur. Quodnam esset illis cum astris commercium? Quam cœlestis convexi lux in animum hominis, unius DEI obnoxium imperio, jus ac potestatẽ haberet? Eximiæ virtutis indoles DEI creato-

creatoris gratiâ effingitur, diſciplinâ expolitur, uſu atq; exercitatione confirmatur. Quanam illa cum ſiderum radiis ſocietate conjungeretur? Quam liberæ hominum voluntati benè maleve agendi neceſſitatem aſtra imponerent? Affulſit [l] *Abeli* non aſtrum benignius; ſed ingenium melius: non fatali ſiderum luce innatum; ſed divina largitate datum: non à cœlo affuſum, hauſtum, arreptum; ſed Dei munere traditum, inſtitutione factum, induſtria corroboratum. Quòd [m] *Petrus* Chriſtum Dei filium profiteretur, non ſiderum influxui; ſed cæleſtis revelationi patris acceptum tulit. Quòd contempta piſcatorum & paſtorum turba Euangelium admitteret; proceres populi repudiarent; non à propitio malignove ſtellarum affulſu; ſed à Dei patris erat voluntate: [n] qui *ſalutis myſteria magnis abſcondita, parvulis revelabat*. Quòd [o] *Eſaum* Devs à tenero ungue averſaretur; *Iacobū* diligeret: quod [p] *Iſaacus* Devm religiosè coleret; *Iſmael* effuſę frœnū licentiæ permitteret: quòd nobis obtinendæ ſalutis ratio innoteſceret; majoribus fœda ſuperſtitione illigatis: non diverſæ cœleſtium luminum irrigationi; ſed divinæ gratiæ propenſioni debetur. *Illa quorum* [q] *vult, miſereſcit. Illa dat* [r] *velle ac perficere:* [ſ] *Illa tribuit ſapientibus ſapientiam: quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.*

l Gen. 4. 4.
m Luc. 9. 20.
n Matt. 11. 25.
o Rom. 9. 13.
p Gen. 21. 9.
q Rom. 9. 8.
r Philip. 2. 13.
ſ Dan. 2. 21.
t Ioh. 1. 9.

Non

Neque in Regiones. Non majorem Aſtra in Regiones univerſas dominatum tenere arbitror : ad illuminādum terræ orbem; non ad formandos Gentium mores cœlo affixa. Dic vero mihi, ſodes, tu, qui Stellis Regionum præſidibus populorum reſpondere mores dicis; cur Babylonii & Aſſyrii Mercurio & Virgini ſubjecti, eiſdem ſcientiarum & contemplandi cœli ſtudiis tenentur, quibus Chaldæi, Leonis & Solis imperio addicti? Cur in Europa Germani, in Aſia Scythæ, in Africa Mauri, in America Chilienſes & Patagones diverſo ſiderum irrigati lumine eadem audaciæ roboriſque indole ferociunt? Cur ſub adverſo cœli cardine, illic Boreali frigore, iſtic Auſtrino calore exuſti, propinqua naturæ cognatione conveniunt, animis corporibuſque humi utrinq; dejectis? Cur ſub eodem nati educatique ſidere tam diſpare animorum motu concitantur, in contraria ſtudia variatâ cupidine diſtracti? Quid eſt, quod mutato ſiderum curſu, emotiſque ſuo loco, inde à Chaldæorum temporibus, Zodiaci ſignis, ſimili adhuc omnes Gentes cupiditatum impetu, quo antea ſemper, aguntur? An aliqua terrarum regio cum nova ſiderum luce naturam Suam mutavit? An in Borealem Auſtrina, in Eoam Heſperia indoles commigravit? Sunt adhuc molles Ægyptii, fraudulenti Afri, imbelles Aſiatici, barbari

Scythæ,

Scythæ, luxurioſi Perſæ, frugales mundique Indi, feroces Sarmatæ, induſtrii Hiſpani, ſagaces Itali, præcipites Galli, audaces Germani: neque ulla hominum natio adgenitos ſemel à Natura mores ex alius affulſione ſideris depoſuit. Quid autem ſi hiſtoria alios Gentibus mores naturamq; tribuat, quàm illis Aſtrologorum nugacitas ex ſiderum affingit dominatu? *Iudæi* Arietis, Scorpionis & Martis obnoxii præfecturæ, impietatis inſimulantur. At quæ Gens ſuſcepit religionem prius, coluit ſanctius, ſacris ceremoniiſque retinendis etiamnum majorum inſtituta obſtinatiſſimè obſervans? Eidem Zodiaci trigono ſubjecti *Syri* & *Idumæi* audaces perhibentur. At quid Syris unquam fuit ſervilius; quid Idumæis mollius? qui ſua beati opulentia luxuque, magis de cavendâ, quàm inferenda injuriâ laborarunt. Quam ſiticuloſa Africa communionem habet cum Piſcibus? quam Aſia ad Africum mollis & effœminata cum Tauri ferocia? quam barbara Scythia cum Juſtitiæ & Religionis Libra? Ipſa verò etiam ſignorum conjunctio & triplicitas quàm eſt inconveniens! quàm difformis communio! Quęnam eſt Arieti cum Piſcibus, Leoni cum Virgine, Tauro cum Geminis, Aquario cum Capricorno, aquæ cum igni ſocietas? Quæ ſi in formandis animi moribus vim aliquam haberent,

rent, quanta in uno homine naturarum foret diſſimilitudo! quàm ille hoſtili odio à ſe ipſo diſſideret, monſtroſæ ex diverſis formis Chimæræ, aut Centauro Satyrove ſimilior; quàm opifici ſuo Deo: cujus ille imaginem refert! Nullum itaque eſt Animis hominum cum Aſtris commercium ac ſocietas, nullam in fingendis moribus poteſtatem luminum illa cœleſtium vibratio tenet: niſi fortè ex circumfuſo aëre, variaque cœli tempeſtate valetudo commutetur, affectione corporis in animum inquilinum redundante. Ita Voluntas ſæpe obluctante ratione per cupiditatum impetus rapitur tranſverſa, & mens ſtupeſcente ſenſu hebet, & Spiritus aut ſynceri defæcatique hilareſcunt; aut craſsâ ſuffuſi caligine obtorpēt, valida inprimis ciendorum affectuum momenta.

Sed eccum egredientem ab hoſpite puerum, ut plus æquo cunctantes ad cœnam vocet. Abeamus huc intro, & ſpiritus diuturna meditatione languentes & exhauſtos ſalubri cibo & potione reſtauremus. Ita quidem, quomodo ex *natali patriæ Solo*, & *Cœli cardine*, etiam Divino inſtinctu cognoſci hominis Ingenium poſſit, audivimus. Reſtat, ut aliquis in *Parentum ſanguine*, & *ſtirpe Generis*, morum indicia ſcrutetur.

CA-

CAPVT XIX.

De Cognati sanguinis indole.

OTto *Casmannus*, divina vir virtute ingenii- *Virtus ad-nascitur & docetur.* que præstantia, cùm injecta manu supremam abeunti salutem impertiret, inter mutuas valedicentium comprecationes, fluentibus utrinque oculis, *Fili*, dicebat, *talem te in omni vitâ gere, qualem te natum, & educatum tenes. A stirpe tui generis & parentum sanguine; qui sui avitique nominis honore, & innocentiæ existimatione domi floruerunt; pulcherrimæ virtutis indolem trahis. A mea decem annorum cura præceptisque habes, ut inchoatum à naturâ opus extrueretur, promotâque insitæ bonitatis vi ad rectas artes, & honestatis studia inde à teneris assuesceres. Illinc semina accepisti & fundamenta nascituræ feliciter virtutis. Hinc cunabula, & manum Præceptoris obstetricantem, in sequuturam ætatem imagine modestiæ delineatâ. Tu diligentem da operam, ut dignus tua indole, dignus mea institutione ac sanguine, quo te propinquè attingo, cum ætate adolescas.* Divina paterrimi *Præceptoris* verba, & *Avunculi*, memorabilis monitio; quæ mihi in intimum desedit pectus, & posita frequenter ante oculos, ad persequendum fortiter eruditæ virtutis curriculum, in quod illo duce atque authore descenderam semel, vehementissimè me incitavit. Atque utinam ille aliquem suæ

benignitatis amorisque ex me fructum percipere potuisset, præmaturo fato digressus ex mortali vita isto die, quo ego Anno vitæ meæ
Anno 1607. Cal. Aug. xxv. ingressus signata ab illo vestigia, *Recturam Scholæ Leoverdiensis* susciperem. Rectè verò sapientissimus vir mores bonos à parentibus ingenerari; cura disciplinaque præceptorum expoliri, & ad perfectionem ac maturitatem deduci sensit. Neque enim unquam quisquam aut magnâ virtute excelluit, aut præclarum ab eruditione nomen gessit, qui ad obeunda magnarum rerum munera non naturâ factus, & singulari curâ doctus esset. Refragante ingenio, & novercante Minervâ frustra quisquam in rebus etiam minimis laborabit. Atque hinc certa plerumque ad cognoscendam hominum proclivitatem abditosq; pectorum mores indicia colliguntur.

Liberi naturam referunt parentum. Equidem, ut Orator [a] *Tullius* inquit, *sunt ingeniis nostris innata virtutum semina: quæ si adolescerent, ipsa nos ad beatam vitam perducerent.* [b] Ἐν τοῖς σπερμάτων ὀλίγαις σταγόσι καὶ τὰ τῆς ἀρετῆς ἀγαθὰ συῤῥέουσι.
a 3. *Tusc.*
b *Plut.*
Vnde dicente Poëta:

c *Catull.* [c] *Naturæ sequitur semina quisque suæ.*

d *Hor. l. 4. Car. Od. 4.* Namque [d] *Fortes creantur fortibus.*

Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Non secus ut alites eandem cum parente naturam

turam ſortiuntur, eundem in pennis colorem, in cantu vocem referunt: ut principum in corpore membrorum vitia hæreditario jure in progeniem transferuntur: Ita liberi progenitorum plerumque mores æmulantur, & in illorum vitia virtuteſque prono cupiditatis impetu deſcendunt. An igitur ex parentum ſemine, & genitalis effluxu ſanguinis animus propagatur, ut eandem cognatæ naturæ indolem trahat? Non hoc quidem ſentio. Soli DEO animorum debetur ſatio, qui illos à conceptu, formatis in materno utero vitæ membris, in deſtinata corporum domicilia immittit. Ex hoc contubernio inquilinus afficitur animus, & cum hoſpite corpore arctiſſimo neceſſitudinis ac ſocietatis fœdere conjungitur: cujus univerſam naturam vireſque parentum ſemina conſtituunt, ex principibus vitæ partibus effuſa. Ita parentum naturâ cum ſemine in liberos tranſvaſatâ, non minus animi mores, quàm corporum lineamenta referũtur. Quo argumento, cum mirè ſtupidum inertemque adoleſcentem *Diogenes* conſpicaretur, [e] *Adoleſcens*, inquit, *ebrius te pater ſeminavit.*

[e] *Stob.*

Liberi boni bonorũ parentum.

Suffragatur rationi Exemplorum authoritas, expreſſam paternorum morum in liberis ſimilitudinem atteſtata. Salve tu primùm, ex generosâ pietatis ſtirpe optimorum parẽtum digniſſima ſoboles, effigies paternæ probita-

tis, lumen & columen tui generis, perpetuo in omnem memoriam virtutis encomio honestanda. Quanto tu patrem Abrahamum afficiebas gaudio [f] *Isaace*, cum te suarum virtutum exemplar & simulacrum intueretur! Quantum lætitiæ fructum attulisti patri Isaaco [g] *Iacobe*, cum in te suæ pietatis expressam, atque expolitam imaginem cogitaret! Quàm te grandi voluptate oblectavit [h] *Noachus*, cum *Semum* & *Iaphetum* ęmulos sectatoresque suarum artium filios orbi terrarum dare Dominos attenderet! Vt se hilarum ac lubentem præbuit [i] *David*, cum in sceptri sui, & morum hæreditatem venire *Salomonem* cerneret! Quibus incessit lætitiis *Matathias* Maccabæorum pater, cùm illa Ducum filiorum cohors suum adversus Syriæ Reges in defendendis majorum ritibus studium & pietatem sequi animadverteret! Quo triumphavit gaudio Maria, cum *Immanuelem Christum* avitæ virtutis ingredi curriculum, & Davidem, suæ Stirpis satorem, æmulari videret, non inferiora sequutum! In longum nimis sermonem diverterem, si ex Græca historia *Heraclidas*, *Pelopidas*, *Aeacidas*, *Lagidas*, *Seleucidas*; ex Romana *Corneliorum*, *Deciorum*, *Aemiliorum*, *Portiorum*, *Claudiorum*, *Curionum*, *Metellorum*; ex Germanica *Francorum*, *Saxonum*, *Suecorum*, *Bavarorum*, *Austriorum* gentem commemorarē: in qua aviti mores & studia

cum

f Gen. 22.

g Gen. 27.

h Gen. 9. 26.

i 1. Chrō. 29.

cum ſtirpe generis in poſteros plerumque tranſierunt. Memorabile inprimis eſt [k] *Barchinæ* Pœnorum familiæ in Romanum nomen odium, non niſi cum interitu & exitio nobiliſſimi generis ſublatum. Non mitioribus ea tempeſtate iris in Carthaginem *Scipiones* inflammavit: quorum alii in Italia & Hiſpania Pœnorum Duces oppugnarunt; alii in Africa hoſtilem urbem debellarunt; alii fatali eventu Punicam dominationem everterunt. *Appiæ* verò familiæ gentile fuit, popularium ſuorum plebem odiſſe, pro patritiæ nobilitatis honore atque exiſtimatione ad extremam rerum ſuarum ruinam cum ipſa dimicantis. Vtilius fuit *Hortenſiis* & *Curionibus* Eloquentiæ ſtudium: quod veluti per manus à majoribus traditum, & à nepotibus excultum, fœminarum etiam in illâ gente facundiâ Curiæ commendavit. *Brutos* libertatis ſtudium ingenito in Tyrannos odio armavit: quorum *Iunius* Tarquinium urbe expulit; *Marcus* Cæſarem regnum molientem interfecit. Atque adeo quidem certa eſt illa paternæ indolis in poſteritatem tranſitio, ut in claris familiis illa ſuos veluti natales habeat, & ſumpto incremento adoleſcat, & ſenio confecta deficiat & commoriatur. Clara erat [l] *Ieſſæ* patris pietas, publicam patriæ ſalutem chariſſimorum pignorum periculo propugnans. Explicuit illa validas in

k *Livius. Plutar. Sabell. l.3.c 9.*

l 1 *Sam.* 17.13.

Davide filio vires, & privato egressa limine per universam Israëlitidem se diffudit. In *Salomone* virili demum firmitate ac perfectione maturuit: quæ in *Rehabeamo* posterisque effœta defloruit, splendoremque avitæ gloriæ amisit, in *Christo Iesu* post multas ætates deterso fumosarum imaginum squallore pristinæ dignitati restituta. Eminebat in *Amynta* quasi impube Macedonicæ strenuitatis decus: quæ in *Philippo* validi robris commovit lacertos. In *Alexandro* capax cœli terrarumque erat animus, cum in summo constitit Iavanis fortuna & virtus; quæ in successoribus facta labe in nihilum recidit, in ultimo denique *Philippo* extremi fulgoris igniculo relucens. Florebat in *Pipinis* & *Martello* vividi pectoris animosa virtus: quæ suam in *Carolo M.* stabilitatem & dignam terrarum imperio magnitudinem nacta, in *Ludovico* Pio imminuta est, in *Calvo* & *Balbo* defecit, in *Simplice* & *Crasso* consenuit, & suo quasi funere elata est. Austriacæ indolis vigor in *Rodolpho* I. caput proferebat, agitatæ concussæque variis cladibus Germanicæ illucescens. Ille in *Albertum* I. & II. facta transitione in visendam granditatem succrevit. In *Carolo* V. dignam fastigiato Europę capite vim & magnitudinem sumpsit. Ab hoc inclinato vertice illic in *Philippis*; istic in numerosa *Maximiliani* progenie degeneravit: nunc demum in

in *Ferdinando* II, pullutante quaſi ab acciſo ſtipite ſurculo, reviviſcens. Sed qui horribili *ſeptimæ Phialæ* tempeſtate brevi emarceſcet, & vim vitamque, ut ſpero, perdet.

Ita ſeminata virtutis indoles in poſteritate ſoboleſcit: utinam verò in Nequitia propaganda ſterilior eſſet natura; quæ uberrimo partu in nepotes exundat, agros imitata fertiles, qui multo plus afferunt, quàm acceperunt. Eheu!

[m] *Aetas parentum pejor avis, tulit*
Nos nequiores: mox daturos
Progeniem vitioſiorem. m Hor. 3. Carm. 6.

Vt deflexit ſemel à virtutis orbitâ ille humani ſator generis Adamus, & à priſcâ integritate deſcivit, *ad ſui ſimilitudinem* filios generavit, materque Eva conceptam utero labem fuſo latè contagio in omnem poſteritatem diſſeminavit. Ex hac officina prodiit iniquitas, quę genitalem inficiens ſanguinem non permiſit ex improbo patre bonum filium naſci. Κακȣ̃ κόρακος κακόν ἐςὶν ᾠόν. Neque fiat ſine prodigio, ut ex ſquillis roſæ, ex ſpinis uvæ, ex viperis ſalubris alimenti piſces generentur. Prævidit hanc malitiæ propagationem in *Iſmaële Abrahamus*, in *Eſavo Iacobus*, in *Chamo Noachus*, peſſimi generis peſſimis authoribus. Doluit Iſraëlitarum natio ex improbo *Ieroboamo* profanos divinæ

legis contemptores in damnũ exitiumq; Religionis progenitos. Doluit Ægyptus incestorum amorum luxuriæque studia à Ptolomæo in posteros Lagi Reges derivata. Doluit Judæa ex Seleucianæ malitiæ radice illum Ecclesiæ sectorem *Epiphanem* epimanem, aliosque cognati sanguinis & nequitiæ gentiles provenisse. Quàm similem suæ truculentiæ filium *Dionysius* Siciliæ; *Clearchus Gylippum* Lacedæmoni; *Baßianus Caracalla Heliogabalum* Romæ; *Othomannus Amurathas*, *Bajazethas*, *Selimos* Turcis generavit! Quàm acerbum dissidium, & in suos sæviendi furorem *Cadmus* nepotibus suis insevit! Quàm fœdam levitatem in hospitali jure colendo & fide præstanda *Aegæus* posteris suis impressit! Audi sceleratum hominem detestabile pulsati patris crimẽ in derivatam ab origine generis indolem rejicientem. [n] *Pulsavit ille quondam*, inquit, *avum meum*; *avus proavum immanißimis quoque modis tractavit. Quin & iste filius meus, ubi in virum evaserit, mihi quoque flagra fustesque intendet.* Cujus farinæ alius cum à filio crinibus raptaretur, ad januæ perductus limen, [o] *Desine*, inquit, *fili*; *nam & ego patrẽ hactenus.* Scilicet, ἐκ αὖ γένοιτο χρηςὸς ἐκ κακοῦ πατρός. Fassus hoc est de se ipso *Domitius*: qui natum sibi filium Neronem audiens, congratulantibus amicis nullo tactus gaudio: [p] *Scitote*, inquit, *ex me & Agrippina nihil nisi horrendum ac infaustum*, *& pu-*

n *Arist. l.7. Eth.*

o *Ibid.*

p *Sueton.*

& publicè nociturum potuisse generari. O infelicem, sed veridicum vatem! Vnde natam terrarum orbi funestam cladem præsensisti? Notus eras tibi tu, nota conjux execrabilis. Quis verò te impetus implicuit tam infaustis amplexibus? Scilicet debebatur iste partus moribus humanis acerbo diritatis pharmaco expurgandis. Quam in mentem de *Caio Caligula* pater *Tiberius* dixit: [q] *Exitio suo ac omnium Caium vivere: Se populi Romani natricem terrarum orbi Phaëtontem generasse.* [q] *Sueton.*

Liberi degeneres.

Neque tamen ita semper ille paternæ tradux indolis in sobole efflorescit, ut non sæpè degeneret, ac à stirpe sui generis deficiens alium naturæ habitum adsciscat. Quod quisquā miretur, ex viperino semine conspicuæ bonitatis fœtus exiit, pullulansque à malitiæ radice surculus nobilem aliquando edidit fructum. Nota est [r] *Achazi* R. impietas, occluso DEI templo, abjectaque majorum religione, Syrorum idolis & Baali supplicia decernens. At ex illo natus [s] *Ezechias* positas Diis Gentium aras evertit, sacra Iehovæ restauravit, pietatem lege & exemplo sancivit. Tenetur [t] *Ammonis* nequitia omnem DEI cultum & metum barbaro furore profligans. At ex illo genitus [u] *Iosias* templum DEI paternâ profanitate collapsum reparavit, lucos arasque Baali sacras succidit, divinæ legis instituta servari pręcepit.

[r] 2. *Paral.* 28.
[s] 2. *Par.* 39.
[t] 2. *Par.* 33.
[u] 2. *Par.* 34.

x Plut. in Apoph. Lac. Dissimiles suæ virtuti parētes habuit [x] *Agis* Laconum Rex: à quibus ille rogatus, ut iniquam causam defenderet, *Dum essem*, inquit, *sub vestro imperio, nullam exercendæ justitiæ habebam curam. At ex quo me patriæ legibusque tradidistis, his magis obtemperare teneor, quàm vobis.* M. [y] *Cato Censorius* Græcarum artium professores ex Italia ejecit: pronepos Vticēsis illos pręmiis allectos revocavit. In [z] *Pompeium Strabonem* P.R. immani ob avaritiam odio flagravit: In *Cn.* filium ob eximias virtutum dotes favore gratiaque incredibili propendit.[a] *Guilhelmo* III. Neapolis Regi barbara ingenii diritas *Mali*; filio illius inculpata morum sanctimonia *Boni* cognomen peperit.

y Plin. l.7.c.3.

z Plut. in Pomp.

a Collenut. l.3. Hist. Neapol.

Sed rarissima est paternæ pravitatis in filiis correctio, nequitia fœcundiore semper partu in sobolem exundante. Degenerat sæpe honesta laudatæ stirpis indoles, raroque magna præstantis animi virtus illibato honore ad posteros profertur.

Aequat rara patrem proles, & sanguine tradux
Mittitur in sobolem virtus: pars plurima clari
Seminis incestat stirpem, famamque paterni
Nominis illicitis obscurat degener ausis,
Inferiora sequens.

Nescio profectò quâ perstringam accusatione illa *nobilia hominum portenta*, quæ teterrimis ignaviæ ac nequitiæ imbuta sordibus clarissi-

mum

mum sui generis sanguinem turpissimis ignominiæ maculis contaminarunt. O DEVS, qualem tu ex[b] *Adamo Cainum*, ex[c] *Noacho Chamum*, ex[d] *Abrahamo Ismaëlem*, [e] ex *Iacobo Esavum*, ex [f] *Davide Absolomum*, [g] ex *Salomone Rehabeamum*, ex [h] *Iosaphato Ioramum*, ex[i] *Ezechia Manassem*, ex [k] *Iosia Ioachazum*, ex[l] *Heli* sacerdote, & [m] *Samuele* propheta summæ impietatis filios nasci voluisti? Pudet dicere; ex optimis provenere pessimi, ex sanctissimis improbissimi, ex modestissimis perditissimi, ex sapientissimis inertissimi, ex ipsa virtutis radice scurræ pudoris exhausti, parricidæ scelerati, contemptores DEI profani, infames sacrilegio, detestabiles idolorum cultu, intolerabiles bonorum odio, obliti cognato sanguine, inusti perfidiæ in Deum atque homines notis, deformati & cooperti omnibus sceleribus. Tu [n] *Eliezer* & *Gersa*, quàm vos parum patrem Mosem virtute gloriaque clarissimi nominis æquastis, indigni qui in hæreditatem patrii imperii assumeremini. Tu, [o] *Telemache*, quàm dissimilis Vlyssi patri evasisti, cùm illo absente sub maternâ tutelâ molliter educatus procorum etiam conversatione corrumpereris. Tu, [p] *Nine*, quàm te mater Semiramis, virum mulier virtute excelluit, qui abjecto armorum studio inter eunuchos & puellarum greges omnium mollissimus fœdis te voluptatibus immergeres. Quã miro

b *Gen.* 4. 1.
c *Gen* 9. 22.
d *Gen.* 15. 15.
e *Gen.* 25. 24.
f 2. *Sam.* 3. 3.
g 1. *Reg.* 11. 43.
h 2. *Paral.* 21. 4.
i 2. *Paral.* 33. 33.
k 2. *Par.* 36. 1.
l 1. *Sam.* 2. 12.
m 1. *Sam.* 8. 3.
n *Exod.* 18. 3. 4.
o *Hom.*
p *Sab.* *l.* 1. *E.* 2.

miro naturæ ludibrio ex ſapientiſſimo *Pericle Paralus* & *Xanthippus* ſtupidi, *Clinia* furioſus; ex integerrimo *Ariſtide Lyſimachus* infamis; ex graviſſimo *Thucydide Mileſias* & *Stephanus* inertes; ex temperantiſſimo *Phocione Phocus* diſſolutus; ex humaniſſimo *Gelone Hiero* ferox; ex doctiſſimo *Sophocle Iophon* in patrem ingratus; ex acutiſſimo *Ariſtarcho Ariſtagoras* ſtupidus; ex eruditiſſimo *Ariſtippo*, & fortiſſimo *Themiſtocle*, & ſanctiſſimo *Socrate* filii pituita abjectiores profecti ſunt! Quis non indignetur, [q] *Fabium Fabii Allobrogici* & civis & Imp. clariſſimi filium ita perditam luxuria vitam egiſſe, ut paternis illi bonis à prætore interdiceretur? Quis non [r] *Scipionem Africani* prolem, in tantâ domeſticæ virtutis ortum gloriâ, tam fœdis turpitudinum maculis obſolefactum, ut propinqui annulum paternâ ſignatum imagine illius manui detraherent? Quis non frugaliſſimi [ſ] *Curionis* filios ad omnem ſe nequitiam projeciſſe; [t] *Catonis* Vticenſis F. laſciviæ & ignaviæ vacaſſe? Vidit Roma doluitque [u] *Bicongium Ciceronem* M. Tullii; [x] *Caligulam* publica indignum ſepultura *Germanici*; [y] *Domitianum* Nerone immaniorem *Veſpaſiani*; [z] *Commodum* gladiatorem *M. Antonini Philoſophi*; *Carinum* turpiſſimum nebulonem *Cari* F. Maximus fuiſſet [a] *Conſtantinus*, niſi *Conſtantinum* Arrianum, *Conſtantem* luxurioſum, *Conſtantium* levem ac arrogantem genuiſ-

q *Val. l. 3. c. 5.*
r *Val. l. 3. c. 5.*
ſ *Val. l. 9. c. 1.*
t *Plut. in Cat.*
u *Valer. Max.*
x *Sueton.*
y *Sueton.*
z *Fulgoſ. l. 3. c. 5.*
a *Sigon. l. 5. Imp. Oc.*

genuisset. Felicissimus [b] *Theodosius*, nisi *Honorium* & *Arcadium* in fatalem imperii lacerati perniciem reliquisset. Liceat de monstris illis exclamare cum *Ennio*: b *Cusp.*

[c] *O Domus antiqua, quam dispari Domino dominaris!* c *Cic. off.* I.

Quid verò aliud de istis illustrium familiarum prodigiis & portentis dicas, quàm quod de filiis suis *Aristippus*: quos cum ob degenerem indolem repudiasset, & de nimiâ in suum sanguinem sævitiâ reprehenderetur, [d] *Annon*, inquit, *& pituitam, & pediculos è nobis natos velut inutiles rejicimus*? Quam labem cum hærere suo sanguini [e] *Augustus* videret, *Iuliâ* filiâ & *Nepte* ad omnem vitæ turpitudinem abjectis, Homericum illud ad illarum mentionem pronunciabat: d *Laert. l. 2.* e *Sueton.*

Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τε μένειν, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι! *Utinam aut cœlebs mansissem, aut orbus mortuus essem!*

Neque aliter eas appellavit, quàm tres vomicas & carcinomata sua, testamento etiam cavẽs, ne mortuæ sepulchro suo inferrentur. Atque ita ferè omni hominum memoria usu venit, & quodam contingit fato, ut excellentium virorum virtus & sapientia in liberis deficiat. f *Euripides in Heracl.*

[f] Ἕνα γὰρ ἐν πολλοῖς ἴσως
Εὕροις ἂν, ὅστις ἐστὶ μὴ χείρων πατρός. *Vnum in multis forte invenias, qui non sit deterior patre.*

Cujus ego esse causam æstimo, quod viri sapientes languidè ac oscitanter veneri incumbunt,


bunt, neque magnopere genialis tori lucta delectantur, gravibus Reip. curis diſtricti. Divini tamen maximè muneris eſt, ut modeſtiæ quiſquam indolem ſortiatur: paraturque homini virtus non parentum ſemine adnata; ſed DEI benignitate donata: non tam à ſtirpe ſanguinis ingenerata; quàm probæ *Educationis* operà formata.

Atque ita quidem Indolem Animi ſecretam, retruſoſque Ingenii Humani mores ex *Indiciis* tum *Adnatis*, tum *Cognatis* inquiſivimus. Deinceps, quæ extra Hominem poſita ſunt Naturæ veſtigandæ ſigna, contemplabimur. Eorum alia in *Educationis tyrocinio*, alia in *corporis Nutrimento*, alia in *Aëris veſtiumque* ambitu, alia in *Natalium conditione*, alia denique in *Domeſtico fortunarum ſtatu* conſpiciuntur. Statim ex *Educationis operà* penetrales hominum mores eruemus.

FINIS LIBRI PRIMI.



TABVLA ORDINIS
LIB. I.



Nobilissimis, Amplissimis

REIP. FRISIORVM
SENATORIBVS,

D. IOANNI SAECKMA.
D. IOANNI DE SANDE.
D. FRANCISCO à IONGEMA.
D. ORICHIO à DOYEM.
D. GELLIO IONGSTALL.
D. IOACHIMO ANDREE.
D. EVERHARDO BONER.
D. IOANNI NYS.
D. MATTHIÆ à VIERSSEN.
D. HECTORI BOVRITIO.
D. CORNELIO KENNEMA.
D. HOMERO ab HARINXMA.

ET

D. IOANNI SCHELTINGA Procur. Gen.
D. SEBASTIANO PRVISSEN, Graphiario.

S. P. D.

EDO NEVHVSIVS,

S. L. R.

MOrum Mentiumque humanarum Indolem, *ex Naturæ erutam penetralibus, pro ingenii mei tenuitate, stylo descripsi : Quod ut Augusto vestro*

Nomini, pro parte, nuncuparem, nihil me impulit aliud; quam præclara Virtutis vestræ existimatio, & Humanitas affectioque in me singularis. Illa omnes in Rep. bonos; ista me præter alios privato Vobis perpetuoque studio devinxit. Quicquid excellit, justam merito habet venerationem. Cui eo quisque est addictior; quo illud sibi magis beneficum & benignum cognoscit: ut Solem illi æstimant magis, qui vim ejus fotumque salutarem propius persentiscunt. Quod res est, dicam: nihil aut gloriæ gratiæque Vestræ; aut studio & devotioni meæ largiturus. Omnia in Vobis sunt quæ aut Cura exercitatioq; parat; aut Fortuna largitur. Eximia Vestræ Virtutis Ingeniique indoles, in publicis rebus splendor, in privatis moderatio, in jure dicundo æquitas, in negotiis obeundis industria, in tota vita dignitas, constantia, fides, in magna bonorum Civium commendatione versantur. Cum domi Vobis fortunæ suppetat abundãtia, generis nobilitas, clientium studia; nulla tamen Vos aut cupiditas ab integritate; aut superbia ab humanitatis gratia deducit. Hæc vera fa-

stigiati

stigiati honoris laus est, non insolescere magnæ proventu prosperitatis: opes & copiam non libidini; sed bonitati & moderationi præbere facultatem: in excellenti dignitate summæ virtutis gloria florere. Ista verò propria Vobis ab Officio laus est; leges & jura juste sapienterque interpretari, summa æquitate judicia transigere, in disceptandis fori causis fidem, religionem, moderationem in consilio adhibere, in obeundis Reip. negotiis invidiam, metum, libidinem amovere, conscientiam mentis, quam à Deo accepimus, maximi semper æstimare. Ad quas Animi Virtutes, præstantem Doctrinæ laudem, & Ingenii gloriam adjecistis, solida cumulataque multarum rerum, omniumque bonarum artium cognitione instructi. Itaque Vos in clarissima Reip. luce cum laude ac gloria versantes, tanquam magnarum virtutum speculum, oculi Civium intuentur. Domos vestras, ut sanctitatis atque innocentiæ contubernium; Curiam, ut moderatricem officiorum, profugium miserorum, vindicem temeritatis, officinam æquitatis, templum mentis consiliique publici, frequen-

tant. Illa quidem ſunt in ſermone ac commendatione omnium; Me vero etiam Veſtra in me ſingularis benevolentia peculiari in cultum veſtri Nominis trahit ſtudio. Quam ut ante certis ſæpe argumentis perſpexi; ita nuper manifeſta voluntatis inclinatione teſtatam feciſtis: cum ſpontaneo propenſi favoris ſtudio in promotionem Filii mei incubuiſtis. Quam referam gratiam Vobis,

Nobiliſſimi Domini, benigniſſimi Patroni,

pro tantæ benevolentiæ, quam mihi navatis, promptitudine; niſi, quod à me proficiſci poteſt, in Vobis amandis colendiſque conſtantem & perpetuam devotæ mentis voluntatem, cum aſſidua publicæ privatæque proſperitatis apprecatione? Cæterum rogo Vos, ut porro gratiam mihi Veſtram tribuatis, & mea Studia Liberoſq; meos, ſi merebuntur, veſtro favore benigne juvetis, promoveatis. Nunc hoc dicatũ Nomini veſtro Donarium libẽter accipite, non indignati humilẽ à ſecretis Muſarum hederam inter Curiales ſummi honoris lauros ſerpere. Neque ut Vos erga me bonaſque

literas

literas affectos novi, ingratum hoc erit munus: quod haud magnum, & à Gratia vestra, & ab Animo meo accipiet pondus. Valete diu, valete feliciter,

Domini:

ut in vobis, salutis mentisq; publicæ principibus, patriæ custodibus, ornamentis judiciorum, exemplaribus antiquæ Religionis, ILL. FRIS. DITIO *fortunis ampla, copiis firma, virtute honesta, rebus gestis gloriosa in seram Nepotum floreat posteritatem.*

Ex Musæo meo, VI. Kal. Febr.
AN. Christ. CIƆ IƆC XXXIII.



EDONIS NEVHVSII THEATRVM INGENII HVMANI,

Sive

De cognoſcendâ Hominum Indole, & Secretis Animi moribus.

LIBER II.

CAPVT I.

De Educatione puerili.



VPER admodum diurnō feſſus labore dulcem nocturnæ quieti operam dabam. Et jam edormiveram unum ſomnum concubię noctis ſilentio, verſabamque animo ſolicitam de meâ Pube, ac juvandis Literarum ſtudiis cogitationem; cum ſub Auroram contrahi mihi animus, & quaſi labi ac concidere iterum inciperet, corpore in ſoporem reſoluto. Statim è corneâ portâ rectà mihi advolat Somnium, & ſimulatoris operâ Morphei miras animo viſiones proponit, ſimulacra & imagines illarum rerum, quas mecum vigilans agitaram. Si quis veſtrûm, Cives, ea miri contextus fabulamenta ſcire volet, non pige-

gebit, ut in recenti adhuc versantur memoria, commemorare.

Videbar mihi scholastico adspersus pulvere in forum exire *Vrbis Leoverdianæ:* ubi ad Occidentem, in *Trutinariâ Tabernâ* merces; ad Orientem, in *Liberi patris Cupa* vini viriumque libratur firmitas. Magna hîc hominum, suis quique spatiis, inambulabat multitudo: juvenes, viri, senes, cives, agrestes, milites. Vtrimque in vestibulis ædium matronæ hærebant, & virgines, habitu vestium & moribus pleræque transmarinis. Cum curiosos huc illuc oculos volverem, & varia specie frequentiam tacitus demirarer; in medio video cœtu spectatissimæ integritatis prudentiæque Senatores, *Dn. Matthiam à Viersen*, & *Dn. Cornelium à Kinnema*, LL. DD, viros è disciplinâ meâ mihi conjunctissimos. Et vos, *inquam*, in hac video turba, amicissimi? Vos hîc estis? Dicite, amabo, quis est tantæ multitudinis concursus? Quid sibi vult ista hominum tàm dispare morum animorumque habitu frequentia? An hîc de summis Reip. negotiis, aut de coeundâ cum Hispano pace, aut de sopiendo Religionis dissidio, indictus est Frisiæ Ordinum conventus, matronali quoque stolâ, ad ferendum de publica salute suffragium, advocatâ? Illi ridentes, Minime verò, *inquiunt*, hunc locum, hos homines Reip. attingit cura, in quam nunc nemo

mo penè ſuum ſtudium & cogitationem intendit. Si neſcis, dies hic ſeptimanæ extremus eſt nundinalis: quando ſereno cœlo ex urbe & vicino agro frequens confluere huc ſolet populus, magna quidem ex parte, ut ſpectet, & ſpectetur. Quod verò te olim dicere meminimus, homines, ut oris ſpecie, & corporum lineamentis; ita ſtudiis animorumque habitu inter ſe differre: hoc nunc præſens iſte dies, & frequens populi cœtus docet. Age inſinuemus nos liberius in mediam turbam, & ſingulorum ſtudia moreſq; parum curioſè conſideremus. Audin'? Ibi, quibus artibus ſummi ordinis paretur dignitas, facto in Remp. impetu, de captandis callidè ſuffragiis, de firmandâ partium factione, & dejicendis adverſariis ſermones conferuntur. Illic de faciendo quæſtu, & cumulandis in immenſum opibus, ut ſuis quiſque evertatur fortunis, ut in alienum irrepatur patrimonium, ut impellatur in fraudem incauta ſimplicitas, colloquia ſeruntur. Iſtic innocentium virorum fama fictis criminibus arguitur, bonorum hominum exiſtimatio calumniis obteritur; in alio plebeii generis nataliumque obſcuritas; in alio fortunarum tenuitas; in multis aut morum ineptitudo, aut partium ſtudia culpantur. Illi de cõdiendis opiparè cœnis, & detergendis improbo hauſtu poculis; quàm ſe pridie oppleverint

Liberi patris flore, quâ in cauponâ ſenio ſatiſfiat minore diſpendio abundantius, quis bellator cantharo melior, ubi meracius de cupâ promatur vinum, ubi hera, aut famula ad obſequium amoris promptior, fabulantur. Iſti prima ſignati lanugine virginum adultarum matrimonia examinant, quo cenſu dotem marito afferre poſſint, quibus amicorum pręſidiis ad tenendum conſpicui honoris gradum nitantur, quàm liberali forma, quàm lepidis ſint moribus, diſputant. Alii, Lamiarum more, domi ſuæ cæci, foris ſupra milvinam aciem oculati, quicquid in foro, in curia, in templis, in plateis, in ganeis, intra privatos geritur parietes, omnium latebrarum minutias indagant & expendunt, Magiſtratuum conſulta ſuæ gravitatis ſupercilio cenſent, ſacras ad populum conciones pro arbitrio æſtimant, in ſcholis formandæ juventutis leges condunt, publica & privata ad ingenii ſui perpendiculum exigunt. Multi depoſita patriæ ſalutis cogitatione, quid alio agatur ſub ſole, quo conatu Britannus afflictæ ſororis affiniſque cauſam urgeat, quam Liliis Aquila perniciem intendat, quæ à Gothia tempeſtas Germaniæ immineat, quãto ad Euphratem Parthus bello fulminet, quàm magna claſſe Belgicum in Americam bellum naviget, inquirunt. Pauci, quorum in animis generoſa viriliſque Virtus,

in ore

in ore cultuque corporis ſpecioſa modeſtia inſidebat, queſti funeſtas in Curiis & Eccleſia ſectiones, & efferentem ſe magnifice factioſorum Civium audaciam, de reſtituenda Rep., de conſervanda Reformati ritus Religione, de cohibendo audaciæ impetu, de propugnanda fortibus armis libertate, ſerio loquebantur.

Dum ſtudia diverſa moreſque in plebe diſpares attentius conſideramus, ecce è longinquo cum lucernâ ſenecio veniebat, argutos in omnem partem jactans oculos, quaſi quicquam amiſſum obſervatis ſtudioſe veſtigiis indagaret. Vt acceſſit propius, hirquina barba, diſtorta labra, criſpatæ nares, contracta in contumeliam ſupercilia, ſordidum pallium, pendula ad ſiniſtrum latus pera *Caninæ mordacitatis Philoſophum* arguebat. Ille rogatus à circumfuſa plebe: *Quid cum lucernâ quæreret claro die? Hominem quæro*, reſpondit: *ſed hominem rectè educatum, hominem bonis moribus & virtute: quales in hoc cœtu oppido video paucos.*[g] Quod ad [g] Ael. l. 12 v. 5.
Megarenſes olim dixi; *Malle me arietem ipſorum eſſe, quam filium*: hoc de vobis etiamnum merito dixerim, cives. Ita paucis inter vos formata fuit initio ad rectas artes juventus. Neque enim in turpi pecuniarum & honorum quæſtu felicitatem poneretis: non in aleâ, in intempeſtivis conviviis, in mimarum ac ſcortorum gremiis vitæ veſtræ florem attereretis, ſi bona-

rum artium Magiſtris in diſciplinam traditi à parvis pueris ad virtutem edocti & educti eſſetis. Vix ille Cynicum multo cum riſu virus effuderat, cum procul ab [h] *Ariſtippo*; qui paſſus in mari naufragium incolumi eruditione in Rhodum appulerat; nuncius accurreret, cum ſeriis ad populares mandatis, *ut liberos rectis laboribus erudirent, & ad virtutem bonarumque artium ſtudia inſtitutis & præceptis diligentiſſimè informarent*: quæ ſolæ fortunæ ſpernant violentiam, & per medios fluctus, ac extrema rerum diſcrimina Dominum ſuum comitentur.

h *Laert. l.* 12.

Interea à tergo Diva *Pædia*, cum *Nixio* DEO, ſtare videbatur; quæ nos ex media evocatos turbâ de foro in ſuburbanum vacantis horti receſſum abduxit: ut ibi, *quanta eſſet primæ Educationis vis*, quàm certa illinc morum colligantur indicia, doceret. Non inviti ſequimur Divam invitantem: tum ut à moleſto foris ſtrepitu expediremur; tum ut de pædia *Pædiam* ipſam, principem & magiſtram Educationis, diſſerentem audiremus. Vt pervenimus ad *Virſumiana* vernæ jucunditatis diverticula, & prima in illis frondoſarum pergularum umbraculis fecimus ſpatia, Magna, *inquit*, Educationis in utramque partem vis eſt: quæ aut utilem ſemper, aut pernicioſum patriæ civem præſtat. Si enim ulla hominum diligentia acres ad nequitiam ſtimulos reprimere, & vim

vitio-

vitiorum incitatricem frænare; si insitos atque innatos ad virtutem impetus promovere potest: sola id valet Disciplinæ beneficio Educatio. Illa incompositos efferosque distortæ naturæ motus in rectæ rationis gyrum ducit, revinctosque frœno, & quasi carceribus sopitos domat, emollit, in ordinem cogit. Illa ingenerata nativæ originis semina singulari studio atque industriâ evocat, producit, ac velut conveniente nutrita & rigata succo, beneficoque calore fota vegetat ac maturat. Illa imbecillem naturam nullis dotatam facultatibus, nullis ad virtutem instructam adjumentis, jugi assuefactione culturâque industriâ cōfirmat. Illa fervidiores præstantium animorum impetus arte Magistrâ delinitos intra rationis metam contrahit, & ferocientem Bucephalum molli tractatum manu, ne aut exasperetur feritas, aut supprimatur generositas, prudenter moderatur. Si remiseris frœnum laxius, segnique nimis & languida imperaveris manu, insurget in Rectorem, & excutiet jugum efferata ferocitas. Sin adstringas arctius, vis virtutis insita frangetur. Ille utilem patriæ civem dabit,

Qui premere, & laxas norit dare cautus habenas.

Rectè igitur Cheronensis ille Philosophus inquit: [i] πηγὴ καὶ ῥίζα τῆς καλοκαγαθίας ἐστὶ τὸ νομίμου παιδείας τυχεῖν. Quo multis ante sęculis

[i] *Plut. de educ. lib.*

k *Arist. in phys.* culis animo fuit [k] *Stagirita*: cum in Educatione omnem esse positam virtutis custodiam & incrementum diceret: quæ pueritiæ teneritudinem, udæ instar argillæ, aut gypsi, in omnes morum species effingat. Quis à Verni aëris intemperie divitem frugum expectet Autumnum; à protritâ semente copiosam messem; à fragili & ruinoso fundamento durabilem structuram? Non magis frugalem speres senectam, si ille flos ætatis neglectus abjectusque in turpi desidiæ situ contabuerit. Quibus artibus imbuta semel fuerit juventus, eas in extremum vitæ tempus proferet, mansuro per omnem ætatem virtutum vitiorumque habitu, quem in rudi pueritiâ Educatoris industria efformavit.

l *Hor. 1. Ep. 2.*

[l] *Fingit equum tenerâ docilem cervice Magister*
Ire viam, quò monstrat eques: venaticus ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aulâ,
Militat in sylvis catulus: nunc adhibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

Cera, dum mollis est, in quamvis imaginem facilè sequitur fingentis manum: si obdurescat, intractabilis est. Stirpes à radice primum exeuntes obsequuntur agricolæ, aut surculis in adversum latus detortæ, aut vinculis in terram deflexæ, aut fulcris in altum surrectæ: si inve-

inveteraverit curvor, callumque obduxerit, nulla extendi induſtria, & æquari arte poteſt, obfirmata in omne tempus pertinacia. Ita prorſus Educatio rudibus puerorum animis omnem facilè formam inducit: quam nulla poſteri temporis ætas obliteret & expungat. Frangas ſemel inflexas curruum rotas, non revoces ad rectitudinem priorem. Ita impreſſam herbeſcenti pueritiæ imaginem fruſtra tentes extinguere, primæ manus ductu & lineamentis perpetuo refulgentibus. Quod ut ſignificaret civibus ſuis [m] *Lycurgus*, duos ex eodem parentum genere Catulos educavit; alterum lautis ad focum cibis, alterum venaticis ruri ſtudiis aſſuetum. Deductus uterque in forum ſub populi adſpectum, depoſitis alibi lautitiis, alibi emiſſo lepore, ille in dapes, iſte in feram prono curſu impetũ dedit. Tum converſus ad populum Legiſlator, *Videtis*, ait, *Spartani, quantum ſit in Educatione poſitum ad formandos mores momenti. Proinde ne nobis quidem noſtra nobilitas, ductumque ab Hercule genus profuerit, niſi à pueris ad bonas artes exerceamur.* Quales naſcantur nobis liberi, nullius quidem eſt in manu: at ut recta inſtitutione ad virtutem informentur, noſtræ eſt poteſtatis. Quam Educationis vim faſſus eſt de ſe ipſo [n] *Socrates*: qui cùm ex cultu corporiſque lineamentis ſummę improbitatis argueretur, *Talem*, inquit, *me Na-*

[m] Plut. in Lacon.

[n] Cic. 3. Tuſc.

tura formavit; at emendavit correxitque Disciplina. Evenit idem *Themistocli*: qui de mutata in melius vita domitaque insolentioris naturæ ferocia rogatus, [o] *Nescitis*, dixit, *ex asperis indomitisque pullis utiles fieri equos, si quis rectam illis adhibeat disciplinam?* Cujus insitam innatamque nobili animo ferociam contuitus Præceptor, [p] *Nihil*, ait, *mediocre futurus es, ô puer: Aut in magnum Reip. commodum; aut in funestam illius perniciem adolesces, prout fueris educatus.* Ad quod Educationis commodum *Socrates* respexit, cùm interrogatus, [q] *Quare non administraret Remp. ipse, in tanta regendæ civitatis peritia?* Ille, diceret, *utilior est Reip. qui multos efficit Reip. gerendæ idoneos; quàm qui ipse rectè gubernat.*

o Plut. in Them.

p Plut. Ibid.

q Aphthonius.

Igitur sapientissimi omnis ævi mortales hoc operam semper diligentem dederunt; ut juventus sub expertæ virtutis fideique Magistris, statim in primo ætatis tyrocinio, bonis artibus adsuesceret: liberales disciplinas addiscere; obnoxio parentibus ingenio esse, mendacio, verborum obscœnitate, libidinum intemperantia, velut prodigiorum insolentia terreri; præcipue vim divini numinis venerari, nunc beneficio, nunc pœna suspiciendam. De virtutis pulchritudine, de præstantium factorum præmiis, de vitiorum infamia, assiduis præfectorum sermonibus imbecilla puerorum ætas imbuebatur. Nequitia nunquam

quam nisi cum supercilio & gravi turpitudinis detestatione nominabatur. His rudimentis initiata puerilis teneritudo turpia suorum judicio vitia proscribebat, virtutem cupidis arreptam animis in senium deducebat. Ita altis radicibus desidebat in præcordiis honestatis studium, ut nesciretur, naturæne instinctu, an præceptorum instituto benè quisquam ageret. Quod dum dico pudet me pigetque horum temporum atque hominum, quibus educandæ juventutis negotium in tanto est neglectu. Pro pudor! pusillus puer, qui non lævum dextro scit distinguere, cum protervo *Themistoclis* filio totos in potestate suâ parentes habet, facili eorum obsequio ad omnem libidinem abusus. Petit in luxuriæ usum argentum; porrigitur. Postulat in pompam vestem; datur. Vult numos, aliosq; nequitiarum magistros frequentare; permittitur. Loquitur turpiter, mentitur audacter, compellat senem irreverenter, illudit bonis nequiter, curat rem injunctam negligenter, indulget genio fortiter; nihil prorsus peccat. Cerea in vitium flecti teneritas in domesticarum fabulationum admittitur contubernium, criminatione aliorum dictisque improbis aures, morum protervitate oculi imbuuntur. Quibus olim, [r] Persarum more, vinum bibere, nudumve hominem oculis intueri nefas erat: apud quos,

[r] *Herod. l. 1. & l. 4.*

Roma-

[f] Romanorum instituto, aut insolens verbum parentes dicere, aut factum indecorum præstare, aut mali exempli hominem in convictu pati, pro summo scelere habebatur: illi, nostris moribus, genialibus adhibiti conviviis, sub parentum auspicio, invergere largiter Bacchi liquores, jacere improbas voces, facere res indecoras assuescunt. Ita idoneis authoribus, & spectabili exemplo à parvulis discitur improbitas, rudibusque animis altè insinuantur vitiorum semina: unde illa, quam dolemus, copiosa malorum morum messis in Remp. exundat. Malè sana capita, quàm vobis jure *Crates* aliquis, ut Atheniensibus olim, acclamet: [t] *Quorsum ruitis, cives, qui omne studium in pecuniis collocatis; liberorum vestrorum curam nullam suscipitis?*

Non hoc *Thuriorum* erat institutum; [u] apud quos cautum lege fuit, ut pueris, cum primum adolescerent, publicâ impensâ studiorum magistri in primo tyrocinio præficerentur. Non [x] *Indorum* & *Brachmanum*; qui edito infanti curatorem & vitæ Magistrum custodemque adhibebant: & ut bonis disciplinis, & salutaribus exemplis ad omnem honestatem erudirentur. Non [y] *Persarum*, qui liberos à teneris sanctis moribus imbuebant, justitiam colere, æquum ab iniquo dignoscere: tum jaculari, equitare, cursu contendere, & præcipue vera loqui.

f Plut. in Catone.

t Plut. in pæd.

u Diod. Sic. l. 12.

x Strabo l. 15.

y Herod. lib. 1.

loqui. Hæc apud illos, majorum consuetudine, per omnes ætatis gradus erant rudimenta. Tantique juventus ista pudoris erat, ut pro lege observaret, ne in publico aut spueret, aut nasum emungeret, aut in parentum conspectu nisi jussa consideret. Mos [z] *Laconum* patrius erat, cibi potionisque modum liberis præfinire, humili cultu & sobrio cum æqualibus convictu illos educare, horrida disciplina severissimis moribus assuefacere; ne qua rudem mentem improbitas inficeret. Quem invaluisse apud [a] *Germanos* usum legimus; ut patiens militiæ ætas, ne languerent & debilitarentur otio delitiisque animi, currendo, algendo, æstuando, famem sitimque tolerando, difficiles vias peragrando exerceretur. Provida [b] *Sabinorum* in liberis educandis erat cura, quos illi patruorum disciplinæ committebant, ne parentum indulgentia lascivirent. Quos sequuti *Græci* pronam ad malas artes juventutem probatissimis in disciplinam Magistris tradebant. Quo more *Achillem Chiron* & *Phœnix*, *Agamemnonem Nestor*, *Hectorem Polydamas*, *Telemachum Menelaus*, *Antigonum Zeno* bonis disciplinis ad virtutem informavit. [c] *Philippus* quidem Macedonum R. tantum in educando filio positum esse ad virtutem momenti putavit, ut gratularetur sibi, *Alexandri* natalia in Aristotelis incidisse ætatem: cujus ille curâ

z *Plut. in Lyc.*

a *Tacit. de Germ. moribus.*

b *Plut.*

c *Gell. l. 9. c. 3.*

curâ rectissimis vivendi regendique artibus
d Plut in Al. imbueretur. Cui parentis judicio subscripsit
filius,[d] magis præceptori sese, de fideli institutione; quàm parenti de generatione obstrictum confessus. Non minore studio Romani educandis liberis operam dedere: apud quos *Augustum Apollodorus Pergamenus*, *Tiberium Theodorus Gadarenus*, *Trajanum Plutarchus*, *Alexandrum Severum Cordus*, *M. Antoninum Fronto*, *Gratianum Ausonius*, *Theodosium Anatolius*, *Theodosii filios Arsenius*, *Crispum Constantini F. Lactantius*, *Carolum M. Alboinus* summa fide curaque informavit. qua quidem in re plus illi Reip. profuerunt, quàm si aut exercitus duxissent, aut leges tulissent, aut illustres honores gessissent.

Nunc nisi molestum id est vobis, neque offero nimiam oculis auribusque vestris satietatem, adumbratam in hac Tabula Educatio-
e Gen. 9. 18. nis utriusque vim fructusque perspicite. Illic
f Gen. 19. 16. ad dextram [e] *Noachi* & [f] *Lothi* videtis familiam
g Act. 7. 22. patrium DEVM præscripto pietatis officio colentem; [g] *Mosen* rectissimis Ægyptiorum di-
h Tob. 1. 10. sciplinis eruditum; [h] *Tobiam* bonis artibus à
i 2. Sam. 12. 25. puero excultum; [i] *Salomonem* sub Nathane
k 2. Reg. 11. 2. propheta; [k] *Ioam* Ochoziæ F. sub Jojada pontifice; [l] *Maccabæos* sub Mathatia patre; [m] *Timo-*
l 1. Maccab. 2. 64. *theum* sub Eunica matre; [n] *Christum Dominum*
m 2. Tim. 1. 5. sub sanctissimis parentibus ad omnem virtu-
n Luc. 2. 41. tem sapientiamque informari. Non longè ab hoc

hoc divinorum hominum choro Laconicæ & Romanæ Gentis illustres effulgent viri, patriis majorum institutis præceptisq; edocti, *Achilles Chironis*, *Pericles Anaxagoræ*, *Philippus Macedo Epaminondæ*, *Alexander Aristotelis*, *Augustus Apollodori*, *Trajanus Plutarchi*, *Theodosius Anatolii*, *Carolus M. Alboini* disciplinâ institutus. Ad sinistram neglecti in teneris cultus offert se mortalitas; cui execrabilis morum improbitas æternam turpitudinis notam inussit. Quanta flagrant infamia illi veteris Mundi detestabiles [o] *Gigantes*; quos ad omnem compositos nequitiam fatalis aquarum illuvies oppressit! In quo inhonestissimę vitę versantur dedecore [p] *Heli Sacerdotis filii*, paternâ indulgentiâ in dissolutam vivendi consuetudinem & licentiam impudentem prolapsi! Quàm fœdam contraxit labem *Roboami* Regumque Israelitarum soboles, parentum exemplo atque auspiciis ad impietatem edocta; *Telemachus*, absente patre Vlysse, sub maternâ tutelâ in procorum contubernio molliter educatus; *Nero* apud Lepidam amitam mimarum tonsorumque cura enutritus; *Midas* asininis aurib⁹ monstrosus; *Thersites* mẽtis stupore infamis, *Ptolomæus* physcõ, *Tarquinius* superbus, *Caracalla* eruditionis hostis, *Heliogabalus* gulosus, *Phocas* paricida, *Licinius* literarum rudis, *Domitius* ignarus, *Syllanus* amens, *Domitianus* barbarus, *Valentinianus* rerum omnium

o *Gen.* 7.

p 1. *Sam.* 2. 12.

nium rudis! Quibus se contaminavêre maculis Pharisæi arrogantes, Stoici immanes, Cynici impudentes, Epicurei luxuriantes, Assassini sicam vibrantes, Turcæ & Judæi blasphemi, Ethnici idololatræ, & portentorum greges cæteri: quos imbutos malis artibus Educatio pessumdedit! Igitur [q] *Eteocles*, post superatum bello *Agin*, cum quinquaginta pueros obsides à Lacedæmoniis postularet *Antipater*, illud recusavit: ne licentius educati à patriâ disciplinâ majorumq; moribus descifcerent. Exuberat in sentes filicesque ager, nisi exerceatur. Sterilescunt arbores, si desit cultura. Ita hominum ingenia, protrita virtutum fruge, in turpem vitiorum messem luxuriant, si aut nulla illis, aut mala in teneris adhibeatur educatio.

[q] Plut. in Lac.

Agite itaque, & tu inprimis, *cui educendum Frisicæ juventutis florem Leoverdia* cõcredidit, hoc summo studio curaque præsta, ut tuæ alumnos disciplinæ, in illo ætatis tyrocinio, non ad humanitatis tantum artes; sed pietatem modestiamq; præcipuè informes. [r] *Nullum profectò*, ex tui Oratoris sententiâ, *majus meliusve afferre Reip. munus poteris, quàm si doceas atque erudias juventutem, iis præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrænanda atque coëreenda sit*. Non deterreat te ab hoc prestantissimi operis functione Pulveris illius apud

[r] lib. 3. Divin.

pud ſuperbum vulgus contemptio ac deſpicientia. Neque enim illi tantum magnum humanis rebus emolumentum præſtant, qui in faſtigiato dignitatis apice legum fræna moderantur, qui de pace belloque cenſent, qui manum militiæ ſacramento obligant, qui aut in foro cauſas dicunt, aut tuendæ valetudinis remedia præſcribunt.[f] *Etiam ille, qui juventutem exhortatur, & in tanta bonorum præceptorum inopiâ virtute inſtruit animos, qui ad pecuniam luxuriamque ruentes prenſat ac retrahit, in privato publicum negotium gerit.* Hoc age, quod Lacon præceptor effecturum ſe addicebat:[t] *ut traditus ſibi in diſciplinam puer honeſtis delectetur; turpibus ingemiſcat.* Quod[u] *Ageſilaus* Rex præſtari à puerorum Magiſtris volebat: *Vt iis in rebus inſtituantur, quæ viris factis uſui ſint futuræ.*

f *Sen c.3. Tranq.*

t *Plut. de vita mor.*

u *Plut. in apoph. Lac.*

Diſciplina exercenda ratio.

Quo dum verſaris in negotio, cave, ne aut arctè contenteque; aut laxè molliterque nimis juventutem habeas. Vtrinque magni erroris culpa ſæpè committitur. Enervis & delicata indulgentia remiſſo cupiditatum frœno crudæ pueritiæ ad peccandum licentiam permittit, & ſtimulos ad virtutem acuendos obtundit. Dura & immitis ſeveritas animorum alacritatem frangit, ſervilique coactione animi pariter ac corporis vires elidit. Exhauritur perpetui metus acerbitate ille ad adoleſcentiȩ incrementa laxandoſque artus Naturæ ſuc-

cus. Neque diffluere poteſt libere ſanguis, aſſiduæ triſtitiæ interpellatione repreſſus & contabeſcens. Non rarò puer, dum moleſtè nimis urgetur, in bonas literas odium concepit; quas ſuppliciorum metu diſcebat, triſti faſtidio averſatus. Inde eſt, quod Scholas multi, tanquã prædonum laqueos & piſtrinum, virtutem ut efferatam immanitate feram expaveſcant. Detur ætati parva innoxiè laſciviendi venia, fruatur aliquo indulgentis Naturæ beneficio, infundat inconſultos ſemel impetus: quos equis juvenciſque in illa primorum annorum libertate permittimus; ne creſcens in firmitatem ſuam cervix jugum timeat ſubire. Non opprimenda ſunt intempeſtiva ſapientię meſſe ingenia nondum præparata; neque ante tempus ad ſtudiorum maturitatem vocanda puerilis ætas: quam levibus primò initiare rudimentis, & facili manu conſuefacere oportet, ut ſua magis ſponte recta facere diſcat, quàm alieno metu. Senſim cum annis creſcẽtibus laxanda ſunt vincula: ne ſubitæ libertatis dulcedine impotens ſui animus inſoleſcat. Sæpe puer ſub duriore diſciplinâ eximiam pollicitus frugem, ut emancipatus vinculis ſuo in Academiis jure vivere cępit, ad primum incognitæ libertatis ſenſum, remiſſo libidini frœno, ab omni legum & honeſtatis obſequio diſceſſit. Ita qui antea ſupra ætatem ſapere videba-

debatur, postea infra virilis prudentiæ decus deliravit. Omnem verò constituendæ disciplinæ rationem perspecta in pueris naturæ variantis indoles moderatur. Sunt, quos si asperius coërceas, animum despondeant, & velut ad inopinatum prodigii conspectum exanimi metu corripiantur. Alii, nisi adducas disciplinę nervos, ubi senserint patefactam nequitiæ fenestram, statim extra orbitam feruntur. Quidam arctatis vinculis exasperantur, ferarum instar cum compedibus luctantium; laxatis remissa indignatione mollescunt. Multi servili ingenio subigi nequeunt, nisi plagis perpetuo tundantur. Hîc prudentia opus est; ne imbecilles animos adducto vehementius vinculo frangas, ne remissa languidius manu licentiam audaciæ permittas; ne indomitam ferociam strictiore frœno irrites; ne asininam tarditatem majore indulgentia nutrias. Gloriæ præcipue stimulos inserere oportet puerilibus animis, ut jam tum honoris dulcedine afficiantur, susceptoque cum æqualibus industriæ certamine ad præripiendum pulchræ laudis præmium alacriter contendant.

CAPVT II.

De Conversatione, ac Aetatum singularum Indole.

DIxerat Pædia, dictaque salute abire videbatur cum conversus ad nos Senator

Kinnema, Vera, *inquit*, ſunt, quę ad formandam & præſentiendam naturæ indolem de vi Educationis ſapienter ſanè Pædia diſſeruit. Atque hoc eſt quod *Platonem* inculcare ſuis civib⁹ memini: κεφάλαιον ὀρθῆς παιδείας ὀρθὴ τροφή. cùm aſſuefactione & diſciplina puerili firmi teneræ ætati mores inſerantur, certa virtutum vitiorumque in procurſum vitæ fundamenta. Adſentit præceptori diſcipulus *Ariſtoteles*, cum in prima juventutis aſſuefactione poſitum omne felicitatis humanæ momentum dicit. Affinis eſt præceptorum diſciplinis atque Educationi *Conſuetudo victus, & familiaris vitæ converſatio*; quæ teneris maximè animis virtutum vitiorumque effigiem imprimit, & abditum ſuis penetralibus animum in conſpectu ponit.

Juv. Sat. 2. ----- [t] *Adſpice, quid faciant commercia.*

u Curt. l.6. [u] *Feras beſtias captas & incluſas, quia ipſarum natura non poteſt, dies mitigat:* Ita diuturna cum aliis converſatio naturæ habitum immutat, & alienos mores ſocialis vitæ exemplo affundit. Nautas videmus & Agricolas ſolaribus expoſitos radiis colorari: qui unguentarias frequētant tabernas odorem loci ſecum ferre. Tanta in contuberniis ad formādos animi mores vis eſt, à quib⁹ aut melior quiſq;, aut pejor plerūq; diſcedit. Neq; magis vina vicinarum arborū fruticumq; referunt ſaporem; non ferrū igni admotum in flammeum fortius excandeſcit

colo-

colorem: quàm tranſeunt ab uno in alium familiaris vitæ conſociatione mores. Quis non ex multa cum vulgo conſuetudine ad avaritiam, ad ambitionem, ad luxuriam vehementius animum adjicit? Quis non ab erudito Philoſopho doctior, à gravi Theologo religioſior, à perito Iuris conſultior domũ redit: à quibus vel ſilentibus ſemper aliquid diſcas? Quoties honeſtorum convictus adhæreſcentem animo labem excuſſit? Quoties improborum ſocietas adgenitæ virtutis indolem extinxit, bonos mores depravavit, ad ingrediendum nequitiæ curriculum facem prætulit?

x ---- *Dedit hæc contagio labem,* x *Iuven. S. 2.*
Et dabit in plures: ſicut grex totus in agris
Vnius ſcabie cadit, & porrigine porci,
Vvaque contacta livorem ducit ab uva.

Vt fluctum impellit fluctus: ut oves ſequuntur antecedentium gregem: Ita in vitium alter alterum trudimus, imuſque vulgò, non quo ire deceat, ſed quò ab aliis itur. Raró, ut in Salo piſces quidam ſalem non referunt, à contaminatis familiarium moribus ſumus immunes. Ille rectè ſibi conſulere, & virtutem ab incurſu vitiorum munire videtur, qui, quãtum poteſt, à vulgi ſeſe commercio ſubducit: aut, ſi vocet in publicum neceſſitas, ſalubre prius ſapientiæ pharmacum deguſtat, animumque confirmat, ne peſtilentium morum tabo corripiatur. Quam ſi mentem olim *Iſraelitæ*

litæ habuiſſent, non ita turpiter profanarum Gentium commerciis ad idolorum prolapſi cultum patriam religionem abjeciſſent. Non profanarum mulierum convictu [y] *Salomon* à paternæ virtutis inſtituto deſciviſſet. Non ſe [z] *Ochozias Iorami* F. ſanguinis ſcelerumq; cum *Achabo* conſortio devinxiſſet. Non Caiaphæ ingreſſus atrium [a] *Petrus* inter ſceleratos aulæ Pontificiæ caculas, Chriſtum Dominum abnegaſſet. Quàm ſuæ parum ſaluti ſubvenit [b] *Leonidas Cleomenis* F. quando longa cum Scythis conſuetudine barbaram potandi libidinem imbibit! Quàm parum [c] *M. Antonius Curionis* familiaritate ad ganearum fumos & infamem voluptatum uſum protractus! Quàm parum Chalcedonii Bizantinorum, Macedones Perſarum, Romani Aſiaticorum convictu ad ſuperbiam, luxuriam, ignaviam peſſundati!

y 1. *Reg.* 11.4.
z 2. *Reg.* 8.
a *Mar.* 14.68.
b *Plut. in Agide.*
c *Plut.*

Quando repeto Iuventutis meæ memoriam, quàm magnam mihi Academicæ vitæ conſuetudo ſuggerit Adoleſcentium copiam, quorum famam fortunaſque familiaris improborum uſus & conſuetudo victus in peſtilentem exitii ſcopulum adegit! Pro pudor! qui eximiâ virtutis ingeniiq; indole magnam de ſe ſpem parentibus ac præceptoribus concitarant, ut ſe ſemel protervientis nequitiæ contubernio devinxerunt, ab induſtriæ modeſtiæque digreſſi curriculo ad deteſtabilem

infamiæ metam adhæſerunt. Ridebãtur ſalutares præceptorum monitiones, convellebatur benè volentium authoritas, excuſſis imperiis, protrito pudore, per ſignata præeuntium veſtigia, ad exitiales malarum artium palæſtras, velut abrepri violento torrentis impetu, contendebant. Pulchrè illi cavere ſibi videbantur, ne cum *Platonis* diſcipulis contractos præceptorum ſuorum humeros; cum *Ariſtotelis*, illorum balbutiem; cum aliis aut ineptam picturam, aut neglectam veſtem, aut alium corporis animive aliquem nęvum, nimiâ cum illis familiaritate ſibi adſciſcerent: ita infrequentes in erudito illo pulvere, ut ſi eos fortè conſpiceres, tanquam oblato prodigio, cum poëta exclamaſſes:

[d] *Rara avis in terris, nigroque ſimillima cygno.* d *Perſius.*

Quàm velim ab illâ Nequitiæ diſciplinâ *Thyeſtæ* furentis verba exclamari, ut conſulere ſuæ ſaluti improvida ſimplicitas poſſet!

[e] *Nolite hoſpites ad me venire: illico iſtic,* e 3. *Tuſc.*
Ne contagio mea vobis umbrave obſit,
Tanta vis ſceleris in corpore hæret!

Equidem tantum eſt à malorum contubernio periculum, ut [f] *Cretenſes* olim, cùm acerbiſſimâ in adverſarios execratione uti vellent, malorum hominum ſocietatem imprecarentur. Ideoque [g] *Areopagitæ* & *Charondas* legiſlator pravæ conſuetudinis actionem inſtituerunt. f *Val. l.* 7. *c.* 2. g *Diod. l.* 12.

 Cujus

Cujus deteſtatione in Rep. ſuâ *Plato* mare improbitatis magiſtrum fugiendum eſſe cenſuit. [h] *Lycurgus* verò Spartanis omni peregrinatione interdixit: ne alienigenarum commerciis à patriis moribus & legum obſequio diſcederent. Quàm igitur ſibi rectè noſtra in primo ætatis flexu conſuleret juventus, ſi Græcum audiret ſapientem?

h *Plut. in Lac. inſt.*

[i] Σοφοῖς ὁμιλῶν, καὐτὸς ἐκβήσῃ σοφός.

Κακοῖς ὁμιλῶν, καὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.

i *Menander. Ex conversatione cum ſapientibus, ſapiens; cũ malis, malus evadis.*

Et Latinum: [k] *Nulla res magis animos honeſtos, & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm bonorum converſatio. Paulatim enim deſcendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter adſpici, frequenter audiri.* Sed ſapientiæ quoque vocem ipſius: *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit. Amicus ſtultorum ſimilis illis efficietur.* Scilicet [m] *cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: Et cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris.* Quod cum perſuaſum ſibi haberet diviniſſimus Rex, ut pervenit ad imperium, non ſequuturum damnanda malorum exempla, neque probaturum mores ac ſcelerata improborum facta, ſanctè Deo promittit:

k *Sen. ad Luc. Ep. 6.*
l *Prov. 13.*
m *Pſ. 18. 27.*

------ [n] Veri quoſcumque tenaces
Conſpiciam, ſervabo oculis: virtutis amantes
Sedulus exquiram veræ, adſciſcamque repertos:
Fraudibus addictos & fallaci ore loquutos
Sollicitus pellam, mea ne vel limina tangant.

n *Pſ. 101. 6, 7.*

Quam

Quam imitatus pietatem [o] *Tobias* junior dili- genter ſibi à malorum contuberniis cavit. [p] *Matris* hoc, probiſſimæ fœminæ, fecit exemplo filius: quam nullà, in ipſius juventute, cum infami puellarum grege vitæ devinctam conſuetudine audiverat. Quàm fuit utilis [q] *Sauli* Regi ſancta cum prophetis ſocietas, in quam admiſſus fatidico ipſe fari ore cæpit! Quàm [r] *Aegyptiis* Regibus, adſcitis in contubernium inſigni pietate prudentiaque viris, quorum conſpectu & exemplis à ſcelere abſtinerent, & ad frugalitatem modeſtiamque revocarentur! Quantum profuit ad ſapientiæ incrementum *Platoni* cum Ægyptiis ſacerdotibus, *Pythagoræ* cum Iudæis ac Perſis, *Ariſtoteli* cum Platone, *Alcibiadi* & *Euclidi* cum Socrate, *Philippo* Macedoni cum Epaminonda & Pelopida Thebis, *Cimoni*, *Agidi*, *Polemoni*, *Scipioni*, *Pompeio* cum doctiſſimis ſui ævi viris familiariſſima multorum animorum convictio! Vt ferro ferrum acuitur: ut lapidi lapis attritus ignem emittit: Ita viros iſtos amicitiæ cum doctis ac bonis conſuetudo ad virtutem accendit, & ingenia deterſo ignorantiæ ſitu expolivit.

o *Tob.* 2. 4.
p *Tob.* 3.
q 1. *Sam.* 10. 10.
r *Herod.* *l.* 2. *c.* 1.

Laus Senatus Friſiorum provincialis.

Quem intimæ cum præſtantiſſimis hominibus fructum conſuetudinis veterum Scriptorum literæ commendant; illum ego nunc in me ipſo, poſt obita in Academiis ſtudiorũ munia, in hac *Senatorii honoris provincia*, expe-

riundo diſco. Neque enim verbis efferre poſſum, quantam quotidie ex familiari vitæ uſu cum *ſapientiſſimis Viris*, *Collegis meis*, utilitatem, quantam voluptatem capiam. Audio illos de arduis magnarum rerum negotiis graves quotidie ſermones inſtituere. Audio dubias fori Cauſas juſtè prudenterque diſceptare, leges accurate interpretari, judicia perplexarum rerum religioſe obire, legem, fidem, rationem in conſilium ſemper adhibere, jura nunquam ab æquitate ſejungere. Quos cum intueor, Lęlios, Catones, Scævolas videre mihi videor, ſpecimina virtutis, lumina Reip. ornamenta judiciorum, exemplaria antiquæ religionis, cuſtodes publicæ ſalutis, ſapientiâ, exiſtimatione, nobilitate facilè principes Reip. univerſæ. Quibus viris nulla tàm difficilis, tamque intricata offerri res poteſt; quam non cõſilio regere, modeſtiâ temperare, integritate tueri, virtute conficere, authoritate conſervare poſſint. Quem non aſſidua cum tantis hominibus conſuetudo familiaritaſque & virtutum exemplis, & magnarum rerum ſcientiis augeret? Itaque nunquam ab illorum colloquiis diſcedo, quin reddar doctior. Curiam verò frequento, ut publicæ mentis, & ſalutis templum, ſedem ſummi conſilii, palęſtram juſtitiæ, ſcholam ſapientiæ, contubernium virtutis, officinam ſanctitatis, theatrum amplitudi-

tudinis, moderatricem officiorum: unde velut à fonte omnis Reip. proſpéritas dimanat.

Sanè ita eſt, quod te, *Neubuſi*, ſæpe in vetere illo pulvere de tuo pulpito inculcare nobis meminimus: *ut formandæ indolis atque excolendi animi præcepta; ita Indicia morum à Contuberniis peti.*

Improborum cui placet ſodalitas,
Is qui ſiet vir, non rogo: ſciens ſatis
Sodalium illum convenire moribus.

Quare Hippocratides adoleſcenti ex conſciẽtiâ tranſiti in ſe contagii de ſuo comitatu erubeſcenti, [f] *Cum his*, inquit, *oportet deambulare, cum quibus conſpectus non mutes colorem.* Quo indicio populus Romanus quantum inter [t] *Liviam* & *Iuliam*, fœminas urbis principes, intereſſet, collegit, cum in gladiatorum ſpectaculo illa viris cincta gravibus; iſta cum luxurioſorum juvenum comitatu, omnium in ſe oculos converteret.

f Plut. in Lac. Apoph.

t Sueton.

Cum his *D. Kinnema* dictis Sol in medium provectus axem libratâ in ſummo die, famem ſitimque à longa deambulatione collegiſſe videbatur; quando relictis lętiſſimarum frondium umbraculis ad urbem imus, lari ſuo quiſque familiari, pro foci apparatu, litaturus. Dum verò impigro ſtudio domum contendimus, exigente penſum ſuum ſtomącho, qui jam ex inanitate, ut fingebat ſopor, latrabat,

Quid

Quid ita grandes, inclamat Senator *Vierſenius*, granditis gradus; cum hîc ad viridem & opacum foſſæ marginem, arborum umbroſâ tecti fronde, jucundiſſimam habeatis deambulationem? Formicinis & teſtudineis vos incedere veſtigiis, & me prandii facere jacturam velim, dum ſapidiſſimis ſermonum veſtrorum epulis oblector.

----- *Tale ſopor feſſis in gramine.*

Equidem quid præſtent emolumenti bonorum & ſapientium commercia, hic præſens dies, & optatiſſima cum amiciſſimo collegâ, & *Præceptore* confabulatio me docet: quæ non afficit me minus; quàm *Platonis* cœnâ in poſterum diem titillante voluptatis ſenſu. Tua verò *D. Kinnema*, de *vi veſtigiiſque converſationis* diſſertatio revocat mihi in memoriam *Sæcula Aetateſque univerſas*; quæ ſuo quodam fato certam indolem habent, mutuâ victus conſuetudine, ac temporum rerumque commerciis ab uno habitu in alium ſolitam transfundi: unde mores etiam hominum ab illo ævo non obſcurè colliguntur. Fuere priſcâ hominum memoria Ætates impenſo literarum ſtudio flagrantes: quod deinde apud poſteros refrixit, fœdo barbariæ ſitu animis omnium obſeſſis. Aliquando concitata furoris impetu violentia in bellum exarſit vehementius: quæ alia ætate compoſitis in quietem animis eſt reſtincta.

Aetatum ſin ularū indoles.

cta. Aliâs homines ad exercendam parati virtutem singulari morum mansuetudine enituerunt: Aliquantò post protrito rescissoque Modestiæ cultu ad omnem inhumanitatem & ferociam obriguerunt. Tum forti libentique animo labores & pericula pro publicâ salute adita. Iterum Resp. quæstui esse, privata publicis potiora haberi, omnia ad lucrum prædamque revocari. Ita sæpe Terrarum orbis novos morum habitus assumpsit, hominesque pro genio Temporum fato quodam suo in diversos cupiditatum impetus sunt abrepti: eadem brevi indole mutuo usu commerciisque, per omnem latè mortalitatem, tanquam aliquo contagio, dimanante. Quàm erant aurea sub Saturno Rege sæcula, quàm divni hominum mores!

---- [u] *Qui vindice nullo* u *Ovid. Met. 1.*
Sponte suâ sine lege fidem rectumque colebant.

Stetit illa aliquandiu felicitas & affectio,

Deterior donec paulatim & decolor ætas
Et belli rabies, & amor successit habendi.

Quanta sub primis Assyriorum, Babyloniorum, Persarum Regibus; apud Romanos sub Punicorum bellorum tempestate, scientiarū omnium fuit perfectio! quàm generosi ad virtutem exercendam impetus! quæ in Remp. pietas, in familiares amor, in negotiis obeundis industria, in promissis servandis fides, in

dictis factiſque integritas! Poſtera ætas illam hominum indolem cum imperii dignitate abolevit, novoſque Mundo mores & leges dedit. Quàm proferendis ingeniis artibuſque inſignis fuit *Alexandri M.* ætas: quæ ſub Lagidis & Seleucidis in turpem barbariem deſcivit! Quam in altâ ſecurâque pace facilis & manſueta vixit mortalitas, ſub *Noacho*, ſub *Thola*, Phuæ F., ſub *Iaire* Galaadita, ſub *Elone* & *Abdone* Iudicibus, ſub *Salomone*, *Aſa* & *Ioſophato* Regibus, *Simone Pontifice*, *Amaſi* Ægyptio, *Numa*, Romano, *Auguſto*, *Tito*, *M. Antonino Pio*, *M. Aurelio Probo*, *Martiano*, & nuper ſub *Frederico* III, *Maximiliano* I, *Ferdinando* I, quando plerique in orbe homines in jucundo ſecuritatis gremio acquieſcebant! At quàm diſpar morum iſtorum habitus eâ fuit ætate, cum *Nimbrodus* vi armiſque populos ſub ditionem imperiumque ſuum cogeret! Dum *Ninus* & *Semiramis* ferro flammaque per omnem Aſiam graſſarentur! Cum *Nebucadnezar* Babylonium, *Cyrus* Perſicum, *Alexander* Macedonicum, *Ptolomæi* Ægyptiacum, *Antiochi* Syriacum, *Scipiones*, *Sylla*, *Pompeius* Romanum imperium fundarent! Cum ſub *Honorio* in Pannoniam *Hunni*, in Hiſpaniam *Vandali* & *Gothi*, in Galliam *Alani* & *Burgundiones* irrumperent! Cum ſeptimo poſt natum Chriſtum ſæculo ruptis convulſiſque rerum terrarumque clauſtris in Oriente *Perſæ*

ac *Arabes* Asiam atque Africam affligerent, Mahomedica impietate longè lateque propagatâ: In Europa *Barbari* de *Septentrione*, & *Pontifices*, Romanas opes labefactarent! Relegati sunt aliquando ex urbe Romana Rhetores, contempta philosophicarum artium studia, repudiatæ Græcorum literæ. Factũ in eadem urbe, ut Græca disciplina revocaretur, maximis honoribus afficeretur, amplissimis præmiis donaretur. Quis non de illius ævi hominibus ex communi temporum indole judicaret? Quæ efferato in sævitiam mundo mansuetudo, in cultum nato humanitatis immanitas tribueretur?

Illa sæculorum indoles Geniusque Mundi mutabilis in Græcæ inprimis & Romanæ dominationis fortunâ, ad hanc usque nostram viventium ætatẽ, manifestis sese indiciis prodit, hominum moribus cum annorum decursu in alium habitum transeuntibus. Cum staret incolumis Græcorum libertas, urbiumque dominantium terra marique Imperium valeret, ipsa Humanitas in illâ Gente tanquam in beato trãquillitatis sinu sedem defixisse videbatur. Causas in foro disertissimè orabat, carmina quodam divini furoris afflatu scribebat, cæli terrarumq; spatia peritissime mẽsurabat, de saxo metallove vivos animantium vultus ducebat, omnium artium disciplinas ex ipsius

sapien-

ſapientiæ fonte largiter hauriebat. Conſenuit illa cum Thebanorum *Epaminonda*, cum Atheniẽſium *Cimone*, cum Laconum *Ageſilao* indoles: quando Macedonicis primò, tum Romanorum armis avulſa ſuæ matris uberibus Humanitas per omnem Europam Aſiamq; ſpargeretur. *Roma*, ſexto dominationis ſuæ ſæculo, cum *Fabii* & *Scipiones* præcipuâ inter populares dignitate florerent, omnibus ſcientiarum virtutumq; ornamentis enituit: quæ ſub *Auguſto*, cum Imperii ſermoniſque majeſtate, ad ſummum provectę faſtigium ſplendore ſuo terrarum orbem illuſtrarũt. Quàm illa ætate multi ſumma cum laude in erudito ſapientiæ pulvere ſudarunt! Quæ hominũ erat in gerendo bello ſtrenuitas, in juvanda Rep. diligentia, in obeundis ſacris Religio, in excolendis ſcientiis ſtudium! Sub *Tiberio* deflorere cæpit Tullianę facundiæ venuſtas, & Romanę gravitatis indoles: illâ in contortos ſententiolarum aculeos, ad ſapientiæ ſpeciem, concisâ; iſtâ in ſervilem principis fortunæ cultum atque adulationem versâ. Octavum ſæculum ſub *Nerone*, *Galba*, *Ottone*, *Vitellio*, *Domitiano*, effrænatâ Militum ferociâ morum quandam feritatem & literarum contemptum induxit: *Veſpaſianis* tamen *Trajano* & *Adriano* fugienti Humanitati manum injicientibus. Quæ nono deinde ſæculo, ſub *Antoninis*, *Commodis*, *Severo* dubiam

diffi-

difficilemque de ſua ſalute cum hoſtibus pugnam ſuſtinuit; donec decimo ſæculo, capto à Perſis *Valeriano*, ſub XXX. *Imperii Tyrannis*, Anno Chriſti CC.LXII. duo prodigioſi partus *Pauli* in lucem prorepſerũt: quorum *Samoſatenus*, ſecta Servatoris Divinitate, Arrianę ac Mahomedicæ impietatis; *Heremita*, Monachorum pater, clauſtralis inhumanitatis poſuit rudimenta. Junctis cum ſuperſtitione veſtigiis peſtis perniciesque bonarum artium Bellona gradum intulit, effuſaque in Romanas ditiones Barbarie, horribilis à Septentrione armorum tempeſtas detonuit. Ita calcata barbarico pede Humanitas vix ſui veſtigium aut umbram Mundo reliquit, ingeniis atque artibus perpetuo tanquam exilio mulctatis.

Ab illo motu compoſitis ad quietem Gentibus, & manſuefactâ in Italo Galloque ſolo feritate, prorupêre iterum in lucem Scientiæ; ſed non pro veteris ævi dignitate ac cultu, ex longo ſitu horrentes ſqualenteſque. Cum ſcientiis pedem intulit Religio ingentibus Patrum Theologorum voluminibus perſcripta, & Conciliorum Decretis ſancita, jam tum Apoſtolicæ ſynceritatis nitore labem trahente. Iſta rudis ſcientiæ pietatiſque indoles in *Carolum uſque Magnum* Mundo incubuit: à cujus poſteritate, ſub Antichriſti adoleſcentis Dominatu, cruentato Eccleſiæ mari, & conſpur-

catâ cadaveroſo *Traditionum* tabo Religione, flagrantes exitiali peſte homines, inſano ſuperſtitioſæ pietatis zelo, pro papali dignitate in bellum exarſerunt. Quo tempore ſcientiæ, ignobili Scholarum & Cœnobiorum demerſæ pulvere inſanis Diſputantium ſtudiis impediebantur potius, quàm explicabantur. Majores demum noſtri, altero ab hinc ſæculo, novas divino fato temporum vices ſubiere: quando germana priſci ævi Religio ac Eruditio, depulſis rejectiſque clauſtralis barbariæ tenebris, à tot annorum caligine, in conſpectum lucemque venere; motiſq; uno quaſi impetu lacertis, per obſtantes tot malorum catervas, in campum victrices progreſſæ ſunt. Nihil nobis hactenus aut ad Humanitatis culturam, aut artificiorum peritiam, aut armorum uſum, aut Rerump. procurationem defuit. Cum digno faſtu ſuam noſtra ætas jactare felicitatem poteſt, ab arcanâ vi, & fatali Naturæ Genio manantem. Nunc, ut mihi quidem videtur, recrudeſcente Bellonæ feritate, & grandeſcente Impietatis ſcelere, temporum noſtrorum felicitas ad fatalem adhæreſcere metam, & impingere in præfinitam periodum videtur, Mundo in priſci Genii Gothicam ruditatem redeunte. Vultis me liberè dicere, quid ſentiam? Arcana quædam vis, decurſo conſtituti temporis ſpatio, novos mores indu-

inducit. Pro Religione impia Profanitas, pro Modeſtia diſſoluta Protervitas, pro Eruditione barbara Mundo Ruditas obtruditur. Quid enim exſpectandum nobis hoc ævo eſt aliud, quo in ſummum veniunt contemptum Humanitatis ſtudia? Apoſtolicæ ſimplicitatis Pietas, poſt fervidum ſuperſtitionis conatum, nunc quoque ab *irreligioſâ Libertinorum Profanitate* in ſuo ſeminario convellitur, commotaque à malis & turbulentis civibus ſeditione, Eccleſia in partes ſcinditur. Ita, poſt everſas Antichriſti opes, in ſecuro Antediluvianæ pacis otio, maturatâ impietate, extinctaq; Gentium fide, ad glorioſum Chriſti adventum via præparatur. Faxit DEVS, ne liberi noſtri iſto profanæ impietatis uſu ac conſuetudine illigati ab orthodoxæ Fidei puritate ad exitiales parandæ ſalutis errores deſciſcant!

In hanc fermè mentem loquutus *Senator* videbatur, cum ſubmovet ſomni otium clarus à turriti faſtigii ære, quod meis imminet ædibus, ſonitus. Igitur concinnatâ properè veſte purgataque nocte ad docendam pubem egredior, miratus in viâ ſomnioſæ quietis ludibria, quæ non minus toto me die afficiebant, quàm ſi vera *cum amiciſſimis hominibus* colloquia conſeruiſſem.

Jam in *Veſte*, *Aëre*, *Alimentis*, quæ *ambiunt nutriuntque* corpus, morum veſtigia perſe-

quemur. Principio in *cognoſcendam ex veſtitu Indolem* inquiremus.

Caput III.

De Veſtiendi vario apud veteres ritu.

DIes erat ſeptimanæ quartus; quando, priſco Scholarum inſtituto, feriata pomeridianis horis Iuventus, animos à ſtudendi contentione relaxat. Et jam receperam me in Muſæum, parabamque animum ad meditandum; cum me officii causâ convenirent, è vetere Diſciplinâ egregiâ virtute doctrinaque viri, LL.DD. *Petrus Knyffius, Richeus Echtenius, Cornelius Buttinga.* Delibata benignè ſalutatione, Nunc te verò etiam, *inquiunt illi*, in libris eſſe *Neuhuſi*; quando, vacantibus cum Iuventute ſua Muſis, reſpirare ſemel ab aſſiduis moleſtiis, & depreſſum curis animum erigere oportebat? Quæ eſt illa in ſtudiorum contentione obſtinatio: ut non parvam partem ſolido de die demere ſuſtineas, quâ tranquillum ducas & otioſum ſpiritum? Neque cogitas quidem illo laboris preſſu valetudinem proſterni, vireſque labefactas ſuccumbere, continua meditatione ſpiritibus exhauſtis? Mirum verò, niſi calculus etiam, ille domeſticus tui corporis ſector & carnifex, quietem tibi imperet: quem debilitato ex ſtudiis ſtomacho, ex crudis indigeſti cibi humoribus tenes aſperari!

Age,

Age, mi *Neuhuſi*, & ad exigui temporis moram exſolve te ſtudiorum curis, jam mortuo, ut cũ *Plauto* noſtro ludamus, ad umbilicum die. Si placet, & pati deambulationem pedes poſſunt, extra munitionum ſepta, in proxima cãporum ſpatia pedes efferamus: quò nos liquidum cœlum, & apertus ad liberam confabulationem aër invitat. Vide, quàm amœnus hic eſt dies!

Vt nitet expulsâ ridens caligine cœlum,
Diffunditque diem radianti lumine Titan!

Quid facerem in hac amiciſſimorum pectorum invitatione? Quam vim artemve tàm benigno, tam violento amori opponerem: cui non par videbar cum Herculis clavâ?

Nec mora, claviculo rigidum ſuſpendo Magiſtrum,
Et grave ſolliciti pono laboris onus.
Sit mihi fas triſtes evolvere pectore curas,
Ingeniique aurâ liberiore frui.

Dictum factum; ſumpto in humeros pallio, per ſacram Matri Virgini portam, in proximum pomœrio campum ſecedimus. Cujus ut prima ingreſſi ſumus ſpatia, *Knyffius* Antiquitatum ſcrutator induſtrius, deprompto ex ſinu *Plauto*, fortuito conſpectu in Epidico legit,

[a] *Tunicam rallam, tunicam ſpiſſam.* a *Act.* 2. *ſc.* 2.

Non intelligerem profectò, ajebat, quid *Ralla* eſſet; niſi ex Nonio didiciſſem. *Rallam* à raritate dictam, idem eſſe quod tenuem ac pellucidam

cidam. *Spissa* illi opponitur, materiæ densioris, corpori adversus aëris injuriam obtegendo. Romani, corruptis jam moribus, pellucidâ, ut in literis invenio, veste utebantur, magno sanè luxuriæ atque impudicitiæ argumento. Arguit illam manifesta criminatione *Seneca* meus: *Video sericas vestes, si vestes vocãdæ sunt, in quibus nihil est, quo defẽdi aut corpus, aut deniq; pudor possit, quibus sumptis mulier parum liquido nudam se non esse jurabit. Hæ ingenti summâ ab ignotis etiam ad commercium Gentibus accersuntur, ut matronæ nostræ ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quàm in publico ostendant.* Neque minus Hieronymus: [c] *Ingrediuntur expolitæ libidinis victimæ, & tenuitate vestium nudæ impudicis oculis ingeruntur.*

[b] *L.7. de benef. c.9.*

[c] *Lib. in Helv.*

Rectè, *inquam* ego, conjicis *Knyffi*, de pellucidis Romanorum vestibus, tracto ab Ægyptiis more: quibus illa profanati pudoris luxuria in usu fuit. Audi testem in Cleopatra *Lucanum*:

[d] *Candida Sidonio perlucent pectora filo,*
Quod Nilotis acus compressum pectine Serum
Solvit, & extenso laxavit stamina velo.

[d] *L.10. v.14.*

Satyricus illa à multorũ subtiliumq; filorum contextu [e] *Multitia* nominat: quibus Creticus indecorè perluceret. *Varro* [f] *vitreas* appellat, quod perviâ luce transmittant colorem. Quẽ Maro *Hyalum* dicit:

---- [g] *Milesia vellera Nymphæ*

[e] *Iuv. Sat. 2. v.79.*

[f] *Non. in Mod. c.14.*

[g] *Georg. 4.*

Sicca-

Siccabant, Hyali saturo fucata colore.

Vnde Circen *Claudianus* fingit

[h] *Percurrentem vitreas sub gurgite telas.* h Consul. Olyb.

Et Horatius, i L. 1.

---[i] *Laborantes in uno* O. 7.

Penelopen, vitreamque Circen.

Vitream quidem, quod, ad glauci Maris speciem, pellucido meretricum uteretur ornamento. Quo plerumque habitu Flumina pingebantur:

[k] *Cæruleos nunc Rhene sinus, Hyaloque virentem* k Auson. Edyl. 3.

Pande peplum.

Poëtæ pellucidas vestes *Coas* appellant. Author Tibullus:

[l] *Illa gerat vestes tenues, quas fœmina Coa* l Tib. l. 1. E. 3.

Texuit.

Et *Horatius*:

[m] *Nec Coæ referent jam tibi purpuræ* m L. 4. O. 13.

Nec clari lapides tempora:

Neque alia veterum est *Bombycina*, sive *Byssina* vestis, tenui filo pellucida; à *Bombyce* vermiculo, serici staminis artifice. Hinc *Propertius*: n L. 2. E. 3.

[n] *Nec si qua Arabio lucet Bombyce puella.*

Quo sensu etiam *Martialis*:

[o] *Fœmineum lucet sic per Bombycina corpus.* o L. 8. Ep. 68.

Bombyces etiam *Blattas* appellari scriptoribus puto: unde *Blatteis* vestibus nomen: sed rutilo colore tralucentibus. Hinc [p] Fl. Vopiscus *pallium blatto-sericum*, & *blatteam tunicam*; Lam- p In Aurel.

q L.9. Ep. ult. pridius *blatteum paludamentum*; [q] Sidonius *blattiferum Senatum* dixit: quod blatteas purpureâ luce togas ferret. Qui, sine dubio, Regũ Principumq; nobilis est purpura: ut Meretricum herbidæ marinæque viredinis Coa. Apud *Seres*, in Asiatica Scythia, copiosa est istius Vermiculi pullities: Vnde [r] eadem significatione *Serica* dicuntur.

r Cardan. l. 9. subt.

s L. 23. ff. de auro. t L. 3. Recept. sent. tit. 6.

Memini tamen, excipiebat *Echtenius*, [s] *Vlpianum* & [t] *Paulum* IC. nostros inter *Bombycinam* & *Sericam* apertè distinguere: quod in suo etiam Lexico observavit *Brissonius*; Bombycinam ex Verme, Sericam ex tenui arborum fronde depecti scribens. Consule in eam rem [u] Historicos tuos: qui apud Seres arborum folia ex crebra liquoris adspergine, molli obduci lanugine scribunt: ex quâ vestis conficiatur, ostentando potius corpori; quàm velando. Neq; aliter visum Poëtis. Ex quibus Maro:

u Solin. polyh. c. 53. A. Marcell. l. 23. c. 11.

x Georg. 1.

[x] *Vellera, quæ foliis depectunt tenuia Seres.*

Et Silius:

y Punic. l. 6.

---- [y] *primo Phaëtonte retecti*
Seres lanigeris repetebant vellera lucis.

Et Seneca:

z Hyppol. Act. 2. Sc. 1.

---- [z] *Procul sit muricis Tyrii rubor,*
Quæ fila ramis ultimi Seres legunt.

Atqui ego memini, *inquam*, Pausaniam Vermiculum Serica texentem *Sera* nominare. Neque refert ab arborum frondibus lanuginem depe-

depecti; quas textor Vermiculus, aranearum more, obtexere posset.

Parum quidem nostra refert, subjungebat *Buttinga*, an illud luxuriæ fomentum arborum frondibus suâ sponte innascatur; an Bombycum industriâ texatur. Magis in illa pellucida lanarum hæreo tenuitate: quæ pudendas etiam corporis partes in conspectu ponit, neque nudaret aliud, cum poneretur. Venit nunc in memoriam mihi lepidum *Socratis* in *Antisthenem* dicterium: quem cum ille lacero efferentem se pallio videret, [a] *Per pallii fissuras*, inquit, *Antisthenis video vanitatem*. Quis non cum hoc *Socrate* per tralucentem Serici telam turpissimarum mulierum videat mollitiem, obscœnitatem, impudicitiam? Mulier, quod in [b] *Candaule* didicit *Gyges*; cum tunicâ verecundiam exuit, & nudato corpore pudorem profanat. Sed cum magna omni tempore Gentium Ordinumq; in vestitu fuerit varietas, & ex illo sæpe non obscuro indicio animi mores colligantur, amabo te, *Neuhusi*, paulò nobiscum uberius, de *illâ corporis amiciendi ratione*, loquere. Et primò quidem, nisi visum tibi fuerit aliter, *Rem priscorum temporum Vestiariam*; tum *Vestium, ad conditionem moresque hominum significandos, rationem*, ex observationum memoriæque tuæ fide deprome. Rem operosam & difficilem petitis, Amici, *inquam*: quam tamen,

a *Laert.*

b *Herod.*

pro nostrâ necessitudine, ut potero, præstabo: sed ea conditione, ut, si opus fuerit, hærenti manum præbeatis, & fesso vicariam operam exhibeatis.

Res Vestiaria veterum. Nullus omnino Vestium esset cultus apparatusque, si perstitissent in suâ integritate primævi generis nostri satores, qui ante contractam pudendi sceleris labem nullo corporis amictu utebantur. Quorum similitudine ævi superioris Insania, deposito vestimento nudis corporibus vagabatur, omnes se priscæ perfectionis habere numeros arbitrata. Nuditas. Indorum verò & plerisque in America populis patrium est, nullo corpus obvelare integumento. Sed illi pudori suo barbariem possint obtendere; at sub quo delitescent verecundiæ velo *Babyloniæ Mulieres*:[c] quæ in conviviis, in primam solutę hilaritatem, summa quæque amicula exuebant. Tum profanato paulatim pudore, ima corporum velamenta projiciebant. Neque meretricum hoc dedecus erat; sed matronarũ virorumq;: apud quos comitas erat vulgati corporis vilitas. Nox hîc & Bacchus argui possent: quorum iste mentem; illa frontem non habet. At quid *Romanas Meretriculas* tam impudens impulit impudẽtia,[d] ut Floralibus ludis, præter verborum licentiam, quibus omnis effundebatur obscœnitas, in conspectu populi vestes exuerent, mimorumque

c Curt. l. 5. rer. Al.

d Lactãt. l. 2. c. 20. de Rel. falsa.

que fungentes officio, ad ſatietatem impudicorum luminum, pudendis motibus Theatrum detinerent? Quis verò quærat in Meretrice pudorem? *Lycurgus* verò & *Plato*, injuncta virorum fœminarumque in palæſtris colluctantium nuditate, omnem ab ingenuis corporibus pudicitiam profligarunt. [e] *Lerius* tamen, *dicebat E.*, de *Braſilienſibus* ſcribit fœminis, quod ab illarum nuditate, etſi formâ eſſent conſpicuâ, minus caſtitati ſuæ periculum fuiſſet; quàm à cultu Gallicarum delicato: quo non aliud ſæpe ad libidinem incendium eſt vehementius. Cultum Mulier ad vultum fingit ſpectantium: ut aut opes ſuperbè oſtentet ſuas, aut amores petulanter provocet alienos. Nullus veſtium eſt uſus, ubi conſpici non poſſunt. Ideoque *Socrates* cum *Xantippen* in publicum prodituram veſtem ſumere decentiorem videret, [f] *Hanc*, inquit, *non ſpectandi causâ, ſed potius ut ſpecteris habes.*

e *In deſcrip. Amer. c. 8.*

f *Aelian. de Var. hiſt.*

Vt luxurioſa veſtis, *inquam ego*, crimen habet: ita obſcœna corporum nuditas eſt probro. Quæ etſi Barbarorum condonanda eſt ſimplicitati; noſtris tamen moribus eſt indecora & noxia. Sed Barbarorum etiam multorum: qui ne in balneis quidem corporum pudenda renudarunt. Ipſi [g] *Gymnoſophiſtæ* in Indorum philoſophantes deſertis, cætera nudi corpore, genitalibus adhibent tegumenta.

g *Aug. l. 14. Civ. c. 17.*

Apud

h Alex. l.2.c.25. Apud [h] *Persas*, ac si immane admissum foret scelus, nudum conspicere hominem capite luebatur. Apud [i] *Romanos* nefas erat, parentem cum liberis, nepotes cum patruis aut avis, soceros cum generis communia habere lavacra. [k] Quorum Rex I. *Romulus* capitalem illi pœnam constituit, qui se nudum à fœminâ conspici pateretur. Quem postea [l] *Adrianum*, & [m] *Iustinianum* Impp. sequutos scitis: qui discreta viris fœminisq; balnea injunxerunt, & dote illos mulctarunt patrimoniali, qui communibus lavacris uterentur. Neque hodie quidem *Turcarum* patitur immanitas, ut aut in publico apertâ facie fœminæ conspiciantur; aut eodem cum viris lavacro utantur. Tanta Barbaræ Genti pudicitiæ est cura: cujus adeò studiosa fuit [n] *Polyxena*; ut ad aram mactata moriens magnam sollicitudinem haberet, quo decenter caderet, & celaret, quæ virorum oculos celare convenit. Idem in extremis [o] *Olympias* Alexandri M. mater, & [p] *Pantei* uxor Alexandriæ studiosè caverunt, cum præbito lictori jugulo ad moriendum se componerent. Et tantum quidem denudati corporis pudor apud [q] *Milesias* potuit virgines; ut cum nullo caveri remedio posset, quominus spontaneas sibi manus afferrent, hoc uno edicto compressus sit furor; quo sancitum erat, ut, quæ se occidisset, nuda per medium forum mediâ luce tra-

i Plut. in Catone.
k Plut. in Rom.
l L. ult. C. de Rep.
m In d. lege ult.
n Eurip. in Hecub.
o Sab. l. 7. En. 4.
p Plut. in Cleom.
q Gell. l. 15 c. 10.

ce tra-

ce traheretur. Quæ mortem malorum ultimum cõtemnebant, pudorem etiam in mortuo corpore curabant. In cujus ſocietatem laudis etiam venit[r] *I. Cæſar*: qui à conjuratis impetitus, cum cadendum ſibi videret, collectâ manibus togâ honeſtiſſime cadere ſtuduit. Cujus exemplo [s] *Maximilianus* I. moriturus præcepit; ut mox ſibi ſubligaculum indueretur, ne pudēda ejus poſt mortem quiſquam videret. *Cyri* ante ipſum eadem denudati corporis pudore mens fuit: qui agens animam ita filios dicitur compellaſſe: [t] *Si quis*, inquit, *veſtrûm aut dextram meam contingere, aut oculos viventis vult adſpicere, is accedito. Vbi me ſtragulis mortuum obvolvero, nolo quiſquam corpus meum contueatur.* Nunc inſtitutam, de veterum Veſtitu, ſermocinationem perſequar.

Perſarum erat inſtitutum laxâ fluidaque uti veſte, ex materia craſſiore: pro quâ [u] *Medi* pellucidam uſurpabant, capillo colorato, comâ protensâ, capite velato, circa collum monili, armillis circa manus. [x] *Babylonii* lineam ad corpus tunicam ferebant: cui laneam ſuperinduebant. Vtraque ad pedes demiſſa brevi cãdidaque penula circumdabantur. Singuli annulo ſignatorio ſceptroque affabrè facto effulgebant, comâ mitris obtectâ. [y] *Afrorum* peculiaris erat mos fluxa tunica & diſcinctos incedere: qui apud *Carthaginenſes* contemptus

erat

r *Suetom.*
s *Cuſpin.*
t *Xenoph. l.8. Cyrop.*
u *Cyrop. l.1. & 8.*
x *Herod. l.1.*
y *Alex. l.1.c.20.*

erat desidum habitus, cinctos ipsos ut militiæ essent habiliores. [z] *Germani* sagis velabantur, fibulâ spinâve consertis: aut libris arborum, magna corporis parte nuda. Locupletes ex ferarum pellibus strictam habebãt vestem, quæ singulos artus exprimeret. Inter eos [a] *Belgæ* hirsuto plerumque sagulo corpus operiebant: quod [b] *Gallis* etiam in usu fuit; sed scutulis divisum. [c] *Britanni*, cætera nudi, ventrem & cervicem ferro cingebant. [d] *Hispani* primò sagulum; mox cum populo rerum Domino togas & stolas accepere. *Cretenses* militari stolâ cum paterâ; [e] *Pontici* soccis & pallio; *Argici* clypeo inprimis delectabantur. *Græcorum* vestis pallium fuit ad calceos demissum: ut Toga Romanorum. Apud [f] *Scythas*, [t] *Sarmatas*, *Vangiones*, *Gallos* frequens erat Bracharum usus. Apud [u] *Arabas* & *Nabathæos* tunicarum cum subligaculis. Apud [x] *Indos* carbasorum, quæ miræ tenuitatis auro purpuraque distinguebantur. Variato tamen corporis vestiumque habitu, nostro etiam tempore, alii nudi agunt; nonnulli piscium ferarumve pellibus amicti sunt, aut versicolore pluma se exornant; pleriq; lino, multi lanâ vestiuntur: quidem in cultu corporis ita accurati, ut faciem coloribus gemmisque pingant, candidam vestem induant, armillis monilibusque decorentur. [y] *Troglodytæ* ex serpentium pisciumque coriis; [z] *Massagetæ* ex arborum cor-

z *Tacit. de mor. Germ.* *Cæsar l. 6.*
a *Strabo l. 4.*
b *Plinius.*
c *Herod. l. 3.*
d *Liv. D. 3. l. 2.*
e *Alex. l. 5. c. 18.*
f *Ovid. l. 5 Trist. E 8.*
t *Luc. l. 1. ph.*
u *Strab. l. 16.*
x *Curt. l. 8.*
y *Solin. c. 45.*
z *Strab. l. 11.*

corticibus; [a] *Mauri* ex leonum pardorumque tergoribus; [b] *Geloni* ex hostium cutibus amictum sibi faciebant. a *Strabo l. 17.* b *Solinus c. 25.*

Cutis coriique mentio *Pellium* ex Brutis animantibus subjicit mihi mentionem, Parentum nostrorum in paradiso gestamen. Misertus enim humanam nuditatem DEVS [c] tunicas ex ferarum factas pellibus hominibus injecit: ut illo præsidio aëris & tempestatum injuriam prohiberent, & pudorem obtegerent. Observata fuit illa vestiendi ratio posteris etiam temporibus: cum nondum perditis luxuriâ moribus simplex utilisq; majori in pretio esset amictus, quàm multo apparatu sumptuosus. Audite de *Sobiis Indis* Curtium: [d] *Sobiis pelles ferarum pro veste, clavæ pro telo erant.* De *Subesiis Indis* Arianum: [e] *Pellibus ferarum, quas venando occiderant, amicti, arborum foliis pascebantur.* Quod de *Aegyptiis* [f] Diodorus quoque Siculus affirmat. *Hunnorum, Scytharum, Gothorum, Sarmatarum, Germanorum* non alius, quàm ex pelle aut lino olim vestis fuit: magis tegendo corpori, quàm ostentando. De *Hunnis* Ammianus: [g] *Indumentis operiuntur linteis, vel ex pellibus sylvestrium murium consarcinatis.* De *Scythis* Iustinus: [h] *Lanæ iis usus ac vestium ignotus: & quia continuis frigoribus utuntur, pellibus tantum ferinis ac murinis utuntur.* De Lapponibus & Bothniensibus Olaus Magnus: [i] *Pretiosis utuntur pellibus:*

Pellea vestis.

c *Gen. 3. 21.*

d *L. 9.*

e *L. 8.*

f *L. 2. c. 1.*

g *L. 3.*

h *L. 2. c. 2.*

i *L. 4. c. 4.*

non ornatus tantum causâ, sed & necessitatis. Gothorum illam vestiendi consuetudinem magno suo malo vidit *Ovidius*: cum deploraret in Pōto vitam, quæ ipsi esset

----- pellitos inter agenda Getas.

k Trist. 3. E. 10. Qui [k] *Pellibus & laxis arcent mala frigora brachis.*
Affirmat idem Claudianus:

l De bello Get. [l] *Crinigeri sedêre patres, pellita Getarum*
Curia.

Et alibi:

m L. 2. Ruff. [m] *Nec pudet Ausonias curas, & jura regentem,*
Sumere deformes ritus, vestemque Getarum,
Insignemque habitum Latii mutare, togæque
Captivæ mærent pellito judice leges.

Quanquam Romanos etiam ipsos, sub Imperii Infantia, Pellibus usos attestetur *Propertius*:

n L. 4. E. 1. [n] *Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu*
Pellitos habuit, rustica corda, patres.

Subridebat hîc salse *Buttinga*, Et quàm, *inquit*, in crebro fuerint usu illæ ex pelle vestes *Germanis tuis*, Monachus ille rabula significat: qui *Auraicum principem* & Germanos milites pellea indutos veste, ridiculâ criminatione, *Pellitas nates* appellabat. Et tu hîc rides, *inquam*: Vetus ille virilisque Germanorum mos fuit: quem in illis probat [o] *Tacitus*: *Gerunt ferarum pelles, proximi ripæ negligentius, ulteriores exquisitius.* Quas Cæsar [p] *Rhenonum nominat tegumenta*, ex Etymo Ger-

o De moribus Germ.
p L. 6. bell. Gall.

Germanico Ründers, à Græco ῥῆνας. Neq; vilium de plebe hominum hunc fuisse habitũ existimate, quem Heroës principesque viri virtuti suæ ornamentum atq; insignia appenderũt. Clarè hoc in *Apollonio Rhodio* Scholiast. meminit: *σύνηθες τοῖς ἥρωσι τὸ δερματοφορεῖν.* Vnde de Camilla Maro:

q *Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ* q Aen. 11.
Tigridis exuviæ per dorsum à vertice pendent.

Et de alio idem, quem Leonis

r *Pellis obit totum, præfulgens unguibus aureis.* r Aen. 8.

s Claudianus Gothorum Senatum, *pellitam curiam*, Sidonius t *pellitos Getarum Reges* dicit: s Debel. Get. t Sid. Apoll. in Conc.

u ------ *Quibus ostro contempto, & vellere serum* u Prosper de provid.
Eximius decor est, tergis horrere ferarum.

Igitur *Diogenes*, cum videret hominem ignavum leonis exuvio magnificè incedere; x *Non tu desinis*, inquit, *virtutis stragulas pudefacere?* Quid, quod nostro tempore Cardinales & Imperii Electores à cervice ad pectus Ermelinas & Gebelinas tunicæ pelles injiciant, regio in publicum habitu prodituri. Nunc *rem Romanorum vestiariam* explicabo, magnum sanè intelligendis veterum scriptis adjumentum. x Laert. l. 6.

Toga peculiari Romanis in usu fuit, ut *Pallium* Græcis. Quo nomine *Virgilius*: Toga.

y *Romanos rerum Dominos, Gentemque Togatam;* y Aen. 1.

Macrobius z *Togatam stirpem*; Alii *Togatas Comœdias*, Romano ritu scriptas, ut *Palliatas* Græco, ap- z Saturn. 6.

co, appellant. Tamque initio tenaces istius moris Romani fuêre, ut [a] *Rabirio Posthumo* publicè objectum in judicio fuerit, quod ad gratiam Ægyptii Regis, sumpto pallio, posuisset togam. Et crimini datum à [b] *Fabio Scipioni*, quod cum pallio crepidisque Syracusis inambulasset. Etiam *Verri* à *Cicerone*, quod in Sicilia prætor pallio uteretur purpureo. Quam ferendæ Togæ consuetudinem cum aboleri suo tempore *Augustus* videret, abeunte ad Pænulas & Lacernas Vulgo, [c] negotium Aedilibus dedit, ne quem posthac in foro circove paterentur, nisi positis lacernis, togatum consistere. Cum Imperii dignitate Togæ dignitas obsolevit, in solis propemodum Senatoribus relicto ejus usu.

a *Cic. Rab.*

b *Livius.*

c *Sueton. in Aug.*

Erat verò illa corporis ex lanâ redimiculum, omnium ordinum, omnis sexus, temporis ætatisque gestamen, semiorbiculari formâ, interiori subjici tunicæ solita, à tegendo dicta, quod corpus exterius obtegeret. Publicum illa pacis lætitiæque insigne fuit, fori, apud Caussarum maximè patronos, habitus familiaris. Deponebat eam in urbe Prætor, de rei capite sententiam dicturus, ne publicus pacis lætitięque habitus aliquâ tristitiæ macula fœdaretur. In militiâ pro Togâ *Sagi* erat usus: nisi quod in castrensi otio Centuriones Equitesque toga etiam utebantur. In pueris puellisque Ingenuorum

nuorum

nuorum & Libertinorum, tùm in Magistratibus ac Sacerdotibus, ex purpurei ambitu limbi *Prætexta* dicebatur. Virorum in privatâ vitâ, ab exitu anni XVI. *Pura, Libera, Recta*; Ambientium, *Candida*; Lugentium, *Pulla*; Plebis, *Sordida*: quæ tamen sub Impp. abolito togæ usu, Pullo plerumque utebatur amictu.

Sed ecce hanc vobis *Tabulam*, in quâ omnem Romani ritus rem vestiariam uno videre intuitu potestis. Illic in summo pueros puellasque Toga amictos, cum ambitu purpureæ oræ, videtis? *Prætexta* est illa *puerilis*, qua nobilium liberos, cum aureâ de collo *Bullâ*, Tarquinius Priscus amiciri voluit. Libertinorum etiam liberis postea concessa est, hoc ab ingenuis discrimine, ut pro Bullæ decore scorteum in collo lorum gestarent. Deponebatur ea anno ætatis XVII. cum delato in Juventutis ædem denario, sacro Liberiæ die, qui erat 16. Kal. Apr. Toga sumebatur *Virilis*. Illi florente ætate Tyrones, jam emancipati Pædagogorum disciplinis, eam gestant, *Liberam*, *Rectam*, niveæ albedinis *Puram*, nullâ purpurâ prætextam. Isti sancta vultus severitate, demissisque luminibus, Magistratus sunt & Sacerdotes, cum *Prætextâ Virili*, summi honoris indicio. Quos in illo colle sedere conspicitis, vultu ad colligendam tribuum gratiam composito, cum *Togis eximiè Candentibus*, amplissi-

Vestis Romana Virilis.

morum munerum *Petitores* ſunt Candidati, ex edito loco intricata creta ſplendeſcente habitu, ut ab omnibus cognoſcantur. In obſcuro *Atrata Pullatorum* cohors funerum proſequuta exequias de amicorum interitu luget. In orâ paginæ extremâ vulgus infimorum civium de Circo maximo conſiſtit, cum *Togis ſordidis, longoque uſu obſoletis.* In eodem prorſus habitu capitalium criminum Reos, Reorumque cognatos videtis: qui depoſitâ nivei candoris togâ veſtem mutarunt. In ſecundo ordine Caſtrenſis ſtat Turba, brevibus ſuper arma *Sagis* accincta, ut in aciem egreſſa manus conſerat expeditè. Iſtic eſt *Gabinio cinctu* Fecialis, qui rejectâ in tergum togæ laciniâ, ejuſque ad pectus revocato amplexus ambitu, bellum hoſti indicturus progreditur. Sequitur Fecialem ducens in hoſtem Conſul, *Trabea* inſignis; quæ intertexto purpuræ albo Picta quoque Toga, & Palmata veſtis nuncupabatur: Triumphalis quoque, confecto bello, victoriæ inſigne. Qui proximo ſtant loco in ſimili veſte *Equites*, eo habitu Idibus Quintilibus tranſvehi ſolebant. Illis ſuccedunt *Augures & Salii* Sacerdotes, etiam Triumphalibus uſi Trabeis: ſed quæ ex purpura & cocco alternis effulgebant. Illic *Imperator* laurea redimitus corona, manu ſceptrum in decus Imperii ſpecimenque ingentis virtutis, purpuream intexto auro tuni-

tunicam oſtentat : quam ob reportatam ex hoſte victoriam *Palmatam* dixêre. Sub illa *Picta* effulget Tunica, ad picturæ ſimilitudinem inſignibus ex auro figuris relucens. Illi cum *Paludamentis* lictores ſunt, & Prætorii Milites, qui exeuntem in bellum Imp. mutata veſte comitantur. Paludamentum tamen militaris vulgo ornatus Imperatoria etiam eſt *Chlamys*, purpura, cocco, auroque diſtincta. Ibi civium Ordines in *Albis* Tunicis, quibus proximè ſupponitur Toga, viſuntur: quę priſcis Reip. temporibus breves ſubſtrictæque citra humeros & genua deſinebant. Invaleſcente luxu, ad talos & digitos demiſſa ſunt. Illæ, quæ *Clavis* intextæ ſunt purpureis, ampliſſimi honoris ſignificant gradum. *Lati Clavi* Senatoriæ; *Anguſti* Equeſtris dignitatis inſignia ſunt. *Subucula* interior eſt Tunica, quæ cutem attingit proximè. Extremo loco Impp. Provinciales ſunt Milites cum *Lacernis* & *Lænis* : & Mercatores peregrè profecti cum *Penulis*. Earum, extremis temporibus, in itinere atque expeditione, adverſus imbres erat uſus. Pereunte Romanæ dignitatis Toga recepta ſunt in urbem illa peregrini moris veſtimenta, ſenatoribus etiam & oratoribus uſurpata, liberis ſerviſque indiſcreto veſtium habitu oberrantibus.

Ad inferiorem paginæ partem *Muliebris veſtium apparatus* delineatur: quem errante etiam *Veſtis Romana Muliebris.*

 oculo,

oculo; si quis fœminei vobis amor & cura est sexus; legamus. Ecce *Romanam* vobis *Matronam*, integra forma famaque, cum omni melioris fortunæ cultu. A capite ad calcem calceosque viraginem lustremus. Pexi compositique in decentem ordinem crines. *Vittæ* vinculo constringuntur; ne dissoluti huc illuc fluant, & in frontem humerosque sine lege ac modo dispergantur. Vertex aureo innectitur *Redimiculo*: pro quo alias *Calantica* in humeros demissa; alias ex sindone *Plagula* & *Rica* sumebatur. In ipso crinium contextu, supra tempora, *Acus* prominet aurea: qua scalpitur innoxio capillamento caput, & in cirrum contorquetur crinis. Ad sinistrum brachium pendet *Flammeum*: quo boni ominis causa velari nubentes solent. Pectus à collo apertum *Strophio Fasciisque* Mammillaribus succingitur: quę in virginibus papillarum tumorem cohibent, & toros humerorum luxuriantes castigant.

d Te. Eun. Act. 3. sc. 3.

[d] ----- *quas matres student*
Demissis humeris esse, vincto pectore, ut graciles siet.

In cæteris, neglectis Pectoralium nodis,

e Ovid. l. 1. Rem. Am.

[e] ----- *omne papillæ*
Pectus habent tumidæ.

Pectori infra mammillas imposita est *Aegis*, cum capite Gorgonis in medio, validum, ut putatur, alliciendi amoris præsidium.

Sæpè

[f] *Sæpè, ut sit, quod ames, inter tàm multa requiras,* f Ov l.1. R.A.
Decipit hac oculos Aegide dives Amor.

Corpus reliquum dejectâ ad talos obvelatur *Stolâ*: cujus imam partem *Instita* ambit limbus.

[g] ----- *Subsutâ talos tegit Instita veste.* g Hor.1. Serm. Sat.2.

Stolam promissa operit *Palla*, ita dicta, quod palliet obveletque vestem inferiorem, & palàm feratur. Sub Stola est *Tunica*, & proximè ad cutem *Indusium*: cui Puellæ ex linteo *Supparum* injiciebant. Ad pedes *Penula* jacet, quæ ad arcendum frigus & pluviam in itinere induitur. Et in proximo *Zona*, qua pręcincta fuit nupta, à marito soluta connubiali die. Pedes *Socculis* muniuntur, qui fasciolis adstricti, ad ponenda securè vestigia plantis sunt præsidio. Quam illic in *Toga videtis fœminam*, *Capite Mitrato*, Prostibulum est publicum, vulgato corpore quæstum faciens. Fuit olim Toga, [h] *Varrone* dicente, commune vestimentum, & diurnum & nocturnum, & muliebre & virile. h Lib.1. de vita pop.R.

[i] *Et teges, & cimex, & nudi sponda grabati,* i Mart. l.11. Ep.57.
Et brevis, atque eadem nocte dieque toga.

Hoc tamen plerumque cultus discrimine à pudoris projecti fœminis distinguebantur Matronæ, ut istæ Stolis cum Instita vestirentur; illæ pullis Togis. Legite subscriptum ex [k] *Martiali versum.* k L.2. Ep.39.

Coccina formosæ donas & Ianthina Mœchæ:
Vis dare, quæ meruit munera? mitte togam.

l Lib. 1. Sat. 2. Et ex [l] *Horatio* ſenſu eodem:

------quid inter-

Eſt, in Matrona, Ancilla pecceſve Togata.

Mitra quoque Calyptræ ſpecies erat, meretricii magis, quam matronalis capitis tegumentum. Teſtatur hoc *Iuvenalis*:

m Sat. 3. v. 66. [m] *------pictâ lupa barbara mitrâ.*

Credo, quia mollium Phrygum & Lydorum Bacchantiumque fuit habitus, pendentibus in buccas tęniis, quæ ſub mento redimiculo conſtringebantur. Probroſum viris erat mitra obvelari: ut *Hiarbas* non immerito Aeneæ objecerit,

n Aen. 4. [n] *Mœonia mentum mitra, crinemque madentem*

Subnixus.

Ordinum Inſignia. Nunc iſtam, ſi placet, Tabulam inſpicite, *Dignitatum Ordinumque apud Romanos atque Exteros Inſignia* deſcribentem. Illic in ſublimi Majeſtatis ſolio *Reges* effulgent verticibus faſtigiatis. Indi diſtinctam gemmis ex auro Mitram, Medi Tiaram & Cydarin cum faſcia cærulęa, Perſæ Anaxaridem Pallamq; auro diſtinctam, Aſſyrii Tiaram diademate obvolutam, Ægyptii diadema Aſpidis imagine ſignatum, Æthiopes ſceptrum Aratri forma, Syri ſceptrum & ſtolam, Mauri purpureum Sagum, Numidæ candidam in fronte Vittam, Phœnices cãdicans diadema, Macedones Chlamydem, Cæſares diſtinctam radiis Coronam, Turcæ

Lunam

Lunam falcatam oſtētant. Iſtic deaurato ſublimis curru Triumphans vehitur Imperator, togam ſuccinctus Palmatam, aureis intextam ſideribus, auream in capite Coronam, dextra eburneum ſceptrum, ſiniſtra Laurum geſtat. Ibi ex Philoſophorum familiis Diogenes Baculo & perâ; Crates mantica & ſordido pallio; Pythagoras toga alba & Corona aurea; Ariſtippus Chlamyde; Menedemus Lampſacenus Arcadico Pileo XII. Elementis intexto, cum prolixa Barba, & tragicis Cothurnis; Dion Pruſiæus exuviis Leonis; Agatho Athenienſis Lupina pelle; Ariſtoteles tonſa coma, digitis auro redimitis; Gorgias purpura; Hippias ſuis manibus elaborata veſte; Antiſthenes & Zeno lacero pallio; Ariſtides trita lacerna; Socrates vili ſtola viſendus. Supra illos in Sellis Curulibus, Regia dignitate, Conſules, Prætores, Quæſtores Romani, cum Prætexta Toga, & Tunica Laticlavii ampliore conſident. Vlterius candida textilis telæ conſpicuus

° ----- *Puraque in veſte Sacerdos* ° Æn. 12.
Setigeræ fœtum ſuis, intonſamque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.

Hîc Aaronicus Pontifex cum Ephodi ſupparo, cunctis coloribus auroque & gemmis interſtincto eminet. In iſtis ſubſelliis Lupercales, Potitii, Pinarii, Arvales, Augures, Pullarii, Tripudiarii, Haruſpices, Curiones, Titii, Fla-

mines, Vestales, Salii, Feciales, Rex sacrorum, Pontifex Maximus: & tot Deorum Dearumque apud Romanos Sacerdotes, cum vario vestium apparatu conspiciuntur.

Quorum nunc in locum coccineo sublimis jumento *Regina fornicationum mater*, cum Monachalibus Coronatorum capitum locustis successit. Adspicite monstrosi habitus Larvas formidabiles: Camalduenses alba toga sine calceis; Hierosolymitanos cinerea cuculla cũ cruce pectorali; Vmbrosovallenses cærulea, Beluacenses nigra, Carthusianos alba, cum Cilicio ad cutem: Cistercienses supra nigram tunicam indusio candido; Præmonstratenses, molitorum instar, veste à capite ad calcem alba; Templarios & Calvatrenses in albo pallio cruce rubra, Ioannitas in nigro alba, Purgatorios in cinereo alba, Constantinopolitanos in rubro flava, Speculatorios in albo nigra. Succedunt longo ordine Gerundini mitrati, Wilhelmitæ saccati, Dominicani & Carmelitæ albi nigri, Franciscani cinerei, Humiliatorii candidi, Gladiatorii ensati, Cælestini cærulei, Jesuitæ caputiis ad ranæ capitis similitudinem quadratis. Claudunt agmen varia mirabiles veste Fratricelli, Begoardi, Crucigeri, Nollardi, Salvatorii, Forpiciferi, Clavigeri, Stelligeri, Flagellarii, & infinita Vestalium Beguinarumque vermiculatio, tam diverso habitu:

Quàm

Quàm variis Volucres diffindunt aëra pennis;
Quàm variis Pisces percurrunt æquora pinnis;
Quàm vario in pratis effulgent lumine Flores.
Quas inter triplici Phrygiam diademate Mitram
Et geminum attollit Rex Septimontius Ensem:
Succedunt Mystæ Patres, queîs Infula rasum
Obvelat Vittata caput: tenet ardua curvum
Dextra Pedum: lucent Beliali stigmate Frontes.

In extrema ora moris ignoti videtis Vestem, Tarantinidium Tarentinorum, Creticum Cretensium amiculum, Sardoum, Phrygium, Theræum ferarum pictum imaginibus, Casiacum, Diphteram, Sisyn, Saraballam, Paragaudas, Caracallas, Caligulas, Cyrbasiam, Capyrin, Mandyan, & tot diversi coloris indumenta, quibus suus quemque mos & libido investit.

Exclamabat ad hanc Vestium Nomenclaturam *Echtenius* cum *Socrate*, abundantes in foro venalium rerum merces intuente: *Hui! quãtum hîc est rerum, quibus non indigeo.* Verecundia obvelando pudori; necessitas depellendo frigori unam simplicemque vestem invenit. Hominum libido & superbia prodigam immensi sumptus pudendique habitus copiam excogitavit. Non Columbis & Pavonibus ita versicolores sunt plumæ: non magis diversos in habitus Chamæleon variatur: non in plures formas Polypi transeunt: quàm distinctos *Luxuria Vestiaria.*

vestium

vestium habitus humana levitas assumit. Ille audit togatus, iste braccatus, hic palliatus, alius sagatus. Multi mastrucati, tunicati, trabeati, chlamydati, vittati, mitrati, paludati, prætextati, manicati: Sunt, quibus lacerna, læna, penula, stola, ricinium, patagium, conchyliata, undulata, virgata, palmata vestis in usu est. Qui pileis, cucullis, infulis; qui pullo, candido, sordido, herbido, phæo, prasino, cyaneo, flammeo, cillio, xanto, coccino, hyalo, albo, nigro delectantur. Nullum luxuria sumptui, temeritas varietati modum ponit. Crescit variaturque indies serpens insania, ab extremis Orbis Barbaris monstrosorum habituum ludibria mutuata. Videas passim viros mulieresque prodigo & prodigioso sese habitu ostentare, transmarina veste patriæ consuetudinem damnare, comptis ad fæminarum mollitiem capillis sexum mentiri, profuso corporis cultu censum classemque simulare. Nullo discrimine divitem à paupere, senatorem à plebeio, doctum à rustico, virum à fœmina dignoscas. p *Diogenes* comptulo Adolescenti, cum quæstiunculam illi proponeret: *Non respondebo*, inquit, *quàm sublatis vestibus ostenderis, utrum masculus sis, an fœmina*. Ita profectò dubius incertusque est nostratium hominum in vestiendo corpore cultus, ut, Nobilemne videas, an Mimum: Doctorem, an Fatuum: Dominum, an Servum:

p *Laert. l.6.*

Servum: Matronam, an Scortum, neſcias.

Major ſanè priſcorum fuit in ornando colendoque corpore frugalitas: quas inter principes generis humani parentes nudi principio in paradiſo oberrarunt: admiſſo flagitio carnem jam morti obnoxiam ficulneâ fronde, & tenuibus ex pelle lacernis obtexerunt. In quo vitæ cultu veſtiumque vili apparatu poſterioris ævi mortalitas multis perſtitit ſæculis: indignum rata in tot natum miſerias corpuſculum luxurioſe veſtire. Fregit illam modeſtiæ legem poſterorum inſolentia: quando aucti opibus mortales luxuria diffluere, ac ſuperbo corporis cultu fortunam oſtentare cæperunt. Sanctorum tamen ſapientiumque natio dignam ſemper profeſſione ſua moderationem adhibuit, ab animi magis, quàm corporis cultu decus quærens. Ita divini Patriarchæ ac prophetæ, & devotæ DEO Mulieres vixere, nõ ambitioſa veſtium pompa; ſed pulcherrimis virtutum ornamentis effulgentes. Quorum exemplo præcipua inter omnes mortales dignitate *Baptiſtes* [q] cilicinam ex camelorum pilis veſtem pellicea zona corpori adſtrinxit. Placuit frugalitas illa *Chriſto Servatori*, [r] qui ablegatis ad Euangelii prædicationem Apoſtolis ſuperfluæ veſtis uſu interdixit. Pudeat ſuæ ſuperbiæ illos, qui non cogitant Eccleſiam ab illis fundatam olim in paupertate gloriantem,

Priſcorum moderatio.

[q] *Matth.* 3.4.

[r] *Luc.* 9.2.

poſt-

postquam cumulari divitiis ceperit, virtutibus decrevisse. Regum etiam sapientiumque apud Ethnicos laudanda est in apparatu vestium moderatio, multis plebeiam in cultu corporis tenuitatem non excedentibus. Eorum [f] *Augustus* Cæsar, tantarum opum possessor, non temerè aliâ, quàm domesticâ usus est veste, ab uxore, & sorore, & filia neptibusque confectâ. [t] *Vespasianus* ita neglecto fuit corporis habitu; ut vix à gregario milite differret. [u] *Tacitus* & *Severus* Impp. non aliam in Imperio; quàm in privatâ vitâ vestem usurparunt. [x] *Aurelianus* Imp. Holosericam Vestem neque ipse unquam sumpsit, neq; alios usurpare permisit. Quam cum virgini filiæ permitti uxor rogaret, *Absit*, inquit, *ut filia & fila auro pensentur.* Cujus modestię [y] *Carolus M.* patrio Teutonum habitu, qui parum à vulgari differret, se vestivit. Quod cum *Alphonsus* Arragonum Rex sequeretur, admonitus à quodam, ut regio insignis ornatu incederet, [z] *Malo*, ait, *moribus & auctoritate subditos præcellere; quàm diademate purpuraque.* Eadem *Agesilao* Laconum Regi mens fuit: qui cum Ægyptiis ob tenuem corporis cultum in contemptum venisset, [a] *Majestatem dignitatemque regiam non vestium splendore; sed prudentiâ & fortitudine parandam censuit.* Non concessit hanc hosti Laconi laudem [b] *Epaminondas* Thebanus: qui cum unicam tantum haberet vestem,

f Sueton.

t Alex. l.5.c.18.

u Idem.

x Sab. l.6.E.6.

y Avent. l.4.

z Aen. Sylv de dictis Alph.

a Plut. in Lacon.

b Ael. l.6.v.h.

veſtem, ob alterius indigentiam domi ſe continebat, quoties illa reſarcienda, aut emaculanda eſſet. In eodem genere laudis Athenæ ſuum efferunt [c] *Phocionem*: qui cum nudis plerumque pedibus incederet, intenſo hyemis frigore, *Phocion calceatus eſſe*, dicebatur. Simili moderatione [d] *Lycurgus* pallio per totum annum uno; [e] *Cato Cenſorius* toga non majoris, quàm c. drachmarum pretii; illius pronepos [f] *Vticenſis*, ſine calceis, ſine tunica, ſola accinctus toga; [g] *Crates* & *Zeno* cum tenui pallio in publicum proceſſere. Quis putaret Fœminas, ad curam culturamque corporis ſtudioſiſſimas, hanc quoque laurum merere? At meruit *Phocionis uxor*: [h] cui cum hoſpita Ionica mundum muliebrem oſtendiſſet, *Mihi*, inquit, *Mundus eſt Phocion meus, jam vigeſimum annum dux Athenienſis.* Meruit *Philonis uxor*: [i] quæ, cur ſine aurea corona foras iret, rogata, *Vxor*, reſpondit, *ſatis magnum in viri virtute ac laude habet ornatum.* Meruit, apud Romanos, [k] *Sarranæ* & *Quintiæ* familiæ muliebris ſexus: cujus illa nunquã lineâ veſte ob mollitiem & luxum; iſta nunquam auro uſa fuit. Meruêre complures Chriſtianorum fœminæ: quæ, [l] ex Apoſtoli præcepto, non cincinnis, non auro, non veſtitu pretioſo; ſed verecundiâ, caſtitate, pietate ſe ornarunt.

c *Sab. l. 2. c. 8.*
d *Plut.*
e *Plut.*
f *Plut.*
g *Laert.*
h *Plut. in Ph.*
i *L. Vives l. 2. Chriſt. fœm.*
k *Plin. l. 33 c. 1.*
l *1. Pet. 3. 1. Tim. 2.*

Ita ſanè eſt, *referebat ad hunc ſermonem*, ut dicis,

cis, E. Nullum luxurians noſtrorum hominum opulentia ornando corpori modum aut rationem adhibet. Eiſdem ſuperbię exuviis paupertina humilitas, ac divitum copia inſoleſcit. Si feſtos & nundinales noſtratium adſpicias ornatus, non vilem à mercenariâ tabernâ Sutorem, à primario civitatis Viro; non turpem ab aratro Ruſticum, à præcipuæ dignitatis ſapientiæque Nobili dignoſcas. Si in Virginum Iuvenumq; genialem venias cœtum, non homines, ſed ſimias in purpura, quod ajunt, & *Λίβυκα ὄρνια*, aut picturatos concharum teſtis plumiſque *Margaiates*, & *Tovoupinambaultios* putes te videre. Plumæ verticales animi levitatem, cirri cincinnique aſperos mores, colorum varietas fatuitatem, barbari ritus fiſſuræ ferociam, ſerica mollities laſciviam, aureæ colli manuumque compedes aſpera in viros imperia. Operoſa corporis totius cultura latentes intus mendas loqui videntur. Neque coërcet quidem profuſam in Veſte luxuriam aut caduci corporis cogitatio; aut graviſſimarum calamitatum preſſio; aut piorum ſapientiumque moderatio; aut priſcarum legum ſanctio: quæ immoderatum corporis cultum prohibuerunt. Lata Romæ ſub Coss. *lex Oppia* fuit: ne fœminæ operoſius ornarētur. Cautum de-
m *Tacit. l.2. ann.* creto à [m] Q. *Harterio*, viro Conſulari, ſub Tiberio Pr. ne virum veſtis fœdaret, quod interdictum

ctum antea fuerat ab [n] *Augusto.* [o] *Aurelianus,* [p] *Tacitus*, [q] *Gordianus* Holosericæ; [r] *Theodosius* conchyliatæ vestis usum viris ademit. Neque prisca tamen ætas hanc luxuriæ maculam à suo nomine poterit abstergere: cui æque insanum, ut nostræ:

n Xiphil. in Traj.
o Zonoras T. 3.
p F. Vopiscus.
q I. Capit.
r L. 4. Cod.

Vestis adornatæ studium, minimeque viriles
Munditiæ, compti vultus, onerique vel ipsa
Serica.

Laudamus *Sumptuarias Veterum Leges*; neque cogitamus quidem illis etiam temporibus in eâ parte morbum fuisse, cum ad publica hæc remedia decurrendum. Prædicatur Romanorum in Vestibus frugalitas: quæ contenta nativi coloris lanâ, Sericum, Holosericum, ipsa Lintea serò timideque paucorum quidem in usum receperit. Illi tamen etiam, [s] *Seneca* teste, levitate ac politura corporum bonos mores extinguebant. Muliebres mundicias antecedebant, colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri sumebant. Illi; [t] *de Iuvenibus Seneca pater loquitur*; in nullius honestæ rei labore vigilabant. Cantandi saltandique obscœnis studiis effœminabantur. Capillum frangere, & ad muliebres blãditias vocem extenuare, mollitie corporis cum fœminis certare, immundissimis se mundiciis excolere, adolescentiæ specimen erat. In illa Gente

Priscorũ in veste luxus.

s L. 6. nat. quæst.

t 1. Cont.

u Propert. [u] *Matrona inceßit censu induta nepotum.*
x Seneca. [x] Quæ bina ac terna patrimonia auribus singulis appendebat. Cui

y Manil. [y] *Perque caput ducti lapides, per colla, manusque,*
Et pedibus niveis fulgebant aurea vincla.

z Plinius. [z] Neque enim Romanis fœminis gestare jam margaritas, nisi calcarent, ac per uniones etiã ambularent, satis erat. In illâ *Lucullus* Prætori centum chlamydes in spectaculi usum postulanti ducentas purpurei coloris, ex immenso
a Solinus. κειμηλιῶν acervo, dari jussit. In illâ, [a] *Caii principis uxor Paullina*, quadringenties H S; h. e. *decies centenis millibus Philippicûm*; tunicam gestavit. In illâ [b] *Verres* talari tunica, pallioque amictus purpureo jus dixit. [c] *Lentulus Spinther* bis tincta purpura lasciviit: [d] *Caius Princeps* & *Nero* nullam bis vestem induit. In illâ diversarum eodem die vestium, magno quidem luxuriæ documento, usus erat: *Domestica* intra parietes; *Forensis* in negotiis; *Cœnatoria*, quam Martialis Synthesin, Persius Lænam hyacinthinã, Plautus malacum Pallium nominat, in conviviis. Summis effertur laudibus Philosophorũ in cultu corporis modestia. At refellunt illam Platonis superbia Diogenis pede conculcata, Socratis exquisitæ mundiciæ; Pythagoræ corona, Aristippi chlamys, Aristotelis anuli, Demosthenis μαλακοὶ χιτωνίσκοι, Parrhasii pictoris purpura, Democratis habitus muliebris,

b Cic in Verr.
c Alex. l.5.c.18.
d Sueton.

bris, veterum Athenienſium Corymbi & aureæ in crinibus Cicadæ: quibus addo *Alexandri* Regis Perſicam togam, *Demetrii* ſoleas auro litas, *Antiochi* militum aureos in crepidis clavos, & argentea ad uſum culinæ vaſa. Quid de *Sybaritarum*, de *Perſarum*, de *Lydorum*, de *Tarentinorum*, de *Sardanapali*, *Cleopatræ*, *Heliogabali*, *Caligulæ* dicam luxu? qui cum veniâ peccant, ubi viri ſapientes ſtruunt gradum.

Sed nimis jam, ut opinor, varia multiplexque veſtienti conſuetudo nos detinuit. Scire quidem cupiam, *quid in ſe divini habeant illa* corporum integumenta, & quarum rerum indicia faciant: cui, te quæſo, *Neuhuſi*, pro ſolita tua humanitate accinge.

CAPVT IV.

De veſtium ſignificatione.

HIc tum ego. Variæ veſtium ſunt Notæ, multarum rerum in illis veſtigia deprehenduntur. Quorum alia *ad ſignificandam fortunæ conditionem, pro diverſa hominum conſuetudine, Vtentium conſilio arbitrioque proponuntur*: Alia, *quæ animi præ ſe ferunt indolem, tacita Videntium conjectura proſpiciuntur*. Ego morum in Veſtibus indicia explicabo, ſi primò *Kniffius* noſter *Civiles fortunæ ordinumque Notas*, ut eſt multæ in ſcriptis veterum lectionis & uſus, in medio poſuerit. Extra jocum, *inquam*, K: ſubleva me

in hoc onere, & meam vicem de Arbitrariis illis ſumptarum veſtium notis dicito.

Non vereris quidem tu, *Neuhuſi*, reſpondebat K. ut, dum cum [c] *Themiſtocle* duos ad me adducis Deos, *Vim* & *Suaſionem*; ego cum Andriis duas tuis Diis magnas opponam Deas, *Inopiam* & *Impoßibilitatem*? Experiar tamen, quid poſſim, agamque pro viribus, ut voluntati tuæ ſponte magis paruiſſe, quàm vi ſuaſuve ullo in me tibi opus fuiſſe videar. Tu, ſi hæſero, manum porrige, & labantem attolle. Atque ut à Regiæ Dignitatis incipiam faſtigio, illi coronati capitiûm apices ſummæ dignitatis eminentiam; *purpura* auro intexta præcipui honoris ſplendorem; palmata toga victoriam; *paludamentum* geri cæptum palam bellum; *cinctus Gabinus*, rejecta in tergum ſubter alas toga, bellum hoſti denuntiat. Ingenuorum liberi, *Tarquinii Priſci* inſtituto, auream, cordis ſpecie, [h] *Bullam* in pectore geſtabant: ut eam inſpiciẽtes ita ſe demum homines eſſe cogitarent, ſi corde præſtarent, & recto in omnibus rebus conſilio uterentur. Addita Bullæ fuit *Prætexta* Toga, ora limbo purpureo fimbriata: ut ingenui pudoris ruborem decentiſſimum puerorum ornamentum eſſe cogitarent. Illa pueris ingenuis in tirocinii uſque annum; virginibus in nuptialem diem uſurpabatur. Philoſophi priſci intonſo capite ac promiſſa in pubem

c *Plut. Th.*

Indicia fortunæ arbitraria.

h *Plin. l. 33. c. 1.*

Macr. l. 1. Sat. c. 6.

bem barba, baculo peraque inſignes, horridos & incultos prę ſe ferebant mores: ut indictum voluptatibus odium & fluxarum in mundo rerum contemptum deſignarent. [i] Athenienſium vetuſtiſſimi luxuriantem comam aureis Cicadis colligebant: ut illo argumento ſe mortalium primos, & ſine origine probarent. Romanorum [k] Patritii Calceos *dimidiatæ Lunæ effigie* inſigniebant: ſive ut ad Arcades Proſelenos genus ſuum referrent; ſive ut dubias humanarum rerum vices, ad varii ſideris formam, oſtenderent; ſive, quod potius reor, à novitia nobilium natione ſe diſtinguerent, à c. Conſcriptis à Romulo Patribus origine ducta. Calceamenta illa Lunulata præcipuæ Nobilitatis erant argumentum: ut, qui genus jactarent inſolentius, nullo virtutis aut eruditionis præſidio muniti, habere nobilitatem ſuam *in talis* dicerentur. Alludit Poëta:

i *Apul. l. ult. aſin.*

k *Plut. probl. Rom. c.76.*

-----[l] Et nobilis & generoſus
Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.

l *Iuv. Sat.7.*

Et alius: -----[m] *Patritia clauſit veſtigia Luna.* m *Stat. l.5.Sil.2.*

Etiam [n] *Martialis* de veſtitu patritii civis ait, n *L.1. Ep.50.*

Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga,
Olidæve veſtes murice.

Calceo affinis eſt *Caliga*, tibiarum caſtrenſe tegumentum, plebem militum, quæ nondum militiæ acceperat gradum, à Tribunis & Præfectis diſtinguens. Hinc Marium *Seneca* à *ca-*

ligâ veniſſe ad conſulatum, dicit. Et Ventidium, *Plinius, inopem juventutem in militari caliga toleraſſe.* Quo vulgi caſtrenſis habitu cum Germanici F. apud hyberna Legionum in Treviris natus, parum ambitiosè uteretur, militari joco, *Caligulæ* traxit nomen. Digniorum tamen Militum Caligæ aureis argenteiſque diſtinctæ erant clavis: unde *Clavatæ* dicebantur. Præter quas etiam erant Faſciatæ, Gemmatæ, Sacerdotales, certi honoris indicium præbentes. Pictoris licentia duas enormi magnitudine Caligas appinxit, unam *Maximini*, alteram *Epicratis*: quarum illa prodigâ corporis mole hominem; iſta orationem redundantẽ notat. Vt Calceorum *Lunulæ* Nobilitatis; ita *Cingulum* in Viris dignitatis erat indicium: quo donari dicebantur, qui ad illuſtrem honorem promovebantur; ſpoliari, qui magiſtratu dejiciebantur; ſine cingulo eſſe, qui nullo publicè munere fungebantur.

Gladius in eo & militiæ geſtari honor dignitaſque antiquitus; ut noſtris quoque moribus; ſolebat. Bullæ iſtæ ex auro ſunt, fortunæ ac gradus honoratioris notæ. Quibus additæ interlucent gemmæ, ut ſpecioſior eſſet ornatus. Notat hoc *Corippus* l. 4. de laudibus Iuſtin.

Nobilibus gemmis & cocto lucidus auro
Baltheus effulgens lumbos præſtrinxit heriles.

Quod

Quod adeò neceſſarium erat Militiæ ornamentum, ut ejus geſtatio Militem; ademptio exauctoratum, & ignominioſa miſſione excedere juſſum caſtris deſignaret. Itaque Imperator, interfecto *Pertinace*, cohortibus, quæ ſigna amiſerant, hordeum dari juſſit, centurioneſque manipulorum *diſtrictis gladiis diſcinctos deſtituit. Herod.* l. 2. *Auxentius* verò juſſus à *Licinio* uvam ad Bacchi pedes deponere, cum id recuſaret, quod Chriſtianus eſſet, & *ſolvere zonam* juberetur; ille hoc promptè fecit, alacerque palatio exceſſit. *Suidas in Aux.* Quo reſpexit Claudianus:

Eripe calcatis non proſpera cingula Muſis.

At Maro *diſcinctos Afros*: h. e. militiæ inhabiles & ignavos dixit. Quod Horatius *diſcinctos Nepotes*: Ovidius, *ſegnes diſcinctaque in otia natos.* *Pileus* verò libertatis præbet indicium, quem raſo capite manumiſſi gerebant. Hinc *M. Bruti* ſtatuis pileolus addebatur, cum pugiunculis duobus, ipſius maximè operâ reſtitutæ libertatis argumento. Quo exemplo ſacri Fœderis Belgæ aureum eodem ſimulacro Nummum inſcripſerunt, populo ad pileum vocato.

Vt pacis *Toga*; ita *Sagum* belli præbebat indicium, militari Romanorum more armis ſuperindui ſolitum. Ideò ad [o] *Sagum* ire, [p] *Sagum ſumere*, [q] *in Sagis eſt civitas*, pro militari apparatu, Orator noſter accipit. Quo ſenſu Virgi-

o *In Ant.* 14.
p *In Ver.* 7.
q *In Ant.* 8.

r Aen.8. lius,[r] *Virgatis lucere sagulis*; Livius, [s] *militari coo-*
s 1. Bell. Pun. *pertum sagulo*; Silius,[t] *fulgentis honorem sagi*, dixit.
t L.17. 107. De Toga verò Cicero ait, quod [u] *pacis sit insigne*
u 3. De Orat. *ac otii.* [x] Ad quam *à Sagis redire civitatem* dicit,
x Philip. 14. quoties depositis armis pacis studia sequeretur. Toga Romanorum moris promiscui *virilis Alba* erat, nempe ex nativi coloris lanâ, communis omnium civium vestis: quæ primo Tirocinii induta die Tironem Romanum de præstanda vitæ integritate monebat. Vnde *Pura* quoque dicebatur: quod neque maculis ullis fœdata, neque purpurâ prætexta, omnem famæ cavendam turpitudinem injungeret. Eadem ab ingressu virilitatis, *Virilis*; à concessa honestarum rerum libertate, *Libera* nomina-
y In Sylv. batur. Hinc Statius,[y] *albentem amictum*; Persius,
z Resurr. *candidum umbonem*; Tertullianus, [z] *albæ vestis nitorem*; Iuvenalis, *niveos ad frœna Quirites*; Martia-
a 3. Fast. lis, *album urbanis in officiis*; Ovidius,[a] *vitæ liberio-*
b ad Att. l.9.191. *ris togam*; Cicero,[b] *puram Tironi togam dare*; Lu-
c 7. Phar. canus, [c] *togam puram & venerabilem*; Catul-
d Epigr. 66. lus,[d] *vestem candidam*, de eodem accipiunt. Alia fuit ab insito Albedinis colore *Toga Candida*: quæ, Petitorum nota, fullonum arte ex injectâ cretâ splendebat: unde *Candidati* dicti, qui cum amicis ad Comitia venerant, & circuitis tribubus, prensatisque singulis, magistratus
e L. 7. c 34. ambiebant. Ex eo, *Cretatâ duci ambitione*, Persius; [e] *Nasicam in togâ candidâ bis repulsa notatum*,

Plinius;

Plinius; [f] *Candidatum Principis*, Suetonius; [g] *Candidatum gloriæ & immortalitatis*, Plinius; *Tribunitios, Prætorios, Consulares Candidatos, & illorum officiosissimam nationem*, Cicero dicit. *Sordida* verò albi erat coloris; Sed diuturno usu obsoleta, & maculis sordibusque squallida. Paupertinæ illa plebis erat, cui copia non erat vestis mutandæ; & Reorum, ut miserabilis fortunæ cultu populum commoverent. Inde Seneca Vulgus hominum [h] *Sordidam coronam* appellat; Horatius, plebeium Catonis habitum, [i] *Exiguæ togæ tesquorem*; Cicero homines egentes, [k] *Sordidos*, & [l] *Sordem fecemque urbis*; Livius, [m] *Sordido loco ortos*. De Reis verò *Quintilianus* meminit, [n] quod illorum sordes, & squallores, & propinquorum similis habitus magnum sæpe ad salutem momentum attulerit. Atque hoc erat *vestem mutare*, cum depositâ fortunæ melioris veste nivei coloris lætâ, ad commovendam populi misericordiam, toga sumebatur plebeia, & decotis, flocco jam detrito. Pro illa posteriorum temporum plebeia humilitas *Pullam* sumpsit togam, coloris atri; quæ sumptuosâ incretandi & emaculandi operâ non indigebat. Hinc pro vili atque imperita plebecula, [o] *Turbam pullatam*, & [p] *Circulum pullatum*, Quintilianus; & *pullam paupertatem* Calpurnius appellat. Libera adhuc Roma suique potens pullam in luctu vestem induebat: à cujus

f *In Augusto.*
g *Panegyr.* 107.
h *Ep.* 115.
i *Ep.* 19. 10.
k 3. *de Fin.*
l *ad Att. l.* 11. 1.
m 2. *bell. Pun.*
n *L.* 6. *c.* 2.
o *L.* 8. *c.* 4.
p *L.* 2. *c.* 12.

uſu *Atrati*, & *Colorati* nuncupabantur. Quo habitu diſcumbere in conviviis nefas erat. Propterea *Vatinio*,[q] quod in epulo Q. Arii atrâ in veſte accubuerat, Cicero crimini dedit: quippe depulſo animi languore in candidâ veſte, & lætitiæ habitu intereſſe conviviis decet.[r] *Pompeio* verò pullum luctus amiculum, quâ die ad Pharſaliam profligatus fuit, diram vaſtitatem præmonſtravit. Quis non rideret, [ſ] *Craſſum* illum Divitem murænam in piſcina mortuam atratum, tanquam filiam, luxiſſe? Apud[t] Græcos tamen fœminæ virique in *candidâ veſte* cum coronis excellentium virorum exequias proſequebãtur. Quod in more quoque Syracuſanis fuit,[u] qui in candido amictu *Timoleonem* extulêre. Judæi; quem ſequebantur morem Ægyptii & Aſſyrii; lacerata veſte, aut ſacco induti, cœnoque & cineribus obliti, inteſtinum animi dolorem ſignificabant.

[q] *Orat. contra Vatin.*

[r] *Plut.*

[ſ] *Macr. l. 3. Sat. c. 15.*

[t] *Plut. probl. c. 25.*

[u] *Plut. in Tim.*

Tunicæ Romanæ *Nodi* quidam *Clavorum* ſpecie adſuebantur, pro dignitatis gradu, aut *Latiores*, aut *Anguſtiores*. Hinc Veſtis dicebatur Clavata, & Laticlavia ac Anguſticlavia tunica. Ampliſſimi Ordinis primęque Nobilitatis iſtæ Verrucæ inſignia erant: ut Latus clavus Senatorem, Anguſtus Equitem notaret. Itaque *Ovidius*, in Equeſti dignitatis gradu ſubſtitiſſe ſe ſignificans,

Curia,

[x] *Curia,* inquit, *restabat: clavi mensura coacta est:*
Majus erat nostris viribus illud onus. x L.4. Trist.

Suetonius [y] *Vespasianum* latum diu clavum aversatum; Paterculus Mecænatem angusto contentum clavo vixisse dicit. Quod de *Septimo* etiam adolescente Senatorio intelligit Poëta: y In Vesp. c.2.

[z] *Hic parvus inter pignora curiæ*
Contentus Arcto Lumine purpuræ
Crescis. z Pap. l. 4. Sylv.

Lati verò Clavi honorem [a] *Plinius* impetrasse se à Cæsare; Et Livius, [b] *Masanissæ* Scipionem lato clavo tunicam dedisse; Horatius [c] *latum demittere pectore clavum*, pro Senatoriâ dignitate, scribit. Vt [d] *Martialis* quoque, cum Gelliam nemini nisi clavo lato nupturam dicit. a L.9. c.39. b D.3. l.7. c Serm. 1 Sat. 6. d L.5. Ep.17.

Atque hîc nunc clavum ego figo, & dicendi locum tibi permitto, *Neuhusi*: ut latentem sub vestium integumentis animum, abditosque mores proferas in apertum. Quod antequam efficias, rogo te, ut principiò illa *Aaronicæ vestis* divina Indicia, & superstitiosum *Monachalis cultus*; quæ non sunt Literarum nostrarum; apparatum nobis exponas.

Neque detrecto delegatam mihi provinciam, *dicebam*: modò clavum in hoc pelago tenere rectum, & satisfacere vestræ possem expectationi. Ille Sacerdotis Aaronis admirabilis divinâ decentiâ habitus; ad cujus conspe-

ctum

ctum domitor Orientis Macedo ab equo demissus in genua procubuit; Christum Dominum summâ dignitate ac splendore præfulgentem adumbrat. Ex purpura coccoque intertextis gemmis atque auro supparum, cœlestem illius ab æterno gloriam designat. Ex candido sindone gemmatis scutulata Rosulis Interula, innocentiam, integritatem, justitiam significat: cujus integumento deformitas nostra obvelatur. Regia capitis Tiara, cum Elogio *Sancti Domini*, Regiam Sacerdotis nostri præcellentiam, & Iehovæ Dei Majestatem denotat. Fulgor Gemmarum à Pectorali, splendorem è pectore Omnipotentis Dei radiantem præfigurat. Fatidica Rationalis responsa illam Mundi Lucem, & divinæ voluntatis interpretem; Patriarcharum inscripta Gemmis nomina, Electos in ipsius manu ac pectore consignatos; aurea ad Togam Tintinnabula, Euangelii prædicationem repræsentant. Solenni ritu Iudæi, peregrinantium instar,[f] Agnum paschalem edebant: ut eo de vitæ mortalis exitu præmonerentur. Prohibita illis fuit[g] diversi coloris materiæque in veste mixtura: ut colendi Numinis, & profitēdæ veritatis simplicem rationem sequerentur: quæ nihil sui dispar & dissimile admittit. Albæ *Monachorum* Togæ; quæ est illorum simulatio; vitæ fideique illibatam puritatem; Nigræ tristē Christia-

f Ex. 12. 3.
g Deut. 22. 11.

Chriſtianæ modeſtiæ ſeveritatem; Cœruleæ mundanarum rerum deſpicientiam; Virides alacre virtutis ſtudium; Cinereæ fervidũ Dei amorem; variæ atque multiformes paratum in res omnes ingenium; Cinguli præcinctura devotam Deo caſtitatem; Caputia quadrata imperium nullis deſcriptum finibus declarant. Capillares Raſorum coronæ Sacerdotalem Regii generis characterem; crux pectoralis ſuſceptum in Chriſti hoſtes bellum; Forpex in tunicâ reciſam cupiditatis licentiam; Flagellum ſubſidiariam Chriſti patientis operam indicat.

Nunc obtectum veſtium profanarum involucris animum, & tacitos ſub pallio mores perſequar.

Vulgus hominum, ut ſolet externâ rerum affici ſpecie, ex veſtitu plerumque animum æſtimat, pro cultu corporis conſtituto pretio dignitatis. Hac lance mores honoreſque ponderat plebeium judicium, à pilis & filis famam ſuſpendens & exiſtimationem. Pulla decotis togæ ſordities in nullo eſt numero & loco. Pexis politiſque magnifico impendio cultus omnis & officia liberaliſſimè præſtantur. Illis gratulantium genua flectuntur, cathedræ aſſurgunt, fora plateæque ambitioſe ſalutem impertiunt. Hoc vulgi judicium Vlyſſes ſenſit; qui Nauſicaæ puellæ, pro diverſo corporis *Veſtis morum animique indicium.*

cultu,

cultu, nunc hominum omnium turpissimus; statim Diis simillimus videbatur.

e Odyss. ζ. [e] Πρόσθεν μὲν γάρ δή μοι ἀεικέλιος δόκετ' εἶναι·
Νῦν δὲ θεοῖσιν ἔοικε, τὸν οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.
Ante videbatur specie fœdissimus esse,
Nunc Divis similis, magnus quos pascit olympus.

f Plut. Ages. Ita Ægyptii [f] *Agesilaum* Regem imparem tanti nominis famâ judicarunt; cum illum habitu nihil à gregario differentem milite viderent. g Plut. Phil. Qui corporis neglecti cultus [g] *Philopœmenem* Achæorum Ducem ad servile foci instruendi officium dejecit: quod illi hospita imponebat; cum, nunciato principis adventu, Servum esse illum à tanto viro præmissum, putaret. h P. Mess. l. 4. c. 3. Quo judicii errore [h] *Piscator Italus Ferdinando* Hisp. Regi Neapolim proficiscenti piscem eximium daturus, ex Rege ipso quæsivit, ubi Rex esset, professumque sese Regem derisit. Et abiisset ille cum suo pisce, delusum se ratus, nisi aulicis Rex injunxisset, ut Regem se esse homini persuaderent, ne tanti piscis jacturam paterentur. Piscatoriæ simplicitatis errore *Mutius* quoque [i] *Scævola*; & [k] *Sisigambis* Darii R. mater peccavit: quorum ille *Porsennæ* R. scribam, pro Rege obtruncavit; ista *Ephestionem* Alexandri amicum, pro Rege adoravit: uterque Regio corporis cultu deceptus. In quam ex veste contemptionem cum [l] *Alexandrum Severum*, &

i Liv. Dec. 1. l. 2. k Curt. l Lampr.

Alphon-

[m] *Alphonsum Arragonem* adduci dicerent Aulici, m *Aen. Sylv. de Alph. dictis.*
Imperator respondit; *Imperatoriam Majestatem virtute constare, non cultu corporis*: Rex, *Malle se moribus & authoritate cives suos excellere, quàm purpurâ & diademate.*

Sed sapientium quoque hac in re cum Vulgo convenit judicium: qui ex veste sæpè de moribus conjecturam faciunt. Vt enim *Vestis splendida vexillum superbiæ.*

[n] *Gratior est pulchro veniens è corpore virtus:* n *Virgil.*

Ita honesta vestium decentia dignitasque moderata ad singularem bonorum gratiam, & virtutis existimationem dimanat.

[o] Εκ γάρ τοι τούτων φάτις ἀνθρώπους ἀνα- o *Hom. in Odyss.*
βαίνει
Εσθλή.

Atque ut, dicente *Quintiliano*, *Cultus concessus atque magnificus addit hominibus auctoritatem: ita muliebris & luxuriosus non corpus exornat; sed detegit mentem.* Quis sub squallente tesquore incultaque mundicie animum habitare pulchrũ credat? Quis sumptuosâ vestium insolentiâ obtegi modestiam existimet? Adspice lecto nimis amœnoque cultu, fœmineum in morem, lascivientem adolescentulum. Fluxum illi ingenium luxuque perditum dicetis. Videte magnifico saturatas impendio exuvias, vario colorum splendore vibrantes. Εαρ ἤδη, καὶ πόθεν ὁ ταώς; acclamabitis. Vestitus insi-

gnior;

p Sueton. gnior; ut *Auguſtus* Filiæ inculcabat; [p] *ſuperbiæ eſt vexillum, luxuriæ nidus.* Externus ille cultus immodici apparatus internæ vanitatis indicium præbet. Illi gemmis auroque rigentes amictus ſapientiam excludunt. Nunquam tanta corpori colendo impenderetur cura; niſi prius neglecta mens eſſet. Cum fœmineo corporis
q Herod. cultu ſexum [q] *Sardanapalus* mentiretur; cum
r Volat. l. 15. Anthrop. muliebri habitu choreas [r] *Denocrates* duceret;
ſ Plin. l. 19. c. 1. [ſ] cum impudicā veſte Venerē *Cleopatra* fingeret; cum [t] Mileſiis ſeſe lanis *Sybaritæ* amici-
t Ath. l. 12. c. 6. rent; cum murice ſuo ac oſtro *Tyrii Lydique* nitentes incederent; cum prodigioſo corporis
u Suet. velamento Deorum inſignia [u] *Caligula* uſurparet; nonne incultum virtutibus animum pro-
x Ath. l. 1. c. ult. diderunt? [x] Ancillarum tributa in annuos zo-
y Val. l. 9. c. 1. næ ſumptus Perſicis Reginis data; aurei [y] *Sy-*
z Sueton. *rorum* clavi crepidis ſubjecti; [z] *Neronis* alia quo-
a Lampr. tidie toga; [a] *Heliogabali* calceamenta gemmata;
b Athen. l. 12. c. 7. *Galieni* caligulæ margaritis obſitæ; [b] *Tarentinorum* pellucida textura; *Iuliæ Auguſti* F. veſtis luxurioſa, nonne ſolutam in omnes voluptates licentiam denotarunt? Innuit hoc *Archidamus* Laconum Rex, miſſa filiæ magni impendii à *Dionyſio* veſtimenta aſpernatus, addito elogio,
c Plut. in Lacon. [c] *Ne puellæ hoc habitu turpes videantur:* quas aliquis ſub formoſo corporis habitu deformem tegere animum dicat.

Sub vili veſtitu ſuperbia. Sub vili tamen etiam Lacernulâ & ſordido pallio

pallio intolerabilis sæpè superbia, elatique spiritus tumor delitescit. Qui moscho utuntur, animam plerumque redolent fœtentem: Et sub honestæ simplicitatis stragulâ fœda sæpè superbiæ occulitur turpitudo. Qui sanctâ vultus tristitiâ, oculis demissis, pullâ modestiâ sanctissimorum Numinum vates referunt; fœtum quandoque infami arrogantia intus animum gestant. Prô fidem hominum!

[d] *Vbi vultus ille, & ficta majestas viri:* d *Sen. Hipp.*
Atque habitus horrens, prisca & antiqua appetens,
Morumque senium triste, ac adspectu grave?
O vita fallax! abditos sensus geris,
Animisque pulchram turbidis faciem induis.
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum, vera fallaces probant,
Simulantque molles dura.

Quibus hominibus cum *Persio* acclamare liceat: e *Sat. 5.*

[e] *Pelliculum veterem retines, & fronte politus*
Astutam rapido gestas sub pectore vulpem.

Videbat *Plato Antisthenis* vanitatem per detriti pallii fissuras. Perspicebat [g] *Alexander Antipatri* purpuream ambitionem sub nivei candoris amictu. Speculabatur [h] *Christus Dominus* cadaverosam *Pharisæorum* immunditiem sub dealbatis sepulchrorum tegumentis. Calcabat Platonis superbiam *Diogenes*; sed superbiâ grandiore. Sub aspero Monachorum habitu

g *Plut in Reg. Apoph.*
h *Matth. 23. 27.*

k Aug. de oper. Mon. [k] *lucrosa egestas, & simulatæ pretium sanctitatis premitur*. Sub meretricio fuco, sordida turpitudo; sub Leonis exuviis, Asinus Cumanus; sub promissâ philosophorum barba cultuque vitæ aspero, superba patientiæ ostentatio; sub arcta Catonis togâ, Neronis immanitas; sub Angelicę lucis habitu, Satanica malitia delitescit. In trusatili Diogenis Dolio, in sordidis Eremitarum tuguriis major aliquando, quàm in Curulibus Romanorum Sedilibus, & Alexandri solio ambitio habitavit. *Latet plerumque*, [l] *Ambrosio* teste, *sub tristi amictu lascivia, & deformis horror vili veste obtegitur, ut secreta petulantium tegantur animorum.*

l In Serm. quodam.

Multi ---- *Habeant licet semper*

Fuscos colores, galbinos habent mores.

Vt suus quemque habitus arguit, moresque abditos in conspectu ponit: ita Vestium recepta Novitas & Insolentia monstri quiddam alit, & fatalem Reip. cladem portendit. Summæ levitatis est argumentum, patrios usus diuturni ritus deponere; peregrinos affectare. Quos quàm facilè admittimus; tam facilè in alienas leges & imperium transituri videmur, damnatis majorum institutis. Agite Judæi, & in Gentiles desultorii ritus Babyloniorum, amiciendi corporis cultum assumite. Brevi erit, cum in miserabilem abstracti servitutem sæva illorum imperia dolebitis; quorum

rum prius luxuriam laudabatis. Vos[n] Persæ patrium Acinacem in Græci gladii formam commutate. Non diu erit, cum, ex fatidicâ Chaldæorum voce, Græcis in prædam venietis. Vos Macedones fastidio patrii cultus Persicam chlamydem & tiaram assumite. Statim exutâ modestiâ victæ Gentis mollitiem & superbiam induetis. Vos Romani, deposita nativi coloris Toga, ad pullas Pænulas & Lacernas ite: Et libertatem sub Iuliæ Gentis dominatu perdite. Vos Græci, [o] *Andronico* Iuniore imperante, barbaro Mysiorum, Triballorum, Syrorum more vestiamini. Neque obscurum in eo imperii mutandi omen, ex sapientium judicio, habuistis.

n *Curtius de Al. gest.*

o *Gregoras l. 2.*

Quàm vereor ne quam portendat Reip. cladem illa Nostratium in cultu corporis vanitas & varietas, omnibus insolentiæ gradibus exultans. Videas Adolescentes scissis barbaricum in morem, aut virgatis opere vermiculato vestibus, Simias quasi tragicas, in foro volitare. Capilli aliis in immanem cirrum collecti, & muliebri aliquando tænia implicati à sinistrâ aure promittuntur; aliis in oculos dejecti, animi depressa in vultu vestigia obvolvunt: quasi oculos spectantium sceleris admissi conscientia formidaret. Collaria sesquipedalia in humeris fluunt. Palliolum in spiram convolutum Gabinio cinctu sinistram

ſub alam rejicitur. Caligæ prodigioſæ perſtrepentibus ſupernè fibulis follium ſpeciem præbent. Genualia calceos, obſtragula terram verrunt, colorum picturata varietas pavonum picorumque multiformem imaginem imitatur. Quos ſi Majores noſtri à mortuis revocati adſpicerent, non ſui generis ſtirpiſque germanam ſobolem; ſed Gallorum, Italorum, Coſacorum, Croatarum, Maurorum colluviem in ſuis habitare finibus putarent.

Quam veſtitus monſtrifici inſolentiam non paſſi veteres, ſingulari gravitate conſtantiaque homines, legibus atque edictis ſeveriſſimè vetuerunt. Quorum [p] *Plato* omnem in veſtitu novitatem prohibuit; quæ novos in Remp. mores induceret. [q] *Auguſtus* Romanis Togæ, quæ receptis Gallorum pænulis, in deſuetudinem venerat, uſum injunxit. Neque translato quidem Bizantium imperio admiſſa eſt barbara in corporis cultu novitas: cum *I. Duca*, ſanciret, [r] Ne quis Aſſyriis, Babylonicis & Italicis veſtibus uteretur; niſi, priſco Provinciæ more copiiſque rejectis, puplicam ignominiæ notam ſubire vellet. Pari ſollicitudine novitios popularium mores [ſ] *Ludovvicus* Imp. proſcripſit. [t] Quod parentum etiam memoriâ, in Auguſtanis comitiis, *Imperii principes & Carolus Cæſar* ſedulo prçcaverunt. Et nuper admodum lata lex eſt ab [u] *Helvetiis*, ut, qui avitum deponeret

p *De legibus.*
q *Sueton.*
r *Lib.* 1. *Iur. Orient.*
ſ *Avent. l.* 4. *Bojor.*
t *An.* 1548.
u *Camer. cent.* 3. *c.* 76.

ret habitum, ab omni Reip. functione arcere-tur. Idem apud Gallos institutum sub [x] *Carolo* IX. & apud *Scotos* priscâ lege ipsis Regni proceribus injunctum; ut nullum nisi ex vernaculâ lanâ vestimentum ferrent: cum indignum videretur, patriam terram alendo tegendoq; corpori suis incolis Novercam esse.

[x] *P Greg. Syn. Iur. l.9.c.19.*

Volebam de divinis ostentatæ Luxuriæ pœnis loqui; cum intercipiens sermonem meum E., Satis, *inquit*, Amici, de vestitu corporis loquuti sumus: Cur verò nullum *de illius victu pastuque* sermonem inferimus. Frustrà quidem foris corpori providemus, ut tectum benè pexumque sit; si vacuus intus venter crepitet, [y] si fauces; ut cum Comico vestro loquar; fame lippiant, & cibi vacuitate laxi sint lactes. Per nostram ego vos rogo necessitudinem; quâ tibi, *Neuhusi*, à primo literarum tirocinio, vobis à parvulo sum obstrictus puero; ad meas mecum ædes divertite: ut diuturnâ collectam ambulatione sitim meracioris vini poculo sedemus. Et debeo hoc summo jure, fateor: quando ductâ nuper domum uxore, nullum vobis Epulum dedi geniale. Nę tu bonæ fidei debitor es, E., dicebat: B. qui tã cupidè liberaliterq; nomen vis solvere, ne aliquo fœnoris nexu obligeris. Et metuisti fortè prius, ne aucto convivarum numero in leges peccares sumptuarias: Neque veniebat in

[y] *Pl. in Cur.*

mentem, lege Licinia & Iulia ſumptus permitti in Nuptias grandiores. Sed quando ita placet, præſtemus rogatam amico operam, & qui Cœnæ non interfuimus Nuptiali, nunc ad Sportulas libenter hilariterque accedamus. Non abnuo, *dicebam ego*, ſuſpenſo maturè curriculo in urbem redire, & quietem corpori defatigato interponere: quando ſitis & deambulatio diuturna inflammatis renibus calculum, ut ſentio, exaſperet. Neque ego hanc detrecto, *ait K.*, conditionem, ipsâ jam magis vacuus Vacunâ, Curia per hos dies à curis ſuis feriante. Sequamur E. viæ ducem, & quo *Margaritam* genio duxerit, coràm videamus. Fortè illic, per occaſionem, *Neuhuſius* noſter, aut alius de contubernio, quæ ex *Alimentis* & *Aëre ambiente* morum ſumatur conjectura, explicabit.

CAPVT V.

De priſco compotationum ritu.

VT venimus ad E. ædes, ingreſſique ſumus cænaculum, uxor illius ad primum occurrens ingreſſum, ſereno vultu, & amicis verbis ſalutem atque oſculum impertit advenientibus: cum ego converſus ad E., Eximiam ſanè magnæque dotis Margaritam tibi comparaſti, dicebam: cujus formamne, an virtutem pluris æſtimes, incertus ſis. In quam tum ego, inſi-

insignem amico gratulatus felicitatem , hoc ludebam carmine :

Margaris Eoæ decus & pulcherrima Conchæ
Filia, rorantis nascitur imbre poli.
Illa nitet teretem collecta decenter in orbem,
Et multo niveum spargit honore decus.
Illa notat fulvum stellanti luce metallum,
Et pingit radiis colla manusque suis.
Illa novas cordi vires, animoque labanti
Sufficit, & firmat debile pota caput.
Illa tenebrosâ stupidos caligine vultus
Irradians roseâ lumina luce rigat.
Talis, amice, tibi cœlo, Richæe, benigno,
Margaris in cupidos depluit acta sinus.
Illa serenatæ candens probitatis honore,
Moribus, ore, animo Margaris æqua, nitet.
Illa tuis affusa genis, & pendula collo
Margaris, est lecti grande larisque decus.
Illa feras febres, & edacem pectoris ignem
Et medicâ curas mitigat arte magis.
Illa tuos oculos pascit, lucemque refundit,
Clara vel in mediâ nocte lucerna, tibi.
Quanti Gemma tua est! cui se non conferat ulla,
Quæ legitur vitreis conchea bacca vadis.
O dives bene conjugium, quod Margaris illa,
Gemmula Richechto conjuge digna, subit!
Hoc virtus animi tua, Vir præclare, meretur,
Multaque nox studiis addita, multa dies.

Vnio lecta tibi lecti est: velut Vnio trina,
Vt vos una fides uniat, unus amor.
Cœlicus & Gemmam vivo Fons rore maritet,
Vt decoret socium Gemmula multa torum.

Videbatur ad extrema verba confuso vultu verecundum prodere pudorem Fœmina; cum arreptum ex pueri manibus poculum mihi præbibit E. veterum *Tapulla*, ut dicebat, lege, ne quid in fundo restaret, everso cado: *Hic ego:* Num tu tam tenui carmine detractum mihi omnem venæ succum putas, quem hoc *vitreo puteo* statuas reficiendum? Fluit ingenii mei vena pigrè languidèque satis, fateor: quæ cæteroquin tenuis & angusta semper, nunc multis exhausta molestiis ita marcescit, ut vix unam ex eâ boni liquoris guttulam emulgeas. Neque ullum huic inopiæ à vino est auxilium: quod si largius affuderis, quicquid reliquum est animę vigorisque suffocabis & interficies. Atqui, E. *respondebat*, negat *Cratinus Comicus*, quenquam insignem fieri posse poëtam, nisi sit vini appetentior: quo excitari spiritus poëticus, atque incalescere divinus ille furor solet, animâ de vivi corporis contubernio demigrante. In quâ peregrinatione vinum *Niceratus* magni vicem Equi poëtis præstare dicit.[a]

a *Cælius l. 38. c. 25.*

Οἶνός τοι χαρίεντι μέγας πέλει ἵππος ἀοιδῷ,
ὕδωρ δὲ πίνων καλὸν οὐ τέκοις ἔπος.

Vinum

Vinum sanè gratioso magnus est equus Poëtæ,
Aquam autem bibens non bonum faceres versum.

Ideoque *Theognis* generosum Poëtici furoris à poculis impetum cognoscens ait,[b]

Ἔργα δὲ κυπρογενοῦς νῦν μοι φίλα καὶ Διονύσου.

b *In Gnomis.* *Opera Cyprignæ mihi grata & Dionysii.*

Et alibi: χαίρω δε εὐπίνων. Lætor bibens. Quâ bibacitatis indole *Aeschylus*, à largiore vini haustu excitari sibi carminis scribendi spiritum profitetur. Et notæ ejusdem *Alcæus* & *Aristophanes* non nisi vino madidi carmina pangebant. *Homerus* ipse profusâ vini laude vinosus arguitur. *Ennius* pater poculis benè devinctus ad arma dicenda prosiluit. *Horatius* liberalibus Massici cadis arescentem venam irrigabit. At deficiat arescatque in suo fonte mea, *dicebam*, vena potius; quàm ut multo proluta vino liberiore fluat cursu. Malo ego parcius furere, & motu Musarum impelli debiliore, quàm invergere avaris faucibus Bacchi liquores, & redolere semper meraciorem Liberi florem. Magis mihi probantur, quæ lucernam olent carmina; quàm quæ vinum.

Spumea detergant illi carchesia Bacchi.
Queis nihil est aliud vivere, quàm bibere.
Sobria Pierios irrorans Musa liquores,
Casta mihi sanâ mente Minerva placet.

Ne tamen incivilis habear pervicaciæ, experiar meas in hunc hostem vires, si animam in-

terbibere illi possim. Tibi, B., (sinistræ ille accumbebat proximus) *Elephantem* hunc propino cristallinum: sed eâ lege, ut paria præstes, & *cottabo* reliquiarum facto plenam mihi rependas vicem. Hui! *dicebat ille, Elephantem* non bicongius hausisset Cicero; nedum nos trientium homines & ligularum. Sed heus tu, *Neuhusi*, cur non, si Græcari placet, Græco more à summo bibis ad imum, à dextrâ in orbem poculo commeante. Nescis, ut in Deorum cultu dextrorsum circumagi religio erat; ita in sacris Dionysiis poculum in dextram circumferendum. Ego verò, *ajebam*, prævio Mundi lumine signatis Naturæ vestigiis insistere malo; quàm Magico more in adversos niti radios, & frontem Phœbæo lumini objicere. At si ita Græcorum insistere placet consuetudini, cur Rex arbiterque convivii E. neque in salutem honoremque ullius præbibit: & à capacibus statim urnis initium fecit, in quas desinebant Græci, à minutis rorantibusque poculis auspicati. Neque vidi eum quicquam de summo in terram aut mensam defundere, ac bono Genio libare, nullam convivii legem statuere, nullo talorum jactu vini Regna sortiri, non apposito sale amicitiæ firmitatem stabilire. Etenim, quod nostis, Amici, priscâ veterum
Salinum. Religione *Sal* hospitibus principio apponebatur: sine quo profanam esse mensam erat opinio.

opinio. Igitur Arnobius *sacras fieri mensas salinorum appositu* dicit. Et [c] Horatius, *splendens in mensa tenui salinum*; [d] Persius, *purum & sine labe salinum*. Vnde [e] Plautus egregiâ fide amicum, *pectoris salillum*, nominat. Sal enim antiquitus amicitię erat symbolum, & certam duraturamque initæ familiaritatis fidem significabat. Vt namque adsperso sale carnes non computrescunt: Ita juncta semel amicitia nullo dissidii interventu dissui & everti debet. Aut quia velut ex multis aquis in solidum corpus sal concrescit. Ita in stabilem mutui amoris compagem diversorum corporum animi & voluntates concrescunt. Etiam à solenni *Libatione* convivium auspicari antiqui fuit instituti, effuso in terram mensamve vino: ut illo pietatis officio propitiam sibi Laris familiaris gratiam adjungerent. Tum ut meri indicio mentis integritatem à dolo mendacioq; sejungendã significarent. Ex quo more Virgiliana Dido

-----*In mensa laticum libavit honores.*

Et Homerici proci ---- θεοῖσι

Ἔσπενδον μακάρεσσι, πίον μελιηδέα οἶνον.

Et Achilles, priusquam biberet,

---- λεῖβε δὲ οἶνον

Οὐρανὸν εἰσανιδών.

A *parvis* verò semper *Calicibus* Symposia inchoabantur, capacioribus ad extremum invictæ virtutis conflictum reservatis. Ita levibus pri-

c 2. Carm. od. 16.
d Sat. 2.
e In Stich.
Libatio.
Diis libabant immortalibus dulce vinum.
Libavit vinum cœlum adspiciens.
A parvis calicibus initium.

primum in armis proludebant, antequam in justo certamine validum virium robur experirentur. Trita & frequentata minoribus poculis gulę via grandiorum facilè appulsum admittit. Sin largo protinus haustu Naturam expleas, affusam posterius copiam regurgitabit. Ita quasi per gradus laxabatur convivarum taciturnitas, soluta sensim hilaritate: ut cum indignatio ventorum primas in mari undas suspendit, turbaturque magis otiosa quies, quàm fluctus attolluntur. A primo hoc motu grandiora increbrescebant pocula, & effusa convivantium hilaritas dignam Baccho excitabat tempestatem. Excipiebat hîc K: Quis igitur Cœnæ caput, & illum Ερωτος οἶνον expectabit, si tantæ capacitatis lagenæ in Promulside convivii militant? Sed noli de illo sollicitus esse, *dicebam*, quando Dictatorem habemus, qui hospites suos non adeò duriter ad veterum leges adstringet. Etiam illum vetustæ Religionis ritum neglexit, quâ *in Deorum laudem* præbibebatur. Princeps Crater Iovis erat Olympii; secundus Heroum; tertius Iovis Sospitatoris. Quæ sapientium quoque olim pocula dicebantur: primum sanitatis: secundum Amoris: tertium Somni. Si quid accederet ulterius; Injuriæ erat.

In Deorũ laudem præbibi solitum.

[f] *----- tres prohibet supra*
Rixarum metuens tangere Gratia.

f Hor. 3. Car. 6. 19.

Medi-

Medici primos haustus Siti; alteros Voluptati; tertios deinde Ebrietati; quartos Insaniæ tribuerunt. Poëtæ tribus Gratiis pocula definiebant. Quam egressi mensuram, si juvaret insanire,

g Qui Musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates. — g Hor. Carm. 3. O. 19.

Vetusti quoque moris fuit, quando largiore vino invitare se ad liberam solutamque hilaritatem volebant, ut in *Amici honorati, & Amicæ salutem* biberetur, nomine ipsorum palam expresso. Itaque Poëta non sumpturum se severi partem Falerni dicit, nisi significet amicus compotor — In Amici honorem bibitum.

---- quo beatus
Vulnere, qua pereat sagitta.

Idem in novæ Lunæ, & Murenæ recenter in Augurem electi honorem Chii poculum deposcit. Fortè *dicebat* Kn. Hoc *undecimum fuit Veneris poculum*, & Theocriti *Amoris vinum*; si decimum salutatis Musis Apollini sacraretur. Numerosâ verò Amoris hoc poculum, *dicebam*, fœcundum erat prole, toties ebibi solitum, quot Amicum nomen literis scribebatur. Audi de eo Nepotum combibonum apud *Martialem* Senatusconsultum:

h Nævia sex Cyathis, septem Iustina bibatur. — h L. 9.

Idem in Amicorum honorem præcipit,

Quin-

i L.11. [i] *Quincunces, & sex Cyathos, bessemque bibamus, Caius ut fiat, Iulius, & Proculus.*

Plautus Amatoria pocula Digitorum definivit numero

k In Sticho. -----[k] *tot quot digiti tibi sunt in manu, Tibi propino decem.*

Hîc B: Atqui tu, *Neuhusi*, si me amas tantillum, propina mihi vel semel. An me Tantali dignum supplicio censes, quem siti siccum fugace vino crucies. Age, circumfer ocius poculum; nisi faxis, pleno bibã cantharo. Quid me Græcorum illa juvat cãtio, ἢ πέντε πίν', ἢ τρία πίν', ἢ μὴ τέτταρα, si flagrante palato, exustisque intus visceribus extinguor siti. Neque cogitas quidem, languescere sub manibus vinum, defloratâ meri dignitate. Imò madebis statim, *dicebam*, plus satis. Simul arrepto poculo cum priscâ gratulatione apprecabar,

l Plautus in St. [l] *Benè vos, benè nos, benè te, benè me, benè nostros quoque Nassovios*

Vt eduxi satis impigro haustu poculum, consonâ omnes voce plausuque salutem apprecari; ut *verteret benè vinum*, ut [m] *viverem & valerem*. *Ech.* quærere ut saperet? Cui ego: Videris mihi tu in hoc convivio Lymphis aqua & igni interdixisse,

m Dion. in Comm.

n Catull. [n] *Vt lex Posthumiæ jubet magistræ.*

Ita purum putum hoc est vinum, prorsus ut sua natum est matre. Vt dant sese initia, non

lymphato vino lymphata tamen reddi mens posset, si hoc mero paulò largius tingeremur. *Tum ille:* Ad Liberalia; non Cerealia vos vocavi. Liberè hodie licet liberali gaudio Libero patri litare. Quid contrahis frontem, *Neubusi?*

-----° manu candida Cantharum dulciferum ° Plautus St.
Propinare suavißima amicitia, neque esse alium alii
Odio, nec molestis sermonibus, nec morologis uti.

Adhuc loquebatur E. cum I. H. *Gvvalterum, M. Nieuhuisium, A. Viersenium,* LL. Doctores, in ipso Gratiarum sinu complexuque doctos & eductos, præ foribus adesse diceretur. Ad quē nuncium exiliens properè E. amicissimos homines injectâ benignè manu in cœnaculum adduxit. Et, si ipsa mihi opportuna Opportunitas fuisset, non potuissem, *dicebat*, acceptiores nancisci convivas. Atque utinam magis propitio ducti Genio maturius colloquiis nostris interfuissetis! Quos liberalissimæ doctrinæ audivissetis sermones! Quàm cepissetis lętitiam ex jucunda cum illo communi ingeniorum nostrorum parente, & gratissimis studiorum collegis confabulatione! Illi familiariter dictâ singulis salute, ne fraudi sibi esset, rogabant, quod ad convivium venirent invocati. Quæsivisse se domi suæ *Neubusium*: quem ubi esse apud *Echtenium* comperissent, visum adire illum, si fortè aliquam liberi temporis daret

facul-

facultatem ad inambulandum. Atqui ego, Amici, *dicebam* fessus ambulando hîc nunc acquiesco, & E. nostro condixi cœnam. Simul deponere pallia & considere jussi, nullam verentes notam. Licere mihi apud E. tres à me hospites dare, etsi umbræ corpus meum tantum sit unius. Vt accubuêre rogatu omnium, cum principibus poëtis exclamabam:

p *Hom.* p Τρὶς μάκαρες δαναοὶ, καὶ τέτταρες.

q *Virg.* q *O terque quaterque beati!*

Septenarii perfectio. Quibus ex Quaternario & Ternario Septenarius perfectionis summæ numerus consurrexit. Ad septimæ coctionis aurum omnibus absoluta numeris puritas exigitur. Septenaria justi à casu suo surrectio, septenaria Dei supplicatio omnis puncti numerositatem significat. Septem Planetarum curriculis cœli regiones, ambiuntur. Ad septenarii rationem homo concipitur, perficitur, adolescit, confirmatur, emoritur. Septimo die quietem sibi ac homini opifex Devs indixit. Hebdomas annorum una Terræ matri ab aratro, militibus à castrensi labore vacationem permittit. Millesima status Naturę ab operę suo ferias promittit. Etiam Apollini Musisq; septenarium Poëtæ sacrum dicunt. Quo magis lætor, quod Ternarii vestri ad Quaternarium nostrum accessione Septenarium magnę potestatis numerum nobis expleveritis. Hîc quatiēs leviter

caput

caput E.: Eruditè tu quidem illa dicis, *Neuhusi*: & gratulor mihi vobiſque optatiſſimam amicòrum acceſſionem. At ſciant tamen Magiſtratum hîc eſſe & leges, quarum imperiis gerere morem illos decet, ſi nobis Muſiſque in hoc cœtu propitiis uti velint. Namque ut exſortes ſe ferant & aſymbolos, nulli Comeſſalium obnoxios juri, non ſinam, non patiar, non feram: ita mihi cordi ſit meæ dignitas dictaturæ. Hîc *Vierſenius* ad inſolentem Dictaturæ vocem ſubridens; Quis verò hunc novum *Quinctium*, *dicebat*, à Minervæ incude vocavit ad Dictaturam? Quo bono jure imperium tenes E.? Quibus auſpiciis regnum in hoc Libertatis cœtu poſſides? Neque enim, ſi tua tibi Iuno clavum domi permittit, baſilicas in convivam hoſpitem habere potes edictiones. At fortè, *excipiebat Nieuenhuiſius*,

r ---- *Venus Arbitrum* — r *Horat.*
Dixit bibendi.

Sorte vini Regnum, ut conjicio, nactus eſt E. Baſilico talorum jactu convivii magiſterium conſequutus. Neque enim dubito, quin in hoc Muſarum collegio quam plura priſci moris exhibita ſint ſpecimina. Ego verò, *inferebat* E., & jure hîc imperito meo; non obnoxius uxoriæ dominationi, non adſtrictus alieni foci legibus; & benevolo convivarum meorum ſtudio; qui me cunctis ſuffragiis convivii decla-

rarunt Regem. Vobis dico, edico, ut imperium meum habeatis ſapienter curæ. Qui ei derogarit, obrogarit, abrogaveritve, duci eum jubebo, aut bis educere illum uno ſpiritu Deuncem. Hoc Regiæ gravitatis territi ſupercilio, ut dixere ſacramentum, & obligarunt ſuam Principi fidem, Ille, compoſito in triſtem ſeveritatem vultu, & indicto ſilentio, Non expectate à me, *dicebat*, ſanguine ſcriptas leges, non Manliana imperia, aut Syllanas edictiones. In ſummæ poteſtatis faſtigio ſummam in cives meos clementiam laudari volo. Laborioſi nihil quicquam operis imperabo. Nihil injuſtè graviterque vobis præcipiam. Summa verò mandatorum hæc eſt; ut novitii hoſpites, quando bis circumlato poculo tertium venerit ad manus, poſitam de ſtudiis noſtris literariam Quæſtionem per vices diſputent. Et quia noſtræ de *Re Veſtiaria* diſſertationi *illa ex Alimentis & Aëre circumfluo morum indicia* ſuccedunt, illud præcipuè argumentum eos diſceptare volo. Tu, *Gvvaltere* quæ ex *Poculentis*; tu *Nieuhuiſi*, quæ ex *Eſculentis* animi reluceat imago, docebis. *Vierſenius* in ambiente foris *Aëre* morum documenta veſtigabit. Hoc in cœnam ſinguli ſymbolum danto. Hîc *Gvvalterus* corrugata in modicam tempeſtatem fronte, Quam verò hæc eſt iniqua dominandi ratio, *ait*, Viris bonis legem dicere, cui non ſint præ-

ſtandæ!

ſtandæ! An tu homo nos domi ſcholas habere putas, & facundiam profiteri in omnem quæſtionem paratam? Vis nos *Carneadis* in dicendo promptitudinem præſtare, qui [f] Athenis miſſus Romam legatus, ſtupente auditorio, de Injuſtitia copioſiſſimè diſſeruit, cum pridie de Iuſtitia pari, omnium calculo, ubertate ornatuque orationem habuiſſet? Aut [t] *Gorgiæ*, *Anaximenis*, *Lampſaceni*, *Calliſthenis*, *Demadis*, *Proæreſii ſophiſtæ*, *Critolai Peripatetici* ſubitam referre eloquentiam? qui in theatrum progreſſi, Προβάλλετε, populo acclambant, in extemporaneam parati, quâ de re vellent, diſceptationem. Næ nos ſiniſtris domo egreſſi auſpiciis hûc intravimus, ubi perdita libertate etiam famæ bonique nominis alea ſubeunda ſit! Cum K. & B. ſecundum ſatis auditorium promitterent, neque eſſe dicerent, ut aut metueret alicujus Ariſtarchi notam; aut extimeſceret vetus *Neuhuſii* ſupercilium; quo ſolebat in Rhetorico pulvere inſolentem ipſorum dictionem percellere; *Gvvalterus*, compoſito ad dicendum vultu, in hunc propè modum, *de Poculentorum indiciis*, cœpit.

[f] *Quint. l. 12. c. 1.*

[t] *Cicero & Plut.*

CAP. VI.

De Poculentorum Indiciis.

EQuidem non falli quenquam opinione ſua putarim, ſi quis in Poculis animi ſenſa de-

ſa deliteſcere, & vino abditam morum indolem divulgari ac in conſpectum proferri ſtatuat. In *vino veritatem* eſſe tritum communi effato proverbium loquitur. Neque alia Sapiẽtium eſt ſententia: quorum princeps [u] nullam eſſe in largiore potu fidem arcani teſtatur. Cui Gentilis ſapientiæ ſubſcribit Apex: [x] *qui nihil eſſe ait, in quo manifeſtius ac in vino ingenia ſpectentur.* Qua mente *Heraclius*, ſtultitia, *inquit*, etſi aliquandiu ſobrietatis integumento celetur; vino tamen affuſo forâs illam prorumpere, nullo ſimulationum frœno inhibitam, nullo ſilentii rẽpagulo clauſam. [y] Tunc *pectorum operta recluduntur.*

u Prov. 31.4.

x Plato 1. de Leg.

y Hor. l.1 Ep.

z Ovid. li1.amor.

[z] *Tunc aperit mentes ævo rariſſima noſtro*
Simplicitas, artes excutiente Deo.

Non eſt aliquod morum in hominum animis depreſſum veſtigium, non inſita vitiorum virtutumque indoles, quam non Ebrietas in lucem proferat. Vbi poſſedit animum nimia vini vis, impudens morbum profitetur ac publicat; non continet linguam aut manum petulantia, non coërcet malignitatẽ invidia, nõ tegit crudelitatem ſævitia, non obvelat inſolentiam ſuperbia, non inhibet obſcænam venerem libido. Quicquid intus malè latet, vini hauſtus largior in lucem protrudit. Si qua eſt corrugati pectoris plica, evolvitur. Si quid in cæcis animi latebris receſſuque intimo abditum

tum est, in conspectu ponitur. Hinc est quod *Plato* explorandis adolescentium ingeniis aliquando convivia indulsit: quibus invitati largius studia cupiditatesque suas ab intimis pręcordiis effunderent & propalarent. Itaque

[a] *Reges dicuntur multis urgere culullis*
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus.

a Hor. in arte 430.

Qua arte [b] *Bonosus* Hispaniensis, apud *Aurelianum* Imp. Germanorum Legatos instructissimis conviviis maximisque poculis accepit, ut vino atque epulis onerati secreta pectorum evulgarent. Nam ut musto dolia rumpuntur, atque omne, quod in imo est, in summum eructat vis caloris: ita æstuante in membris vino, quicquid in animi fundo jacet, effertur & in medium prodit. Neque aliter ut in ære cristallove vultus: ita morum atque animi in poculis relucet imago. Quam si quis videre cupiat, illum in vinolentiæ contubernio potorum gregem intueatur, Circæo ebrietatis poculo in brutorum speciem transformatum. Ille, madentibus vino membris, Caninę mordacitatis aciem in bonorum famam atque existimationem distringit. Iste manu pugnisque exercendis impiger lupinam in compotorem sævitiam usurpat. Hic porcina immundus sorditie in olido tesquore ac cœnoso helluationum lacu volvitur. Alius, simiolorum more,

b Avent. l. 2. ann. Boj.

ridiculo corporis motu gestuque inepto joculare præsentibus spectaculum præbet. Aliquis ad fœcundos disertus calices ingenium in vino maximè ostentat, de Religione disceptat, difficiles atque arduas quæstiones agitat. Est, qui dilutis mero curis in liberam ingenuamque hilaritatem solvitur, & syncero gaudio ac jucundis salibus redundat, dignus geniali sociorum mensa, dum severitatem rebus seriis, leporem jocosis adhibere novit. Raró animus, ubi vino incaluit, in sua est potestate, insitosque à naturâ mores abscondit. Quo magis nequam illud Quadruplatorum genus odi, quod ficta in conviviis ebrietate, mirâ in aliorum consilia vitamque sagacitate inquirit, & insidiose odoratur atque observat, quæ inter pocula patēte in fraudem animo incautius effutiuntur. Sunt enim sæpe in geniali amicorum cœtu

c *Iuven. Sat.* 1.

-----[c] Docti spectare lacunar
Et docti ad calicem vigilanti stertere naso.

Ex potu mores formantur.

Vt verò produnt arguuntque; ita faciunt formantque mores usus quotidiani Pocula, pro illorum conditione ac natura animo in diversos habitus transeunte. Quales sunt in humano corpore spiritus & humores; tales animi sunt mores, ex mutuæ societatis contubernio tracta naturæ cognatione. Si spiritus sint synceri, si sanguis defœcatus, animus quoque ab

omni

omni perturbatione anxiiſque curis vacat, ingenium vegetum eſt, mens alacris & erecta probè ſuo officio defungitur. Ex craſſo ſpiritu & humoribus denſis animus contrahitur, ingenium hebet, ſenſuum facultas oppreſſa lãguide negligenterque partes ſuas obit. In potione magnum omnino eſt ſpirituum ſanguiniſque formandi momentum. Quæ ſi tenuis fuerit, pura, defæcata, ſibi ſimilem ſanguinem gignit, & ſpiritus. Craſſa, difficilis, cruda ſuæ in corpore indolis veſtigia relinquit. Eorum, quæ dico, ex olido Ganeonum grege documentum ſumite; qui hordeaceo vernaculi liquoris potu in popinis ſe ſaginant. Quàm illi fœdam ex impuriſſimo corpore animam exhalant! quàm inquieto turbulentoque ſpiritu aguntur! quàm ex craſſo ſanguine barbara ferocia inſoleſcunt! quanta in ingeniis hebetudo, in ſenſibus ſtupor, in membris languor, in animo cupiditatum ebullientium ęſtus ac fluctuatio! ut facilè in iram excandeſcunt; in pugnas & certamina feruntur; in vehementis violentiæ impetus tranſeunt!

Aquæ potæ effecta.

Aquæ ipſius potio quantum in formandis animi moribus virium habeat, præter authorem *Hippocratem*, corporis ex illius uſu affectio teſtatur: quæ ſuam animo vitæ ſocialis collegæ indolem imprimit, mutua utriſque valetudinis ac naturæ cognatione decinctis. Quantæ erat

tæ erat illud in Æthiopia ſtagnum poteſtatis, [d] quod potum de poteſtate mentis hominem dejiciebat! Quantæ [e] Aphrodiſium in Pyrrhea flumen ſterilitatis; Ceæ fons hebetudinis; Trœzeniæ aquæ pedum addito vitio infamis. Sed illis lethiferæ nocentiores ſunt, præſentem cum primo hauſtu mortem propinantes. Talis [f] ad Nonacrin Arcadiæ urbem Styx erat, ut hominibus beſtiiſque exitialis; ita vaſa vi frigoris rumpens. Tales in Beroſo Taurorum colle fontes; [g] Lycus in Leontinis; ad Soracten, & in Thracia apud Cychros fontes; & [h] illæ ultra Rhenum ad maris littus aquæ, quæ Germanici militibus dentes excuſſere. Vt illæ peſtilentes; ita [i] Choaſpis & Eulæi medicæ ſalubritatis ſunt aquæ: ex quibus ſolis Perſarum Reges pocula ſibi vendicabant, etiam in longinquas peregrinationes cum Regia culina vectitata. Non minore valetudinis commodo [k] Thearus Thraciæ ſcabiē curat; [l] Cydnus Ciliciæ podagram profligat; [m] Nilus Ægypti ventrem ſolvit; [n] Æthiopum Macrobiorum aquę vitam producunt; [o] Alyſſon Arcadię rabidi canis morſum ſanat; Pamiſi [p] amnis fontes infantium morbis medentur; [q] Orchomeni fontiū alter oblivionē, alter memoriā affert; Nus Ciliciç ſubtiles ſenſus; Zama Africę vocē canorā reddit; Cupido Cyzici amoris incēdium reſtinguit; Linus Arcadiæ abortū

fieri

d Diod. l.2.c.5.
e Plin. l.31.c.2.
f Plin. l. 3.c. 103.
g Pl. l.31. c.2.
h Cardan. de Elem.
i Solin. c.51.
k Herod. l.4.
l Pl. l. 31. c.2.
m Athen. l.2.c.2.
n Herod. l.3.
o Pauſan. in Arc.
p Pauſan. in Meſſen.
q Plin. l.31.c.2.

fieri non patitur; [r] Antiquarius Beticę calculũ diſſolvit; in Bonicca Hiſpaniolę fons ſenes reſtituit. Pari curãdæ valetudinis indole nobiles fuere quondã Silloæ & Callirrhoes in Palęſtina fontes; ad Syrię Hierapolim, ad Smyrnã, ad Anchialũ in Thracia, apud Tarbellos in Aquitania, apũd Puteolos in Campania, apud Statiellas in Liguria, apud Sextias in Narbona, in Bajano ſinu Campaniæ, in Lebediorũ agro, in Lilanto Calcidis cãpo, in Liparâ & Ænaria inſulis, ad Budam Hungariæ, ad Aquisgranum atque alibi Germaniæ, calidarum aquarũ ſcaturigines: quarum aliæ vulnera ſanarunt, mẽbra corporis languida confirmarunt, mentis uſum reſtituerunt; aliæ alio divinæ ſalubritatis uſu ægrorum commodis conſuluerunt.

[r] *Marin. l. 1. rerum Hiſp.*
[ſ] *Card. de Element.*

Neque minus in conſtituendo corporis habitu Quotidiani uſus Aqua pollet. Officit plurimum valetudini craſſa, gravis, turbulenta. Lympida, levis, fluidi, pręcipuè ad ęſtivum ſolis ortum, curſus incolumem ſanitatẽ pręſtat. Atque utinam Patriam noſtram in hanc rem teſtem non haberemus: quæ certè non pari benignitate Acheloia pocula; quàm reliquam tolerandæ vitæ copiam ſubminiſtrat. Vnde enim illa ſtagnans in corporibus pituitæ ſentina? unde niger redundante bile icterus, lienum obſtructio, ſiticuloſæ raucæque fauces? Vnde tàm crebra hydrops, tam vulgata ſto-

macace & ſcelotyrbe, tot novarum quotannis febrium cohortes? Magnum ego vitiatæ valetudinis crimen lacuſtres & paluſtres Friſiæ aquas ſuſtinere puto: cujus illas turbida decolorq; facies, & inſuavis ad guſtum ſapor, ad nares odor convincit, per hyemem nive geluque rigidas, per æſtatem ſideris calore fervidas, pigra ſemper quiete torpentes. Neque ciſternina imbrium aqua ſalubrior eſt, vermium ex putredine fœtura infamis. Putei verò bituminoſi ceſpitis indolem referunt. Ita multæ vernaculæ valetudinis incommoda ab aquis ad corpora, atque inde ad animum ipſum derivantur.

Vini moderatio. Vini generoſi potio majorem ſanè ſalubritatis laudem obtinet: quod cum facilè in naturam tranſeat ſanguinis, deducto in omnem corporis partem alimento, ſpiritus lucidos minimeque denſos generat, torpentes languenteſq; reſtaurat, virtutem cordis corroborat, animum hilaritate perfundit, mētis aciem ſenſuſque ad penetranda veritatis adyta exacuit. Itaq; ſumptum moderatè vinum, ex Platonis ſententia, caperatam triſtitudinis frontem exporrigit, corpori virium fomentum præſtat, ingenio ſapientiæ pabulū ſufficit. Cui tantum tribuiſſe creditur *Aeſculapius*, ut æqua id cum Numinibus lance ſtatuerit. Suffragatur illi *Aſclepiades*, qui condito volumine vini

præſtan-

præstantiæ vix Deorum æquari potentiam scribit. Et adjicit calculum [t] *Aethiopum Rex*, qui reliqua Cambysis aspernatus munera, vinum summis laudibus extulit. Cujus dignitatis encomio vinum apud Poëtas audit

t *Herod. l.3.*

Magnum addes viro robur.

[u] Ἀνδρὶ δὲ κεκμηῶτι μένος μέγα οἶνος ἀέξει·

u *ζ. Iliad.*

[x] *Pellens animo curas*; [y] *Lætitiæ Bacchus dator*; [z] *restituens corpora*; [a] *parans animos*; [b] *ingenium faciens.* Hinc Bachum Vetustas juvenem pinxit, & alatum: quod vires corporis incolumes præstaret, & ingenio superandis siderum metis pennarum adderet remigium. Quæ Palladem illi quoque sapientiæ Deam eorundem sacrorum contubernio junxit:

x *Hor. 1. Carm.*
y *Aen. 1.*
z *Val. 2. Argon.*
a *Ovid. 2. Met.*
b *Ov. 7. Met.*

-----[c] *quod si qui abstemius odit*
Vina, Deæ nullum sentiat auxilium.

c *Alciat.*

Ex hoc fonte ingeniosam Poëtarum nationem in Bacchi tutela [d] *Horatius* vester, cliens ipse pampinei DEI, constituit. Quem se quoque Martialis libens meritoque profitetur:

d *2. Ep. 2.*

Possum nil ego sobrius, bibenti
Succurrunt mihi quindecim Poëtæ.

Si vobis siccis visum aliter, tamē [e] *Horatio* teste,

e *In Epist.*

Nulla placere diu, neque vivere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus.

[f] Persæ verò etiam de summis Reip. negotiis inter pocula consultarunt, vino ali prudentiam arbitrati.

f *Athen. l. 4. c. 6.*

Hoc verò divinum Vini beneficium est,

quod rigidam morum aſperitatem corrigat, excuſſoque ſeveritatis ſupercilio intractabilem ingenii duritiem, quam non ullis verborum lenociniis, nullis blandimentis emollias, ad jucundum humanitatis uſum traducat. Lãguet animus homini impranſo ſenſuſque torpent; ut ſepulti cineribus ignes nullum de ſe ſplendorem emittunt. Si potu & cibo irrigentur, reviviſcunt, refectiſque nativi caloris viribus ad obeundas vitæ ſuæ functiones excitantur. Ita tetrici homines ingenii, queruli, moroſi, præfracti, vultu importuno, moribus aſperis, animo dejecto, alieni ab omni hominum contubernio, vini meracioris percuſſi flore, exporrectâ fronte, diſcuſſaque mœſtitia, in geniales jocos & manſuetudinem exhilareſcunt. Vini illa vis eſt, quæ depurgato ſanguine, exhauſtaque fœculenti humoris ſentina, depreſſos & languentes ſpiritus ad mentem ſenſuſque illuſtrandos excitat.

g Hor. l. 3. Carm. O. 21.

[g] *Narratur & priſci Catonis,*
Sæpè mero caluiſſe virtus

quo perfuſus ille liberalius non vibrabat horribilem ſeveritatis aciem, non præ ſe ferebat cenſoriæ gravitatis notam. Ejus princeps ſectę *Zeno*, homo ad prodigium uſque ſeverus aſperque, cum interrogaretur; Cur inter pocula tetricæ mœſtitudinis remitteret ſupercilium; [h] *Lupinis aſſimilem ſe dixit*. Quod leguminis

h Athen. l. 2 c. 14.

genus

genus etsi amarum sit, adeò ut vermes interimat; maceratum tamen atque aqua perfusum, exuta elotaque amaritudine dulcescit.

Atque ut sumptum moderatè vinum corporis animique vires confirmat, & intractabilem morum asperitatem edomat: ita potio ejus immoderata & cruda ingluvies corpus debilitat, ingenium obtundit, sensibus stuporem, moribus turpitudinem injicit. Ad libidines & proterviam inflammat, ad audaciam & temeritatem incitat, furoris incendio facem, iracundiæ in pugnas arma subministrat, hominem dejectum bonæ mentis possessione in belluinæ feritatis & nefariorum scelerum contubernium abducit. Vestras maximè mẽtes testor, Amici, quàm inter populares nostros, in hoc civilis vitæ commercio oppidò multi sint, qui eximias ingenii dotes in lethali Bacchici liquoris lacu obmerserunt, cum popinarum trullis omni mente sensuque interbibito. Quibus idem quod Polyphemo accidit, in Vlyssæo ebrietatis poculo lumine pectoris extincto. Aut quod improvidis remigibus Circæi succu veneni in belluinæ feritatis indolem commutatis. Lysimachus ob sitim coactus se Scythis dedere, cum eam frigidæ haustu restinxisset, [i] *Dii boni*, inquit, *quàm brevis voluptatis causa quàm magnam deposui felicitatem*! Næ illi Bibones ita suas miserias querantur,

Vini immoderata po.io.

[i] *Plut. in Apoph. Reg.*

tur, exhauſta cum poculis mente, fama, fortunis. Quod ne [k] *Cyro* adoleſcenti eveniret, præbibitam ab avo pateram recuſavit, quem pridiana commeſſatione ſuæ impotem mentis corporiſque viderat, manifeſta bibiti furoris ſuſpicione. [l] *Diogenes* vero Cynica fronte largius poculum in terram effudit. Quod cum indigne ferrent alii, *Cur verò cum vino biberem mihi*, inquit, *perniciem ipſi*? Itaque [m] *Leotychidas* percunctanti, *Cur ita parcè biberent Lacones? Ne*, inquit, *alii conſulant pro nobis*: ſanam vino mentem extingui ſentiens. Non audet hoc diffiteri fœcũdi amator calicis *Horatius*, in ſeipſo expertus [n] ---- *quod corpus onuſtum*

Heſternis vitiis animum quoque prægravat una,
Atque affligit humo divinæ particulam auræ.

Quem ut non habeamus teſtem, ſapientiæ divinæ vox dicit: [o] *Vinum & ebrietas cor auferunt.* Vt enim in valida tempeſtate onuſtum mercibus navigium, ſopito gubernatore, aut amiſſo clavo rectum tenere curſum non poteſt: ita homo obrutis vino ſenſibus oppreſſaq; mente in ſtultitiæ ſcopulos detorquetur. Quod obſervans Pythagoras, [p] *Ebrietatem*, ajebat, *inſaniæ eſſe meditationem.* Ex eadem mente [q] *Plato*, *Ebrios, uti ſenes, bis eſſe pueros*; [r] *Chryſoſtomus* ebrietatem rectæ mentis alienationem; [ſ] *Baſilius* malitiæ omnis matrem, virtutum hoſtem, prudentiæ exitium dixit. Quod cum dico, tuũ mihi,

k *Xenoph. in pæd.*
l *Stobæus.*
m *Plut. in Lacon.*
n *L. 2. Serm.*
o *Oſeæ 4.*
p *Stob. Serm. 28.*
q *Stob. Serm. 18.*
r *Max. Serm. de Ebr.*
ſ *Ibid.*

mihi, *Neuhuſi*, in memoriam recurrit monitū, quod inculcare nobis pueris ſolebas:

Mente caret Bacchus; Nox fronte; Cupido pudore;
Et loca ſola metu. quattuor iſta fuge.

Ita excuſſo immanibus poculis rationis imperio, dejectaque à gubernaculo mente, excors vinolentia & ſuiipſius obliviſcitur, & rerum gerendarum omnem memoriam deponit, imagine conceptuum inundantis liquoris affluxu obliterata. Denique manifeſtus debacchantis inſaniæ conſuetudine furor concipitur; qui repreſſo verecundiæ obluctantis conatu, attritaqne fronte, præcipitem in omne facinus audaciam obfirmat. Inſolenti ſuperbiam, crudeli ſævitiam, temerario audentiam adjicit. Vinolentia in violentiam tranſit, crebro ebrietatis uſu: dum vino affuſa vitia etiam ſine vino valent. Ex eo cornua Baccho vetuſtas appinxit, in ferocitatis inſolentięque ſymbolum. Si quidem Bacchæ pater,

[t] *Tu ſpem reducis mentibus anxiis* t *Hor. 2. Ca m.*
Vireſque, & addis cornua pauperi:
Poſt te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.

Ex quibus inſolentis audaciæ cornubus *βȣγενῆ διόνυσον*, *bovegenitum*, *ταυρόμορφον*, *ταυροκέφαλον*, *βȣκέρωτα* Græci appellarunt. Cujus honori & memoriæ veteres, quando ſe ingurgitare volebant plenius, grandibus potare

tare Cornubus solebant. Quam sequuti consuetudinem [u] *Germani* vasta Vrorum Cornua, circumclusis argento labris, in conviviis usurpabant. Valuit ille in Frisia mos, neque etiamnum abrogatus, ut magnæ capacitatis cornua, argenteis insignia laminis, ad solvendam convivarum hilaritatem, in dapalibus cœnis circumferantur.

u *Cæsar l. 6. Comm.*

Hoc vinolenti furoris impetu [x] *Alexander* geniales mēsas propinquorum sanguine adspersit. Quem non conserta toties cum Barbaris prælia, non viarum & tempestatum incommoda, non fluminum & marium formidabilis vastitas, non ipsa rerum Natura frangere potuit, illum invictum, & veluti Deum in humano corpore hospitantem Herculeanus fati Scyphus suffocavit. Hoc insaniæ poculum [y] *Noachum* in liberorum risum & contemptionem dissolvit; [z] *Lotho* filiarum virginum pudicitiam prostituit; [a] *Cambysem* ad principum cædes impulit; [b] *Antonium* Triumvirum civium cruore madefecit; Centauros & Lapithas pugnis exitialibus commisit: alios ad alia efferatæ immanitatis flagitia inflammavit. Atque ut vini fervor, ebulliente in præcordiis sanguine, ferociam accendit: ita ad obscœnas hominem libidines proritat, igne in pabulo suo furenter sæviente. Distento enim vino cupediisque corpore genitales Naturæ partes turgescunt,

x *Curtius.*
y *Gen. 9.*
z *Gen. 15.*
a *Herod. l. 3.*
b *Plin. l. 14. c. ult.*

cunt, obortaque tentigine in venerem ardentius despumant. Hinc auribus animoque exitiales cantilenæ, amplexus contractusque indecentes mulierum, tripudia & verborum gestuumque lenocinia, spumantes inter pateras Nepotum adhibet lascivia. Quare Romano more, ex Numę Regis instituto, vino fœminis interdictum erat: ne ex ebrietate in dedecus aliquod prolaberentur.[c] *Proximus enim à Libero patre intemperantiæ est gradus ad venerem inconcessā.* c *Val.l.2. c.1.*

Postquam hæc copiosè graviterque dixisset *Gvvalterus*, epoto confestim poculo, Nunc tuæ, *inquit*, *Nieuhuisi*, bibendi & dicendi sunt vices, ut, *Quam homo ab Esculentis morum trahat indolem*, significes. Quod facturum te pari, ac ego, facilitate, & regia jubet sanctio, & promittit æquitas humanitasque tua.

Capvt VII.

De Esculentorum Indiciis.

EXcepit dicentis sermonem *Nieuhuisius*: Et, Quod fecisse[d] *Ciceronem* legimus, *inquit*, ut oraturus apud Centumviros *Erotam* servum manumiserit, eo quod nunciasset cognitionem in posterum diem prorogatam; hoc cum liberali in nuncium præmio evenire nunc optem mihi. Cum enim neque parem *Gualtero* nostro ad dicendum afferre facundiam pos- d *Plut.in Cic.*

ſim; neque quicquam in rem præſentem meditatus ſim, merito profecto vereor in dubiã ingenii aleam ire, & omnem hodie de meo nomine fortunæ calculum permittere. Sed ne videar convivii hujus ſymbolam juſſioneſque veſtras pervicaciter detrectare, dicam de *Eſculentorum indiciis*, quantum mihi memoriæ meæ penuarium ſuggeſſerit. Veſtræ eſt gratiæ, timide tenuiterque dicentem bonâ cum veniâ audire. Qui Cibi cum corpore; ille eſt corporis cum Animo contubernali conſenſus & cognatio. Ex alimenti ſucco valetudo corporis temperatur. Corporis indoles in animũ tranſfunditur, ſuum ex ipſius habitu ſtatum & conditionem ſortitum: ut erectus alacerque vigeat; aut rigeat langueatque humi dejectus. Æqua cõſorſque eſt utriq; ejuſdẽ fortunæ poſſeſſio. Mutuam ambo, *ut dicentem audiviſtis Collegam*, operam expoſcunt. Si ſua corpori ſine ulla offenſione valetudo conſtiterit, promptè alacriterque impoſitum à Natura munus obit, libidinem imperiis obſequentem, ſenſus perſpicaces, mentem ad ſcientias capacem habet. Sin domicilio illi vitium offeratur, illico hoſpitans in ſuo corpore Animus elangueſcit, cupiditas effrænatior rationis imperio obluctatur, ingenii ſenſuumque acies obtunditur.

Spiritus facultatũ in corpore animato moderator.

Præcipuum verò in Animato corpore functionis obeundæ inſtrumentum eſt Vitalis ex

Cibi

Cibi ſucco *Spiritus* : qui pro ſuo ingenio in diverſos Animum impetus rapit ; erigit, inclinat ; turbat, componit ; acuit, obtundit. Pro ſua conditione ſtatum illius immutat, vitæque omnes facultates moderatur. Equidem nihil homini in hac mortali vita tam neceſſarium quàm

[e] *Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano:* e *Iuven. S.* 12.

Vt ſpiritus, unicum illud vitæ caloriſque fomentum & gubernaculum limpida à fontibus ſuis exeat ſcaturigine, ac ſine ullo ſentinæ affluxu liquidus valenſque per rivos ductuſque arteriarum in omnem corporis partem, ad ciendas animæ actiones, decurrat. [f] *Spiritus lætus*, Sapientiæ ipſius teſtimonio, *ætatem efficit floridam*; *ſpiritus triſtis areſcere facit oſſa, vitam præcipitans morte properatâ*. Quid enim eſſe cauſæ putatis, quod aliâs magis compoſito tranquilloque animo ſimus, ſedatâ cupidine, placidis moribus, ingenio vivido vegetoque; alias, turbato quietæ mentis otio, violentiore cupiditatum impetu concitemur, iræ doloriſque æſtu vehementius jactemur, in quotidiano convictu difficilem moroſitatem, in tractandis ſtudiis hebetes ac obtuſos ad intelligendum ſenſus præſtemus? Neque enim ita quenquam noſtrûm exactis eſſe moribus arbitror, ut non in aliqua quandoq; re delinquat, nunquam enormem cupiditatis impetum ſentiat,

f *Prov.* 17.22.

nullo affectuum incursu exorbitet, semper æqualem in omni vita, sine ulla offensione, cursum teneat. Si quis est in hoc cœtu eâ moderationis indole, næ ille multum sani corporis spiritibus debet: à quorum defæcatâ puritate animi tranquillitas, morum rectitudo, sensuum perspicacitas descendit. Si labem illi aliquam contraxerint, si ab impuro fœculentoque sanguine vitium acceperint, statum animi tranquillum evertunt, moribus querulam asperitatem, ingenio stupidam ruditatem afferunt. Ventorum violenti flatus, si quando

g Aen. 1. g *Vna Eurusque Notusque ruant, creberque procellis*
Africus, & vastos volvant ad littora fluctus,

maria terrasque vehementissimè perturbant, & gravi motu convellunt. Non minor in humano corpore spirituum vis est: quorum inquies & turbulentia animum præcipiti concitatum impetu vehementissimè jactat, excussoque rationis clavo, in dubios cupiditatum scopulos impellit. Gentes universæ in suffragium eunt sententiæ meæ: quæ in suam quæque indolem ex diversi natura spiritus formātur. Arctoi sideris Aquilo homines generat feroces, asperis moribus, minaci voce, virili animo: ad excipiendum ferri aciem intrepidos, ad subeundum periclitantis vitæ discrimen infractos. Eoi tractus tepor imbecillis pusillique animi mollitiem producit vulnerum

rum

rum impatientem, Martis infeſti & Mortis incapacem, acres iras impetumque animi vehementem; ſed brevem & evanidum, ad primi fruſtrationem conatus collabentem. Illic denſi corpulentiq; ſpiritus ſtabiles ac diuturnos animi motus efficiunt, ab ipſo ſæpè periculo auctiores; iſtic invalidi exileſque ſpiritus in faciles animum impetus concitant, qui in tenui & caduco pabulo, ut fugax in ſtipulis flamma, cito deferveſcat.

Sed evidenter etiam in ipſo Corporis *Temperamento*, & ſtagnantibus intus Humoribus morum habitat indoles, ex hoc fonte naturam ſuam derivans. Pituitę redundantis ſentinam cogitate. Nonne illa, ſopito ſubmerſoq; natalis foci domeſtico calore, vim mētis & ingenii acumen retundit, ſenſus obnubilat, memoriam humoris affluxu obliterat, ad inertes ſomnos & ignaviam hominem dejicit? Hoc tamen laudabilis nomine, quod reſtincto bilis ardore, ac hebetatâ calliditatis acie, iracundiam cohibet, conatumque fraudandi improbum elidit. Croceam Bilioſi humoris proluviem ſpectate. Nonne ebulliente ad præcordia ſanguine iram, ſubditâ velut face, inflammat, levi momento incandeſcentem, levi deflagrantem; animum erectum, alacrem, inquietum; ingenium acre, ſubtile, varium producit, capax bonarum juxta & malarum artium,

Temperamentum.

tium, ſubitum præcepsque in omnia? Fœculentum Melancholici ſanguinis colamentum conſiderate. Nonne tetricis frontem rugis caperat, ſupercilia adducit, oculos obliquat, mẽtem triſtitiæ nebulis obumbrat, ad inhumanitatem, ad diffidentiam, ad deſperationem adducit? Floridum ſanguinem, pabulum vitæ, fomitem nativi caloris videte. Nonne meraciſſimo perfuſum liquore hominem puerili ſtoliditate jactantiaque effert, incompoſito motu inepte juvenari, ludis & jocis immoderatè indulgere, effuſe ac inaniter exultare, nullam in dictis, in factis, in inſtituto vitæ prudentiæ partem præ ſe ferre? Tanta inter corporis animique temperationem eſt cognatio.

Nunc, quam magnum in Cibis formandæ indolis poſitum ſit momentum, cognoſcitis. An verò aliud genitale ſpirituum eſt ſeminarium, quam Cibi ſuccus, ad ignem excoctus foci penetralis? An liquor ille vitalis corporumque noſtrorum temperatio ex alio deſcẽdunt fonte, quàm quotidiani uſus victu familiari? Quod enim noſtis, *Amici*, ſpiritus rector moderatorque vitæ à natali parentum ſemine primam generantis Naturæ induſtria originem ſumit. Tum; uti pabulo ſuo ignis; ſumptis confectiſq; alimẽtis enutritur. Abſq; quo eſſet; ut ſubtracto flammæ oleo; deficiente vitali humore, interiret & emoreretur. Igitur

Cibus

Cibus attritus comminutuſque in ore mandibulis, in ventriculum dejicitur: ubi viſceris calore confectus, rejectis purgamentis, ad Hepar, atque inde per ſuos ductus ad Cor deferatur, in naturam ſanguinis elaborandus. Hæc ſpirituum genitalis eſt officina, hoc rudimentum & perfectio. Si enim Cibus ſumatur nutrimenti laudabilis, ſi ſuo ventriculus munere probe fungatur, & purioris alimenti ſuccos ad fabricandi ſanguinis tabernas tranſmittat, puri ſyncerique vitæ naturęque ſpiritus generantur. Qui tum ſurſum per arteriarum & venarum canales in Cerebri evecti aulam, Animali ſpiritui materiam atque alimentum præbent. Inde per nervos in univerſum exiens corpus, inprimiſque animæ ſeſe offerens, quo illa intenderit, erumpit, ſenſum omnem ac imaginationem, appetitum & motum, opinationem ac intelligentiam moderatur. Igitur ſi craſſus fœculentuſque ſit ex improbo alimento ſanguis, ſi in duro difficilique cibo concoctio fruſtretur, impuri ab Hepate ac corde ſpiritus in cerebrum aſſiliunt, qui animi ſimul ac corporis ſtatum evertunt, mentem obnubilant, ad enormes affectus animum abducunt. Ex coctis digeſtiſque probi ſucci alimentis ſynceri ducuntur ſpiritus: qui à ſuis officinis in caput delati, roſcido cerebrum madore irrigant, mentis aciem detersâ ſtupiditatis caligi-

ligine illuſtrant, libidinum turbulẽtarum motus ad quietem componunt, omnes animi corporiſque facultates ad rectitudinem ſui muneris deducunt.

Ex cibo corporis temperatio.

Quàm verò manifeſta in generandis Humoribus, temperandoque valetudinis ſtatu, Ciborum vis eſt! Quàm certa atque efficax in multis Alimentis, ad inundandum Pituitę fluxione corpus, ad inflammandam Bilem, ad fundendam puri Sanguinis ſcaturiginem indoles! Quis non noſtrûm aliqua ſæpè languidus ægrotatione, ad imperioſas Medicorum, in præ ſcribendo victu, ſanctiones exhorruit? Cui non illæ, de inſtituenda Diæta, & delectu Cibi, Leges nauſeam & faſtidium fecerunt? Ille Pituitæ ſcatet purgamento; ne comederis. Iſte in Bilem proferendam facilis; ne guſtaris. Hic aut refrigerat validius; aut accendit flagrantius; aut humectat largius; aut adſtringit fortius: ne, per ſalutem tuam, attigeris.

h Hor. 2. Ser. 2.

[h] *Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoq; tumultum*
Lenta feret pituita: vides, ut pallidus omnis
Cœnâ deſurgat dubiâ.

Ille verò eſt ſalubris; ille commodus; in illo nulla profligandæ valetudinis, noxiique humoris latet ſuſpicio. Ita valetudo noſtra ſummum aut præſidium habet in alimentis, aut perniciem, ex illa indole ſtatu corporis animique temperato. Igitur ad morum bonitatem pluri-

plurimum refert, quo aliquis cibo utatur. Qui ſi probi fuerit ac laudabilis, ad opificium ſanguinis, ſucci, mentem ſenſúſque illuſtrat, affectus placidos ſedatoſque reddit, omnes animi motus ad rationis imperium componit. Sin ex pravo Alimento vitioſi humores ſpirituſque turbidi proveniant, effumante in cerebrum fuliginoſo vapore, gravem animus noxam contrahit, ſenſus obſtupeſcunt, affectus efferati tumultuantur, intelligentiæ nubilum prætenditur Cimmerium.

Vnde enim eſt, quod Opificum & Bajulorum contubernia, & illa ex luſtris & receſſu pomœriali gregaria hominũ multitudo paſſim intractabilis ſit, ſtupida, ferox, litigioſa, ab humanitatis conſuetudine aliena? Vnde eſt, quod magnatum flagrantes ſint iræ, acres inimicitiæ, indomita moroſitas? Multum, meo quidem judicio, peccat victus ratio familiaris. Illic malignus ſaburræ humor turbulentis cerebrum ſpiritibus obnubilat; iſtic creber ferarum aromatumque uſus bilem inflammat. Nocturna, quæ per quietem objici ſolent mẽti, viſa illam in formando animi ſtatu Ciborum efficaciam demonſtrant. Si ex improbo difficilique paſtu craſſis corpus humoribus ſtagnet, horrenda ſomniorum ſimulacra offeruntur, lemures, ſtriges, harpyiæ, cadaveroſæ facies, vultus monſtroſi. Moventur cum ad-

Ex cibo viſa ſomniorum.

verſario lites, conſeruntur pugnæ, patrantur cædes, deflagrãt ædificia, in cœnis & ſordibus volutari ſibi homo videtur. Si facili bonique ſucci utaris victu, aut placidè per ſummam tranquillitatem, aut in jucundis lætitiæ ſpectaculis ſomnus exigitur. Idem verò, qui per quietem horrendis ſomniorum oſtentis animum jactat ſpiritus, diurnis eum horis quoque fatigat, & concitatum procelloſo affectuum æſtu, rectoque excuſſum curſu, graviſſimarum perturbationum ſcopulis illidit.

Cibus immoderatus. Illa turbulenti ſpiritus inquietudo & fluctuatio à *paſtu ciborum immoderato* evidentes ſumit vires, nunquam ſui compote animo, ſi corpus abundantiore cibo ſaburretur. Vtenim,[i] *Columella teſte*, prævalente fundo alliditur dominus, cum robuſtiore congreſſus luctatore: Ita ſupra Naturam ſumptum copioſius alimentum, vim omnem mentis frangit, ſenſuſque obſtupefactos ad languorem & inertiam peſſumdat. Verum eſt illud vetus: παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον. *Pinguis venter mentem non gignit tenuem.* Quis eſſe bonæ Mentis potuit uſus apud guloſos *Bœotios*; apud voraces *Pharſalios*; apud *Caupones Maronios*; apud ſaginatos *Sybaritas*; apud luxurioſos *Lydos*; apud *Cantibaros* Perſas,[k] defatigatis edendo maxillis, cibum in apertum os, ut in vaſculum ſolitos demittere; apud *Syros*, *Siculos*, *Ionas*; qui-

[i] L.1.c.3.

[k] *Ath.* l.1.c.1.

quibus toto die venter ad immobilitatem uſque differtus diſtendebatur? Quo fungerentur ſapientiæ munere veteres illi gulæ architecti, *Sergius Orata, Lucinius Muræna, M. Apicius, Hyperides, Philoxenus, Eriſichton Theſſalus, Gnoſippus Lacon, Timocreon Rhodius, Pontifices & Salii Romani, Claudius* & *Vitellius* Impp., *Mœnius* ille

Ingluvies & tempeſtas barathrumque macelli:
Qui quod quæſierat ventri donabat avaro,
Exhauſtiſque bonis patinas cœnabat, omaſi
Pinguis, & agnini, tribus urſis quod ſatis eſſet.

Lithyerſas Midæ F.

[l] *Totum clitellarum trium panem ipſe edit* l *Ath.*
Parvo die. *l.* 16. *c.* 1.

[m] *Aglaïs* tubicen carnis XII. libras, quatuor panis ſemodios; [n] *Milo Crotoniata* libras XX, & aliquando quadrimum taurum; [o] *Maximinus* Imp. libras XL; Firmus Seleucius ſtruthiocamelum; [p] *Clodius Albinus* Imp. X. capones, C. ficedulas, præter oſtreorum, ficuum, uvarum, melonum incredibilem copiam; [q] *Aureliani* phago aprum integrum, vervecem & porcellum, centum panes, aut uno accubitu, aut uno die abſumpſerunt. Quis in illâ ſaginâ ingenii fuit locus? Quæ copia conſilii ac prudentiæ? Ingurgitavit omne ingenium pecuina ventris ingluvies, opimatique corporis abdomen mentis obſtruxit lumini: ut ſolis radii nubium prætenti caligine hebetantur; aut offuſum craſſo

m *Ibid.* n *Ibid.* o *Sab. l.* 10. *c.* 10. p *Ibid.* q *Fl. Vop.*

craſſo vapore ſpeculum imaginem non reddit. Inceſtæ verò mentis libido & petulans protervitas hac ſaginâ opimatur. Stimulant enim lumbos adaucti ex copioſo victu humores, unde affecta tentigine Natura in Venerem prurit ardenter. Atque ut patinariæ; *liceat ita cum Comico loqui*; ſtruices, ventriſque ingluvies, intenſo pubis ſaltu libidinem irritat: ita ſubductus adoleſcenti corpori cibus, & attenuata infra naturæ modulum paſtio corpus in rugoſam ſquallentemque gracilitatem ſtringit, venuſtatem oris deflorat, ſuccum vigoremque exhaurit, mentis alacritatem & erectionem dejicit, ſpiritum proſternit, indolem deniq; omnem animi divino ingeneratam munere extinguit, ut emergere ac incaleſcere ad res præclaras nunquam poſſit. Domitis enim inediâ viribus, & depaſto vitæ ſucco, neque corpus, neque animus ad juſtam ſui maturitatem & magnitudinem aſſurgunt, homine properatâ ſenectute ac morte confecto. Cui idem contingit, quod arboribus herbiſque virentibus, quæ ſubtracto terræ ſucco, prohibitaque irrigatione langueſcunt & emoriuntur.

Inedia.

CAPVT VIII.

De circumflui Aëris conditione ex Ambientium claſſe.

POſtquam hunc ferme in modum dixiſſet *Nieuhuiſius*, videns, ad ſe cum poculo vices veniſ-

veniſſe dicendi *Vierſenius*, Benignè mecum agitis, *inquit*, quod homini verecundo & pudēti ſpumantem vino pateram apponitis: ſi forte carens fronte Bacchus ſoluto pudore aliquam mihi ad dicendum faceret confidentiam. Noſtis os vultumque meum ad prima ſæpè verba pudore confuſum. Noſtis ingenium ſubruſtico penè pudore præſtrictum. Equidem non parva me circumventum difficultate video; niſi meæ timiditati ab hoc poculo, & veſtrâ gratia copiæ veniant auxiliares. Sentio enim in alieno me foro verſari, & ad illam detruſum provinciam, quæ philoſophicum magis acumen, naturæque ſecretioris; quàm legum & juris Conſultum requirit. Itaque nihil à me in hac Quæſtione eximium exſpectate ac ſingulare: qui nihil in rem præſentem dicam aliud; quam quod cum communis auræ hauſtu ruſtica omnes homines Experientia docuit. In his verbis arripit cyathum, à cujus hauſtu ſumpto animo, diffuſaque in hilaritatem fronte, ita *de Circumflui Aëris indole* diſſeruit.

Si ea eſt Corporis Animique cognatio & conſenſus; quod vos modò docuiſtis, *Amici*; ut mutua afficiantur valetudine: magnas profecto Aër formandæ indolis vires habet: qui ſe corpori latenter inſinuans, ſuæ illi qualitatis habitum affundit. Magnum omnino in illo mutandæ valetudinis eſt momentum: ſive ut *Aer valetudinem afficit.*

fulciat

fulciat integri corporis ſtatum; ſive ut ſanitatem demoliatur. Qui ſi peſtilens noxiuſq; fuerit, longè majus infert nocumentum, & conficit corpus celerius; quàm pravæ indolis alimentum. Illud propelli forâs, & egeri illo poteſt aditu, quo acceſſit. At Aër, ſi quando corripuit vitalia, venaſque ſubiit, ita inhæreſcit, ut expugnari ægrè poſſit. Illud non penetrat ſtatim in vitales partes; niſi coctione mutetur, domita mitigataque malignitate. At Aër inſertus pulmonum fibris, protractuſque ad cordis eventationem, ac inde per latẽtes meatus univerſo obrepens corpori, vim afferre valet confeſtim lethalem. Ille purus & ſine noxâ hauſtus intra corporis receſſum, quàm eſt illi commodus; quàm ſalutaris! ut recreantur vires, conceptâ vini meraci aura! quam benignam cerebro herbæ floreſque redolentes animam halant! Quis non ſalubri aromatum afflatu hilareſcere ſpiritus, & dulci quodam gaudio perfundi atque irrigari ſentit?

Ventorum vis in corporis ſtatu mutando.

Quis noſtrûm omnium ita duro obfirmatoque eſt corpore, ut non externis in aperto ſolutoque aëre Flatibus, aut refici vehementer valetudinem; aut offendi percipiat? Quis non cum inſtabili Ventorum impetu in diverſum ſe rapi corporis ſtatum experitur? Nonne flantibus ab ortu Aquiloniis, ut diſploſis nubibus aër ſerenatur; ita noxii in corpore humores

mores exhauriuntur, animi mentiſque nebulę diſcutiuntur, ſenſionum facultates vigent, vires ſuam incolumi valetudine firmitatem habent? At ſi à contrario cœli cardine Auſtrini inſurgant flatus, quantum ſæpè valetudo detrimenti capit! ut collabuntur & langueſcunt reſolutæ fluido madore vires! ut enim terra largiore perfuſa imbre humectatur, lintea chartæque flacceſcunt, paludes & cloacæ fœdam animam halant: ita liquefactis diffuſiſque toto corpore humoribus, pectora & fauces catharris obſidentur, tinniunt aures, lippiunt oculi, pulmones tuſſi, caput vertigine tentatur, nervi muſculique fluxu humorum lubrici podagricis doloribus infeſtantur. Quã blandam primo vere aurulam Zephyri adſpirant! quàm ſalubri afflatu flores atque herbæ, aperto terræ ſinu, eliciuntur; ſanguis, qui per hyemem delituit, provocatur; mens ipſa, diſcuſſo mœroris nubilo, nova hilaritate perfunditur! ſi à ſeptentrione Corus Circiuſve, hybernis maximè menſibus, intonuerit, quantas in nervis & muſculis accumulari ſibi puncturas, rigores, laſſitudinem homines morbidi queruntur! quàm violento frigore Cæciæ Thraciive à vicino mari aura, in patrio ſolo, corpora penetrat, meatus obſtipat, pituitam compreſſis muſculis exprimit.

Ipſa, me tacente, Muſæa noſtra, & Cænacula do-

la docent, quantam in mutando corporis ſtatu vim habeant aurarum afflatus. Non ſentimus, pro aëris, cui proſpectus patent, ingenio, aut refici vehementer valetudinem; aut ſolutis confectiſque viribus deperdi? Non querimur, firmitudinem, admiſſo in feneſtras Auſtro, concidere, cerebrum gravari, corpus humorum fluxu madeſcens flacceſcere; cum recepto Aquilone melius valeamus? Memini me quondam à *præceptore Neuhuſio* audire, *Hippocratem* in populari peſte, quæ univerſam corripuerat Græciam; multis hominum millibus incolumem præſtitiſſe valetudinem, cum, præcluſo Auſtri ſpiritibus aditu, Aquilonem intromitteret. Quod cum Corcyræ, infeſto contagioſis halitibus aëre, *M. Varro* præſtitiſſet, ab omni lue ſe familiamque omnem vindicavit. Itaque Mytilene, in Leſbo oppidum, perniciosa infame habitatione fuit: quod Africo Coroque obverſum, concepta humorum corruptela, crebra ægritudine afficeretur. Neque enim poſſunt inculpatâ uti valetudine homines, vitamque in grandiorem ſenectam prorogare, ubi gravis & inſalubris cum aëre halitus cõcipitur. Inde ego illas in *Friſia* noſtra tot novarum febrium cohortes, & Ephemeras contagioſas; tàm crebras ex humorum deſtillatione querelas; tàm frequentes icteros; tàm uſitatam ſcelotyrben & ſtomacaccen puto emer-

emergere, noxiam ſtagnis & paludibus animam ſpirantibus. Quanquam in noſtra *Leoverdia* ſalubrem magis aërem trahi exiſtimem: quem ſuavis à paſcuis aura temperat: non ſtagnantibus in proximo aquis, non halitu pluſculum remoti maris contaminata.

Quam pro diverſa Ventorum ſtatione ac motu; eam pro ſua temperie, frigoriſque & caloris halitu, in afficiendâ corporum valetudine poteſtatem Aër habet. Docent hoc quadripartita Anni tempora: quæ cum æſtuum rigorumque viciſſitudine variè corpus afficiunt, & pro recepti aëris conditione, aut cõfirmant ſtabiliuntque vires; aut dejiciunt. Ille ubi Caniculæ inflammatus radiis plus nimio concaleſcit, & immodico corpus calore infeſtat, flavam bilem, febrium ardentium materiam, accendit, languorem membris inducit, debilitato ſtomacho coctionem prępedit. Sin ab immani Capricorno & Aquario, in extremo ſolaris receſſus limite, perfrigeratur, poris meatibuſque conſtipatis, pituitæ generat illuviem, ſomnos & ignaviam producit, artus animumque veterno ſtupefacit. Quando plus æquo pluviis madeſcit, copioſo humorum defluxu corpus onerat, menti caliginem affundit. Cum ſuavi vernantique cœlo aura temperatur, meatus laxantur, humores libero ſolutoque ventilati motu à recrementis purgan-

Temperies frigoris & caloris.

tur, animantes omnes hilareſcunt, mentes hominum eriguntur, corpora receptis de novo viribus vegetantur. Tantam quidem Aër in formando corporis ſtatu atque habitudine vim habet: unde morum animique trahi indolem, unà mecum omnes ſtatuitis.

Aëris & ventorum vis in animum.

Quod ſi quiſquam illius in fingendo Mentis animique ſtatu vires neget, à ſe ipſo ſumat documentum, in diverſos morum habitus, pro aëris flatuumque externorum conditione, commutatus. Cum iſto cœlo, cujus ſpiritum ducimus, hilareſcimus, aut triſtamur. Cũ inſtabili aurarum ſtatione in diverſas animorum ſpecies tranſimus: ita plerumque affecti intus, ut ductus illi ſuctuſque ſpirituum vitales mentem fingunt. Liquido ſerenoque aëre, cum fronte animum exporrigimus; nubilo impuroque dejicimur, ad mœrorem & triſtitiam deducti. Quando pura de cœlo hauritur anima, quàm alacris & erecta nobis mens eſt! quàm excluſa omni moroſitate tractabilis! quàm ad functiones obeundas expedita! Quanta verò illius eſt contractio; quàm gravis animum obſidet ſollicitudo; quàm difficiles ſumus & ſtomachoſi, cum craſſus multaque ſordidus caligine aër nobis offunditur! In aperto cœlo quàm diverſos illi ventorum flatus adſpirant animo mores! Qui ſi violenti fuerint, ferociuſque ſæviant, animum unâ ſuo

con-

concitatum impetu perturbant, dejectumque de quietis ſtatu ad enormes affectus propellunt. Vt enim maria vi tempeſtatum ab imis refuſa vadis intumeſcunt, fluctuſque inſolenter attollunt: Ita, furentibus atrociter ventis, ſuo quodam ęſtu humores in corpore efferveſcunt; qui evecti in cerebri arcem, impulſis ſpiritibus, turbidos animorum motus concitant, averſos à ratione, inimicos mentis vitæque tranquillæ. Hinc illa tempeſtuoſo cœlo affectuum eſt intemperies, illa in colloquiis difficultas, in animo iracundia, in converſatione moroſitas. Suam verò etiam ſinguli vēti, in formandis animi moribus, indolem habent: aliter hominibus ab Aquilone; aliter ab Auſtro; à Favoniis; à Circio Cæciave affectis. Si Auſtri ſint in ſtatione, mens langueſcit, ad ſomnos & ignaviam dejecta, functionibus oſcitanter fungitur, offuſa humorum uligine ſtupida inerſque redditur. Aquilones & Zephyri, quando irrigatur ſolis ſplendore cœlum, animum ab omni mœſtitiâ erigunt, alacrem, vividum, curando muneri aptum præſtant.

Quis neſcit univerſarum Gentium mores & ingenia hoc aurarum ſpiramine temperari, & ex ventorum afflatu in diverſos animorum habitus componi? Quis non teſte didicit experientiâ, ſuffragante illuſtrium ſcriptorum *Gentium mores à Ventis.*

authoritate, acutiora eſſe ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolunt eas, in quibus aër eſt tenuis & purus; hebetiora eorũ, qui craſſo utuntur cœlo. Quo diſcrimine in una olim Græcia Thebanos atque Athenienſes natura diſtinxerat: illos ex craſſo concretoque Bœotiæ aëre ſtupidos; iſtos ex tenui ſerenoque perſpicaces & intelligentes. Itaque Pallas ſapientiæ aſylum de ſuo nomine dictas Athenas conditura, locum ſaluberrimum & temperatiſſimum elegit. Marinæ afflatus aurę homines ad iracundiam ferociamque exaſperat. Mitiori ſunt ingenio, qui ab agris, dulcium aquarum fœcundis irrigatione, arborumq; umbraculis aërem hauriunt temperatum. Ad ventorum liberum objectos impetum Polonos, Croatas, Thracas, barbara inhumanitate immanes experimur. Neque enim ſedata in illis eſſe mens poteſt, qui perpetua jactatione ac turbine ventorum huc illuc verſantur. Vt in alto nautæ irrequietis agitati tempeſtatibus ferociunt, animoſque habent inſtabiles & turbulentos: Ita ventorum flagellati flabris populi, ut corporibus; ita animis perpetuo fluctuant, inſipidi, intractabiles, truculenti.

Cum in hoc eſſet ſermone *Vierſenius*, pulſato tenuiter oſtio, famula ſignificat, *Neuhuſii* filium *Reinerum* præ foribus adeſſe, & conven-

tum

tum velle Patrem. Qui cum omnium voce adduci juberetur: ut intro venit, dictaq; omnibus salute adsedit, *rogatus*, quid novarum rerum secum ab almâ ferret Franica, ut haberent se studia literarum, qua viverent valetudine Professores; contractis in mœrorem superciliis, Nihil quidem, *ait*, auspicatum, nihil lætum nuncio, grassante immaniter in Doctorum nostrorum capita letho. Nuper magno studiorum nostrorum damno subtractus est è vivis *Ammama*, sanctę linguæ vir scientissimus. Nondum obducta isti vulneri cicatrice, præmaturo fato diem obiit *Hachtingius*: qui Logicam artem cum laude profitebatur. Eheu, meus, *dicebam*, occubuit *Hachtingius*! meus vitam mortalem peregit *Hachtingius*! quem quidem propter animi candorem atque integritatem, inde usque à primâ adolescentiâ, cum sub disciplina versaretur mea, inprimis amavi charumque habui.

Sic mihi te, Vir chare, trucis vis improba Fati
Abstulit, & letho mersit acerba dies! *Hachtingii mors, pramatura.*
Mors fera, tu sacræ ferrum supponere meßi,
Insignemque audes sternere falce Virum?
Tu sacros Phœbi vates, turbæque Magistros
Aoniæ, serum subruis ante diem?
Cur non in vetulos aciem distringis, & ense
Plebeiæ resecas stamina longa coli?

Aut tu Palladias si jus tibi sumis in arces;
Improbitas fati lege recisa cadat.
Iste meus Pylias ævi transcendere metas,
Nestoriosque dies vivere dignus erat.
Dignus honoratæ virtutis præmia, dignus
Ingenii pretium ferre decusque diu.
Sed tibi digna dedit cœlestis præmia vitæ
Et merito evinxit Christus honore caput.
Tempus edax fluxos hominum populatur honores;
In cœlo stabilis vita decusque manet.
Stat sua cuique dies: breve vivitur omnibus ævum.
Et juvenem in leges mors rapit atra suas.
Vt, quæ mane viget; sero Rosa vespere languet:
Arrepit tacito Parca maligna gradu.

Plura dicturum impediebat ex charissimi hominis obitu dolor; cum conversus ad filium, Tu verò, *inquiebam*, nullo tui amantissimo præceptori parentasti carmine? Satisfeci, *dicebat ille*, officio meo: atque ecce tibi *Næniam funebrem*, quæ si limato politoque tuo judicio non satis placuerit, veniam, ut spero, feram ætatis. Neque enim parum mihi metuo à Censoria tuæ notationis acie, quam distringere in meas scriptiones soles: quasi nihil à me his Tyrocinii annis proficisci debebat, nisi quod perfectum esset ingenio, & judicio elaboratum. Iubentibus vero Amicis, eam de charta in hæc verba prælegit.

Eheu,

Eheu, quàm querulus verberat æthera
Hinc atque hinc gemitus! quàm furit, & graves
Sors infesta minas incutit! ut mala
Lethiferos meditatur ictus!
Cæcas impatiens ut latebras dolor
Mentis sollicitæ perfodit ictibus!
Vt fletus patulo prosiliunt lacu!
Ceu rapido ruit unda fluxu.
Heu, heu! quàm tetricas sæva Necessitas
Strages accumulat Pieridum in choris!
Quanto jam furiis tristibus æstuans
Trux Libitina ruit tumultu!
O triste arbitrium terrificæ Deæ!
Tu tristi cumulans funera funere,
Phœbæos avidâ falce metis viros,
Et tumulum tumulo addis atrox.
Vix pullam posuit Musa dolens togam;
Et cor lethifero vulnere saucium
Sensus præteriti destituit mali:
Vix animi coïit cicatrix:
Sanctis ante diem Manibus Amamæ
Hachtingî exuvias adstruis impia:
Quos & viva fides nexu adamantino
Iunxerat, hos socias sepultos.
Crudelis nimium Parca! nimis ferox
Minos! quid Iuvenum robora fortium
Strictâ falce secas? cur Heliconidum
Magnanimos perimis Dynastas?
Tu Bacchi, & Veneris turpiculum gregem,

Rugososque senes, vulgus & inscium;
Quod nec Relligio, nec pietas juvat;
Mortiferis ferias sagittis.
Hachtingum opperiet perpetuus sopor?
Cui Doctrina, pudor, Iustitiæ soror
Incorrupta Fides, nudaque veritas
Vix unquam invenient parem.
Multis ille bonis flebilis occidit:
Pallas, Relligio fata dolent sua,
Et largis sophiæ, flumineum in modum,
Imbuitur lacrymis sepulchrum.
Heu, quàm vita hominum multimodis scatet
Fortunæ insidiis! quàm citò stamina
Rumpit Clotho minax, & furialibus
Perniciem meditatur armis!
Quid glebas petimus Peruvii soli?
Quid terras alio sub Iove quærimus?
Aut pennâ ingenii Dædalium in modum
Scandimus æthereos sub axes?
Mors stat certa viris omnibus: inclyta
Regum Sceptra furens Parca Ligonibus
Exæquat rigidis. Lege semel data
Intrepidi pereunt Catones.
Vt fumus vacuo diffugit aëre:
Vt prati nitidum decutitur decus:
Sic humana perit vita, perit vigor
Arbitrio rapientis Orci.
Felix ter nimium, quem Pietas juvat,
Et recti sibi mens conscia: quæ neque

Formi-

Formidat rabiem Funereæ Deæ,
Nec gelidi tenebras ſepulchri.

Volebat dicere Filius beatam *Hachtingii* in cælis conditionem, & corporis humati Tumulum; cum ego abeundi veniſſe tempus monerem, ducente maturam noctem Heſpero. Hîc ſurgentibus obluctatus *Echtenius*, non dimittam vos, *inquit*, priuſquam *ſupremum Gratiæ poculum* libemus: ut hæc bona omnium gratia, ſicut cœpit convivatio noſtra, ita deſinat, nullo unquam intercurſu offenſionis turbata. An verò tu, *inquam ego*, dum abitum molimur, Gratias in medium revocas, quibus initio ſacrificatum ſatis. Si hoc agis, ut nos vino deponas, madidoſque facias, cur non *boni genii poculum* circumferri jubes: quo finiri antiquitus convivia ſolebant? Priſci fuit moris; quod vos ſcire arbitror; ut diſceſſuri convivæ boni Genii poculum ſibi præbiberent. Ibat hoc in ordinem, cum mortis imagine: ut à Genialis mēſæ gaudiis, ad caducæ ſortis & humanæ fragilitatis memoriam ſinguli revocarentur. Admiſcebatur vino Abſynthium: ut nullum eſſe in mortali vitâ merum perpetuumque gaudium, & voluptatis dulcedinem plerumque triſtitiæ interpolari amaritudine cogitaretur. *Clamabant hîc uno omnes ore*, & bibitum eſſe ſatis, & humanæ fragilitatis documentum ex præmaturo *Hachtingii* fato ſumi poſſe: ut ad

Boni genii poculum.

memoriam noſtræ ſortis Abſynthio non ſit opus.

Fateor, *inquam*, fateor. Et quis illis uſus jucunditaſque Abſynthii eſſet: qui, aut coitis recenter nuptiis, aut ſponſis, in delicato ſinu complexuque dulcem amori operam navant? Manete quæſo, *Amici*, dum his aut Maritis novis, aut ſponſis, nuptiali acclamo carmine.

In ſacrum Connubiale

D. AHASVERI à VIERSEN,

Synd. Leov. cum

VLIA BONERA.

Viderat ingenio florentem Aſtræa, ſuaque
VIERSENIVM virtute virum, *rectiſque decorum*
Moribus, & vegetæ vernantem pube Iuventæ:
Viderat, & pulchrum Lauri de floribus orbem
Conſeruit, Iuvenemque vocans: hoc accipe Sertum,
Inquit, & advela civili tempora Lauro,
Flos virtuſque virûm Virſeni: *Civica Iudex*
Iura; rudimentum magnarum nobile rerum;
Et juſto leges liteſque examine pende,
Non obliquato privata ad commoda vultu.
Vidit, & invidit Themidi Venus ignea tanto
Nomine mancipium, prædæque cupidine ducta;
Ille meis etiam, non inferiora ſequutus,

Miles

Miles erit castris, inquit: neque jactet alumno
Virsenio se sola Themis: Cum Virginis altum
Uliæ blando pectus pertentat amore,
Et tacitum insinuat flagrantibus oßibus ignem.
Illam habeat, jungatque sibi, servetque sepulchro,
Et multa faciat; si Vir sit; prole parentem.
Hoc illi mecum firmetur pignore fœdus.
Ardet amans Virgo, mollique in pectore cæcum
Vulnus alit; cum Virsenium complexa pudico
Ore refert. O luce magis mihi chare benignâ,
O dilecte mihi Iuvenis: tu causa doloris
Una mihi superes: tu nostri fomes amoris,
Et focus indomitis penetras præcordia flammis.
Tu me crudeli fixisti vulnere, nemo
Quod, nisi tu solus, tollat, curaque magistra
Auxilioque levet medico. Sis ἥλιος, oro,
Ουλίας, Dilecte, tuæ, fidamque salutem
Affer opemque mihi. Totam me mancipo, totam,
Virseni, me dedo tibi. Nisi ferrea fati,
Non vis ulla meos à te mihi solvet amores.
Dixerat: & magno dudum succensus amore
Virsenius, voto fruitur, Nymphaque potitus
Gaudet, & addictam præsenti pignore firmat
Testaturque fidem. Dum blandi luminis aura
Vescor, ait, Virgo: dum vivo sanguine vena
Mota salit, memori repetam tua munera mente,
Synceraque fide junctos meditabor amores.
Nulla tui nostræ venient oblivia menti:
Sive diem Titan ducat; sive Hesperus umbras.

O dile-

O dilecte Deo Iuvenis! cui donat Honores
Conspicuos Astræa Themis: cui jungit Amores
Ingenuos propensa Venus: cui Gratia Mores
Compositos tribuit: Virseni, sorte benigna,
Οὖλέ τε καὶ μέγα χαῖρε. Ulias οὔλιος esto
Ipse tuæ. Fidam vobis, in mutua juncti
Fœdera, fortunante Deo, præstate salutem.

D. MEINHARDI NIEUHUYS
cum
MARIA HAGIA.

Nieuhusius Mariæ dulces sibi jungit Amores,
Vt florente Novam fundet Amore Domum.
Dulcis Amor Mariæ timidis nova fulcra ruinis
Subjiciet, socii vivida fulcra tori.
Dulcis Amor firmo stringit duo Corpora nexu,
Et junctas thalami jure fideque Domos.
In Maria dubii quæris Maria horrida fluctus?
Nieuhusius refluum nescit amare Mare.
Orta Mari Venus est; Animo Venus improba fluxo;
Sæpè bonum fallax lusit amica Virum.
Sed Mariæ, Meinharde, tuæ sub pectore, pulchro
Cum candore Fides intemerata sedet.
In Maria pestem quæris tibi fellis amari?
Melleus in Maria quis sit amaror amor?
In Maria nihil est, quod non mereatur amari:
Corporis ut spectes, Sponse, animique decus.

Felix

Felix sorte tua, Iuvenis; cui lege Iugali
Conseritur tantis splendida Virgo bonis!
Felix sorte tua, Virgo; quæ jure marito
In thalamum tanti ducere nupta Viri!
NIEUHUSIUS *primo virtutem doctus ab ævo*
Spectata morum dexteritate nitet.
Ingenioque valens, & divitis ubere venæ,
Excoluit multa sedulus arte caput.
Macte vir, Aoniam cole nunc cum Virgine Musam.
Nomen Musa; tori pignora Virgo dabit.
Consere felices hoc atque hoc semine Campos.
Hinc à prole; illinc vita ab Honore fluet.
Hoc magnus Socer, atque Pater, Meinharde, *pre-*
Hæc sunt NEUHUSII *vota precesque tui.* (*cantur:*
Exerito, MANHARDE, *Viri, Vir mascule, robur:*
Vt sis clara Novæ *lux columenque* Domus.

JOHANNIS H. GWALT-HERI
cum
IOANNA REGIA.

N*Vgatur audax Pieris, artifex*
Mendaciorum callida, Gratias,
Terræ relictâ sede, cœlum
Præpetibus subiisse pennis.
Illæ remotas Cœlituum domos
Celsique tractus Aetheris incolunt,
Quas IANVS *hîc &* IANA *nexu*
Conjugii sociant amico?

IANVS

IANVS *decentem Nomine* GRATIAM,
Et IANA *præfert Nomine* GRATIAM.
Ridete Nymphæ: Gratioſo
Gratia *grata coit marito.*
O pacta fatis fœdera proſperis,
Dextroque junctos omine Conjuges!
Quos Gratiæ lecti jugalis
Fœdere conſociant beato.
Quos non furoris concitat impetus,
Iræque triſtes, & querimoniis
Horrens Eris, rixæque ſolvent
Ante diem gemitus ſupremi.
Bini ſub uno Nomine tranſeunt
In fœdus unum, Nominis omine.
In corpus unum bina vinclo
Conjugii coeunt revincta.
Hîc vos ſolutis Gratiolæ zonis
Formate riſus: hîc pede libero
Pulſate terram: ferte lætos
Ad numerum ſuper aſtra plauſus.
Non dira frontis nubila Regiæ;
Non hic Heri vis *noxia pallidos*
Vibrat timores. Regna vimque
Gratificæ moderantur artes.
Huc ô benigni munera Numinis
Adferte, Divæ: Candida Gaudia,
Pacem ſerenam, rem peculi,
Nomen, & incolumem pudorem.
Vna Cupido ludet, & ignea

Libra-

Librabit arcu vulnera ſtridulo;
Nymphæque fragrantes odores
Vberibus calathis profundent.
Aglaia clarum Nominis inclyti
Spondet decorem: divitis Ingenî
Dotes benignas Euphroſyne:
Floridulam ſobolem Thaleia.
O te beatum conjuge Gratiâ!
O te beatam compare Gratiâ!
Quæ Gratias ſolvet jugales
Vis? niſi vis truculenta Fati.
IOANNA *pulchris* REGIA *moribus,*
VIRTVTEM HERILIS *dilige conjugis.*
In Gratioſi regno Amoris,
Vis jacet indomiti furoris.
Vires Heriles *Gratia temperet,*
Nymphaſque fluxas Vis Hera *fulciat:*
Vt prole lectum, pace tectum
Gratiâ Numinis ampla ditet.
Vincti jugalis fœdere Gratiæ,
Multos per annos, ſoſpite Gratiâ,
Grati DEO, *mortalibuſque*
Vivite terque quaterque grati.

In hoc verbo omnes ſurreximus, precatique mutuam ſalutem, ad ſuos quiſq; lares, divertit.

Supereſt, ut latentem ſub Fortunæ involucris Animum veſtigemus: & quos formet Mores Nobilitas, Divitiæ, Paupertas, cognoſcamus.

CAPVT IX.

De variâ Nobilitatis conditione, ſtrictim.

IOannes Onuphrius Baro de Schvvartzenberg, & Valerius à Kamminga, ſummo Iuvenes nati loco & genere: quodque rarum eſt in illa Nobiliſſimi ſanguinis ſtirpe, præclaris doctrinæ virtutumque ornamentis Illuſtres, ob veteris beneficium inſtitutionis, ſummam mecum amicitiæ habent neceſſitudinem. Illi me ſalutatum domum meam veniebant; cum fortè in horto deambularem, pomeridiana quarta: ſicut pro more habeo eo tempore, cum liquidum eſt cœlum, ad conſpectum ludentis in floſculis ſtirpibuſque Naturæ, fatigatum ſtudiis animum recreare. Vt videbam amiciſſima mei pectora, datâ confeſtim manu ſuum utrique adventum gratulabar, lætus gaudenſque de benevolentię affectu, quo neglectis Æqualium ſtudiis, me in ſeceſſu meo venirent inviſum. Simul eos in Hortum invitavi; ſi placeret ſub frondeo ambulacro facere mecum ſpatia, datumque peroptatò otium familiari colloquio conſumere. Hîc, *dicebam*, refici mihi ſolet à ſtudiis animus: hîc aures à ſcholaſtico ſtrepitu conquieſcere. Neque ſcio, quo in Vrbis loco habitare meæ Muſæ commodius poſſint; quàm in hoc ſilentio: ubi remotus ab hominum clamore plebeiiſque turbis, ſolis ſine

sine magna interpellatione studiis vaco: quæ me ita sibi addictum habent, ut hinc raró in publicum exeam, & populi cœtus frequentem. Quod in [a] *Aufidium* jocatur Cicero, cum illius domum pręteriret, *Hic sepultus est Aufidius*: hoc in me penè dici posset, qui in sepulchrorum confinio sepeliri me penè curis meis patior vivum spirantemque. Atq; ut vestra mihi à rudi pueritiâ cognita est indoles, non majorem in forensi tumultu vulgique perstrepentis vociferatione; quàm in seposita liberalis otii quiete delectationem habetis: ubi cum *Scipione*, [b] *nunquam minus sitis soli, quam cum soli estis*.

a Cicero.

b Cic. Scip.

Me quidem, dicebat *D. Schvvartzenbergius*, arcana quædam vis trahit ad vitam in solitudine innoxiam: ubi mecum ipso habitem, tanquam in mediis humanarum jactationum undis, liber tranquillusque. Nunc verò ita multa sunt, quæ ab hoc loco & statu animum demovent, meque ex securo quietis raptum portu in medios gravissimarum perturbationum conjiciunt fluctus. Quid enim non habet molestiarum difficilis *Præturæ provincia*, tum inquieto, tum incomposito Rusticorum vulgo: qui negotium ex negotio, laborem ex labore serunt? Quàm sæpè operam præstari sibi Resp. postulat, hoc maximè tempore, quo in summa nummariæ rei difficultate, domi

Solitudo hortensis laudatur.

Tribunitiis ſeditionum fluctibus perſtrepimur, foris cum potentiſſimo hoſte bellum imminet? Vt cupiam declinare turbas, vix tamen unquam per ſilentium & quietem agere mihi licitum eſt: ita variis modis huc illuc verſor, rapior, trahor. Noſti tamen, dicebam, *D.Schvv.* Non nobis, noſtroque penitus otio nos eſſe natos; ſed patriæ quoque, & Reip. quæ in ſui uſum vitalem naſcentibus auram impertivit, adoleſcentes bonis diſciplinis informavit, viros ad honorum functionem vocavit. Nos, qui in literario vivimus otio, procul à Rep. bonos Reip. cives in umbris Muſæorum noſtrorum formamus. Vos vocati ad Remp. eſtis, ut publica communi bono negotia geratis, civibus conſulti reſponſa detis, domi foriſque patriæ ſalutem curetis. Indignum tuo eſſet nomine, hoc difficillimo Reip. tempore, patriam deſertam prodere malis hominibus, & tecum ipſum extra telorum jactum gaudere certamina Reip. reliquiſſe.

Hîc leniter arridens *D.Kamminga*: Equidem oppido multi ſunt Atlantes, qui ſuos Reip. humeros offerunt, ne prolabatur: ut nihil hodie in Friſia minus deſiderare videamur; quàm viros Reip. dignos muneribus: quos in magna copia; ut priſcos Roma Cincinnatos & Serranos; ſtivæ promittunt, & ſordidi queſtus officinæ. Ego ſanè, quando virtutis præ-
mia

mia poſſidet Ambitio; neque cuiquam penè,
incolumi probitatis famâ, accedere ad Remp.
licet; procul ab omni moleſtia, remotus à cu-
riæ curæque publicæ ſtrepitu, in paterno hor-
torum noſtrorum ſeceſſu me maximè oble-
cto. O te felicem Iuvenem, *inquiebam*, de inno-
xiâ ſecuraque in amœnis iſtis viridariis animi
tui tranquillitate: quam non ſpes honoris im-
proba perturbat, non metus effundendæ po-
pularis auræ ſollicitat, non inſatiabilis creta-
tæ Ambitionis cupiditas interpellat! O lau-
dabilem agrariæ vitæ functionem: quâ neque
ulla inter homines eſt honeſtior, neque ipſi
DEO probatior! Deſideramus illius Antiqui-
tatem? Cum ipſis Mundi incunabulis cœpit,
DEO authore inſtituta, Adamo poſteriſque
uſurpata. Quærimus ſanctitatem? In ipſo in-
corruptæ beatitudinis diverſorio exercita *c Lev.*
fuit, à diviniſſimis hominibus culta, [c] cœleſti *26.*
teſtimonio comprobata, promiſſione divinæ
benedictionis ſtabilita, [d] ſapientiæ conſangui- *d Cic. 1. off.*
nea, juſtitiæ, diligentiæ, parſimoniæ magiſtra,
omnium aliarum artium parens, humanæ vi-
tæ nutrix, ſine invidiâ damnoque alterius quę-
ſtum præſtans pium maximeque liberalem.
Petimus Nobilitatem? Illius ſtudio ſanctiſſi-
mi veteris ævi Patriarchæ, maximi terrarum
orbis Reges, clariſſimi ſapientiæ Magiſtri va-
carunt. [e] *Noachus* vitibus ſerendis terram fati- *e Gen. 9. 20.*

 gavit.

gavit. [f] *Abrahamus* posterique pabulo nutriendo campos excoluerunt. [g] *Saulus* ab asinis; [h] *David* ab ovibus ad summum honoris gradum adscendit. [i] *Moses*, [k] *Elisæus*, [l] *Amos*, à pecorum curâ ad prophetici muneris dignitatem emerserunt. *Christus* ipse patre se natum agricola glorians, subinde cœlestis regni mysteria, cum vitium arborumque insitione, cum ovibus oviumque Magistris confert. Non minore cura magni rerum hominumque principes agris hortisque colendis operam impenderunt. In his [m] *Alcinoum*, Phæacum Regem, summa cum voluptate versatum; [n] *Laërten* senem absentis filii desiderium levasse, *Homerus* scribit. In his [o] *Ascræam* urbibus pulsam ingenuam posuisse delectationem, Hesiodus laudat. Hîc [p] *Cyrum* invenies arbores sua insitas manu in quincuncem dirigere; *Semiramidem* in aëre nemora suspendere; *Abdolominum* naturæ desideria suis manibus explere; *Masanissam* herbas irrigare; *Catonem Censorium* olera plantare; *Primislaum* de ferrea mensa cibum sumere. *Numa Pompilius*, *Hiero Syracusanus*, *Philometor Aegyptius*, *Attalus & Archilaus*, Asiæ Reges; *Galerius*, *Maximinus*, *Iustinus*, *Constantius*, *Probus*, *Aurelianus* Impp., solerti hortorum cultu laudem apud posteros meruerunt. *Fabii*, Pisones, Lentuli, Cicerones, Pilumnii, non aliunde, quàm impensa hortis cura, illustria sui generis nomina tra-

f *Gen.* 13.
g 1. *Sam.* 9. 3.
h 1. *Sam.* 16. 11.
i *Ex.* 3. 1.
k 1. *Reg.* 19. 20.
l *Amos* 1. 1.
m *Odyss.* κ.
n *Odyss.* ω.
o *Hesiod.*
p *Xenoph. Cyrop.*

na tra-

na traxerunt. Cum sulco Serranus sereret; cum Cincinnatus solum subigeret; cum ad sceptra ab aratro Duces accerserentur, ipsa Terra laureato vomere, & triumphali aratore visa est gaudere, fructumque proferre uberius: sive illi eadem cura semina tractabant, qua bella, eademque diligentia arva disponebant, qua castra: sive honestis manibus omnia felicius proveniunt, quoniam & curiosius fiunt. Quid quod ipsi principes, sumpta à Rep. missione, armisque, ut dicitur, ad postem religatis, tranquillum in hortorum spatiis spiritum duxerint, eminentissimę dignitatis imperiique pertæsi? Inter illos [q] *Lucullus*, victo *Mithridate*, manus sceptro adsuetas serendis arboribus adhibuit. [r] *Sylla*, deposita dictatura, otiosam in hortis suis Dictaturam exegit. [s] *Diocletianus* consita ad Salonam olera invidendis Sceptri honoribus prætulit. Quàm præclara ingenii opera sub illis opacarum frondium umbris provenerunt! Quàm pulchrum in tranquillis hortorum silentiis Philosophi ac Poëtę otium egerunt: cum à molestis fori torique negotiis ad se revocati ipsos, in optimarum rerum cogitatione mentis aciem libere intenderent!

[q] *Plin. l. 15. c. 25.*

[r] *Sabell. de Sylla.*

[s] *Cuspin. Avent. l. 2. Boj.*

Neque miror, *excipiebat Schvv.*, priscis Regibus & sapientibus tantis Hortos in deliciis fuisse: qui præter securum animis silentium, etiam jucũdam oculis amœnitatem offerrẽt.

Quàm eſt ſpecioſus ille Floſculorum tuorum cultus, in miram colorum varietatem ingeniosâ Naturâ! Quàm ſuavi delectant voluptate illæ diverſarum ſtirpium herbarumque familiæ, dulcem è longinquo animam halantium! Vt ibi Narciſſus candidis ſtellatus foliis radiat, in medio fimbriata corolla ex croco purpuraſcente! Vt iſtic Iris amœnâ colorum miſturâ, curvatâ in anſulę ſpeciem fronde, cœleſtem in nubibus arcum imitatur! At Lilium illud Macedonicum; quod ex Turcici pilei imagine Tulpanum vocant; quàm ſpectanda varietate eſt mirabile! Natura in hoc flore, ad extremum virium ſuarum conatum, omnes effinxiſſe colores videtur: hîc purpura rutilante; illic lacte candente; iſtic ſanguine florente; alibi lutea, phœnicea, herbacea, verſicolori ſpecie viſendo. Non minor in Vettonicis illis, ſive Caryophyllis, varietas eſt, & venuſtas. Illæ croco fulgent; iſtæ ſaturata purpura nitent; aliæ niveo candore blandiuntur; quędam vermiculato & vario adſpectu arrident. Facilè quidem credo, non *Salomonem*, in ſuæ magnificentiæ ſplendore, ad hujus floris nitorem adſpirare potuiſſe.

Ad hæc *Kamminga*: Ego quidẽ Caryophyllum illud omnibus peregrini cœli floribus præfero: quod non grata tantum coloris ſpecie oculos viſentium delectat; ſed ſuavi quo-

que odoris fragrantia nares afficit. Neque enim poſſum noſtrorum hominum ſatis mirari ſtultitiam: quibus tanto eſt in pretio Tulipę flos advena, ut ſæpè rarioris coloris aliquam carius emant; [t] quàm mullum priſcem Romanus: pauculos caducæ venuſtatis floſculos ſupra equeſtrem Quiritium cenſum æſtimantes. Ex quibus ſi aliquis forte à vermiculis aroſus emoriatur, diemque ſuum obeat, parum abſit, quin ſumptis lugubribus caſum amici floris mœreant: ut [u] *Hortenſius* & *Caßius* mortuam in piſcina murænam luxere pullati. O malè feriatorum hominum genus, *inquam Ego*, quod oculos tantum in vanâ & pereunte amœnitate paſcit; & nullā defuſæ à cœlo indolis animæque intus ætheriæ rationem habet: in floſculorum deliciis, ut in pupis & imagunculis pueruli, proterviens. Cum vernantem colorum varietaté naturamq; diverſam intuemur; venire nobis in mentem ſummi Opificis potentia & ſapientia debet: quæ tam difformem herbarum florumque ſobolem terrę fœtu producit. Cum ſpecioſam venuſtatem adſpicimus; cui non par eſt Regii ornatus dignitas; divinæ providentiæ fiduciam cōcipere animis debemus, quæ, deflexa in caducos agri floſculos cura, nobis in mortali vitâ de omnibus animo corporique neceſſariis certò ſit proviſura. Cum in ſuam quemque

t *Iuven. Sat. Criſp.*

u *Macrob. l.3.c.15. Sat.*

naturam vireſque aſſurgere videmus; cogitare oportet, nobis etiam ingenii noſtri dotes à Deo datas, quas in publicos uſus conferamus. Cum alios oriri, alios labentibus comis mori cernimus: caducæ mortalitatis ingredi memoriam convenit: ut in fragili vitâ ſedulam virtuti operam demus, abductoque à fluxis Mundi rebus animo, cœleſtia curemus.

Floſculus immiti ſolis depaſcitur æſtu,
Decuſſoque novæ pubis honore cadit.
Sic nos in primo miſeri ſuccidimur ævo,
Naſcendoque ſimul vita caduca perit.
In cœlo nullis incluſum finibus ævum,
Et ſtata perpetui tempora veris erunt.

Hoc ego animo in ruſculo iſtoc meo ſoleo verſari: ita ad me ipſum revocatus corpus mẽtemque in cõſpectu ludentis naturæ recolligere: non magis ſpectanda colorum amœnitate delectatus; quàm divino ætheriæ auræ ſpiraculo paſtus. Vos nunc, *Amici*, eundem mecum in tenuiculo pauperis Horti apparatu animum adhibete, quo domi veſtræ, in illo elegantiæ cultu copiaque verſari ſoletis. Itaque, ſi id vobis placet, ſumamus aliquam ad manus *liberaliſſimæ eruditionis Quæſtionem*, quam ſub hoc frondeæ teſtudinis ambulacro inter nos diſputemus. Cum placere conditionem uterque dicerent, peterentque ut dignam gerendis ſermonibus materiam præberem, de *Nobilitate*

pro-

propoſui: ut apud Nobiliſſimos Iuvenes, de *Nobilium indole moribuſque*, quàm poſſemus nobiliter, diſſereremus. Eam in rem diverſam Nobilitatis conditionem; ſine quo cognoſci ingenium illius non poteſt; ex origine ſua atque initiis ſtrictim cœpi deſcribere.

Varia inter homines Nobilitatis eſt æſtimatio: alia ex vulgi opinione, tituloque vani nominis; alia ex veritate pretium habet. Si enim non ex re tantum; ſed verbo cenſenda ac ponderanda ſit Nobilitas, etiam improba quædam fuerit Nobilitas, nefaria, turpis, malis quæſita artibus, parricidio, funeſtis conjugiis, violentiæ impetu, dignitatis nundinatione, falſi nominis uſurpatione parata, nequitiarum exercitatione in vulgus nota. Eo jure paſtus ſcelere ac maleficio latro, pirata, meretrix, peſſimo infamis dedecore nebulo, Nobilitatis appellationem accipit. Quàm multa turpi initio Nobilitas cœpit, nullo veri honoris ornamento conſpicua, nullo ingenuæ dignitatis ſplendore illuſtris! Quàm ſæpe aliquis à ſordida parentum officina, & mercenarii quæſtus opera, ad magnæ nobilitatis faſtigium furtim prorepſit! Quàm multi à raſtris, à remo, ab humili fortunæ loco, domeſticiſque emerſi tenebris ſummi ordinis inſignia ſurripuerunt! Quem paulò ante vili amictum ſagulo, in ruſtico perone, ſervilem locare ope-

Nobilitas infamis.

ram vidimus, ut nactus rem est, illico gentem stirpemque sui generis effert, priscos Reges & Dynastas familiæ conditores jactat, nomen titulumque jam pridem mortuæ Nobilitatis assumit, aurea calcibus calcaria, lateri ensem accingit. Hi à censu & pecuniis nobilitatem auspicantur: ut oblitæ auro vestes ocreæque; ita generis dignitatem opibus venire arbitrati. Alii, misto nuptiis sanguine, à stola & colo stirpem ducunt: parum referre putantes, utro de sexu condendi generis initium sumatur. Sunt, qui malis nequitiarum artibus inclarescunt, obitoque sceleris detestandi facinore suum ad posteritatem nomen divulgant. In quo Nobilitatis ordine *Cainum* videamus & *Romulum* fraterno parricidio devinctos; *Chamum*, in paternam nuditatem illudentem; *Nimrodum*, ferro imperia condentem; *Erasistratum*, Dianæ templo facem subjicientem; *Catilinam*, patriæ bellum molientem; *Iugurtham*, ab incesto sanguine, excisa Regiæ nobilitatis stirpe, ad sceptrum provolantem; priscos Mundi Gigantes, cœlum armis territantes; Chaldæos, Macedones, Romanos, Turcas & Saracenos, cæde atque latrociniis ad terrarum Orbis principatum grassantes. Multi aut barbaro ferarum laniatu; aut infestatis piraticâ maribus; aut collecta turpi ministerio principum gratia; aut patriæ proditione; aut Pala-
tini

tini ſcorti matrimonio; aut ementita claræ originis ſtirpe, equeſtrem honoris gradum meruerunt.

Vulgus hominum ex *Virtute Generis* naſcendique fortunâ Nobilitatem æſtimat. Si quis de parentum meritis clarum familiæ nomen habeat; ſi vetuſti generis ſtirpem aliqua cognatione attingat; ſi veteres in atriis Ceras, fumoſaſque majorum Imagines longa oſtendere ſerie poſſit: ille clarus inſigniſque, ille princeps nobilitate ſummi honoris ſublimem ſedem ſuo jure ac merito tenere creditur. Qui homines in aſtragalis & patritii menſura clavi nobilitatem geſtant: non ſuo; ſed alieno ſplendidi ornamento. Opes, quas relictas à majoribus jactitant, fortunæ verſantur arbitrio. Priſca Generis gloria virtuti benemerentium debetur, ad degeneres tranſmiſſa poſteros, ut effœta ſtirpis virtus in omnium oculis ponatur. Quàm eſt vana ſuperbia ſumpto mutuum decore gloriari! Quàm ſtolida dignitatis oſtentatio, quæ non honeſtet; ſed aviti honoris ornamenta turpet! Vilis hiſtrio Regiam in ſcenâ perſonam gerit. Illi majorum inſoleſcunt ornamentis: quibus detractis, humilem abjectumque plebeiæ ſortis videas homuncionẽ. Quorum imaginem in Aſino videatis Cumano: qui Leonis indutus exuviis, elatuſque magnificè regio in omnes faſtu inſultabat. Manſit am-

Nobilitas ſanguinis.

ſit ampliſſimæ dignitatis fortuna, donec proditus obſcœna aurium mole, cum omnium riſu & ludibriis, alieni honoris habitu ſpoliaretur. Suo quiſq; pretio æſtimandus eſt, ut qualis ſit, cognoſcatur. Deponendum eſt aviti honoris opumque patrimonium, detrahēda paternæ laudis ornamenta. Corpus ipſum, atque omnis fortunæ cultus exuendus, ut animus videatur: ſuone; an alieno decore nobilis dici mereatur.

Nobilitas Virtutis. Itaque vera eſt ex *Virtutis actione* Nobilitas: ut non quàm illuſtri aliquis genere, claroque parentum deſcendat à ſanguine; ſed quantum excellentis animi vi ſapientiaque alios antevertat, quantum honeſtatis emineat ſplendore, conſideretur. Virtuti uni vera laus debetur. Virtuti nihil eſt formoſius, nihil pulchrius, nihil melius. Virtus beatum facit, honoratum, nobilem. Cætera omnia caduca ſunt, incerta, mobilia; Virtus ſola temporum fortunæque vices neſcit: in tempeſtate quieta, in tenebris ſplendida, non obſoleſcens alienis ſordibus, non debilitata incommodis ſuis. Qui illius fuerit compos, ille mihi in veræ nobilitatis veniſſe ordinem cenſetur. Magnis ingenii dotibus ſapientiaque altæ mentis divinam præſtantiam attingere, Deum ſumma pietate ac religione colere, animi libidinem Rationis imperio coercere, in omni fortuna animum

invi-

invictum gerere, patriæ conſulere, amicam egentibus operam præſtare, in omni vitâ honeſtatem ſequi: hoc demum eſt clarum, hoc eſt magnum nobilemq; eſſe. Optimus quiſq; nobiliſſimus eſt. In cujuſcunque animo virtus ineſt, illi plurimum tribuendum. Eadem plebeiis Regumque filiis naſcendi ſors eſt. Non hos purpura, & diſtincta gemmis auroque palatia à communi hominum miſeria eximunt. Non illos centones & caſulæ vili contectæ ceſpite ad pejorem fortunam dejiciunt. Omnibus æquale Natura temperamentum præſtat. Omnes in ſordibus concipimur, formamur, naſcimur. Omnes cum lacrymis orimur & morimur. Non parentum ſanguis, non majorum claritas, nō familiæ opes diſtinctā faciunt natalium; quoad animum; conditionem. In virtutis eſt excellentia, ut alius alio ſit nobilior. Illa ab humili prodeuntes caſa in ſummæ dignitatis loco collocat. Illa ab infima hominum natos ſorte in præcipuæ Nobilitatis cenſum adſcribit. Itaque *Democritus* interrogatus, in quo Nobilitas conſiſteret, [q] *Pecudum*, inquit, *in bono validoque corporis habitu; hominum autem in bonitate morum*. Cui *Diogenes* aſſentit: [r] qui *contemptores opum, vanæque gloriæ & voluptatis, hominum nobiliſſimos dicebat*. Itaque *Theocritus*, audiens aliquem de amplitudine gloriaque aviti nominis commendari, [s] *Heus*, ait, *bone vir, Nobiles*

[q] *Stob. ſer.* 34.
[r] *Max. ſer.* 63.
[s] *Stobæus.*

les esse arbitreris eos, non qui ex Nobilium stirpe oriundi sunt; sed qui honestatem omnibus rebus præposuerunt. Quod si ad hanc animi Virtutem majorum quoque accedat claritas, & equestris opum census copiæque, illa, sine controversia, vera est Civilis vitæ Nobilitas: hinc generoso majorum sanguine illustris; illinc præclaris animi dotibus, recteque factorum gloria laudabilis.

Nobilitas Christiana. At quia nulla est sine Virtute Nobilitas; Virtus verò nulla est, nisi summum respiciat bonum, & ad divini numinis gloriam referatur: illa demum perfecta, suisque absoluta numeris est Nobilitas, quæ divinæ virtutis splendida lumine, ad Creatoris DEI imaginem, & illam primævi generis dignitatem quàm proximè accedit. Illa verò non nascitur nobiscum; sed divino beneficio datur. Non ex parentum sanguine trahitur; sed sancti Spiritus gratia effunditur. Ad quam non Ethnici homines docti ac instituti; sed Christiani fideles cœlitus facti ac imbuti sunt. [t] *Hoc est Electum illud genus, hoc Regale sacerdotium, Gens sancta, & populus acquisitionis. Hi* [u] *Filii* DEI, *in medio pravæ nationis, luminarium instar, sine ulla reprehensione fulgentes.* In hac cum DEO cognatione summa est Nobilitas. Qui cœlesti satu progeniti sunt; qui divinæ imaginis conformitatem habent; qui deposita caducarum rerum cura,

t 1. Pet. 2. 9.

u Phil. 2. 15.

abdu-

abductique à vanis Mundi gaudiis, in cælestium rerum meditatione studia curasq; suas defigunt, illi proximi Cœlitum præstantiæ vere Nobiles sunt censendi.

Diversa Nobilitatis diversa mores.

Vt origine; ita *Indole varia est Nobilitas*: illis plerumque artibus exercita, quibus initio parta est. Videtis illum à macellaria patris taberna, aut facto furtis quæstu, opumque magnarum præsidio; aut fictis avitarum imaginum titulis, & claræ originis mendacio; aut mixto connubiis sanguine, paratisque illustrium hominum affinitatibus, in Nobilitatis censum irrepere? Stirpi generis abjecti animus respondet humilis, angustus, illiberalis: nihilo mutuatis honorum titulis illustrior; quàm si vilis equus stragulo virgato; aut putris de sepulchro lapis vittis fasciisque consecratis insternatur. Si detrahas fictæ Nobilitatis exuvias, fortunæque apparatum, tum demum obsoletum pudendis sordibus genus, mores inhumani atque agrestes, indoles animi plebeia, iners, depressa, in conspectum veniet. Videtis illũ in summæ dignitatis insignia manus rapaces per scelus & maleficium injicere: & aut infami militia rapinisque; aut funestis latrociniis; aut stuprorum consuetudine; aut collecta fœdis ministeriis principum gratia; aut projecta in omne facinus audacia, ad Equestrem Nobilitatis gradum adscendere? Quibus paratur

ratur artibus dignitas, iiſdē retinetur & ad poſteros profertur. Vaſtus ſubeſt animus, ferox, malitioſus, præceps ad offerendam injuriā, paratus ad audendum quidlibet. Non legum virtutiſque reverentia, non ſceleris conſcientia reſtringitur. Nihil apparet in eo ingenuū, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum. Vt tueatur raptæ Nobilitatis æſtimationem, neque penſi quicquam habet, neque ſancti. Ecce verò iſtum *nudo Nobilitatis nomine* fortunaque generis glorioſum! Vt magnificè per hominum ora incedit, clavi lunatæque pellis oſtentator! Vt majorum claritatem ſtirpemque inclyti ſanguinis deprædicat! Vt diſtincta imaginibus atria jactitat! Quanta homines alios arrogantia illud Iovis germen contemnit! Quàm intoleranda ſuperbia eminentem ſuæ Nobilitatis conditionem ſupra omnes effert! Stultus, qui neſcit alienam ſe perſonam gerere: non ſuo; ſed mutuato aliunde decore magnum. Quo major generis eſt nobilitas; eo ignobilior mens eſt, in ignaviæ ſocordiæque luſtris depreſſa. At ô præſtantem animi virtutiſque in illis hominibus indolem : qui non majorem à parentum meritis; quàm à ſe ipſis laudem quærunt: & nobilitatem non in longa ſtemmatis ſerie, non in baltheis calcaribuſque deauratis, non in gentilitiis vetuſtæ familiæ ſignis & nominibus; ſed in pulcherrima-

rum

rum rerum functione diviniſque ingenii dotibus collocatam habent. Illi ad optimarum rerum ſtudia vehementiſſimè accenſi nihil in omni vita expetendum putant; niſi quod cum laude ac honeſtate ſit conjunctum. In vultu pudorem, in verbis fidem, in omni actione decentiam obſervant. Virtutem bona fide ſequuntur: non tam fronte ac profeſſione; quam ſtudio boni. Conſcientiam magis, quã famam attendunt, nullum plus veriti cenſorem ac judicem; quam ſeipſos. Domitas habere libidines, coercere cupiditates, præſcriptionem modumque omnium rerum tenere, æquam in utraque fortuna mentem ſervare, nulli injuriam offerre, Reip. commodis conſulere, bene agendo ad gloriam niti: hæc veræ Nobilitatis ſunt ſtudia, hæc certa & compendiaria ad ſummi honoris ordinem via. Ita ad legum rectitudinem laudemque honeſtatis: quâ unâ vitam contineri beatam judicat; Civilis agit Nobilitas. Chriſtiana virtutes omnes religioſa in Deum pietate fideque temperat: in conſiliis factiſque ſuis ad ſummæ Majeſtatis gloriam tota mente ſtudioque enitens.

Equidem diſtinctè atque illuminatè ſatis, *Neuhuſi, excipiebat uterque*, variã Nobilitatis originem indolemque deſcripſiſti. At quia jam otium nobis aliquod ſuppetit, & in nobilem

de Nobilitate ſermonem dilapſi ſemel ſumus; niſi id moleſtum tibi fuerit; paulo de illa fuſius atque uberius audire, & in ſuis fontibus *Indolem moreſque Nobilitatis* penitius cognoſcere cupiamus. Et quibuſcum, *inquam ego*, quaque de re libentius per hoc otium ſermonem conferam: modò in tantarum rerum explicatione, tum deſiderio meo, tum expectationi veſtræ ſatisfacere poſſem. Itaque in partem vos laboris mei voco: ita quidem, ut obita mutui ſermonis vice hærentem ac deficientem juvetis.

CAPVT X.

De Nobilitate Plebeiâ.

DUm in hoc verſamur ſermone, *tres ab Harinxma germani Fratres*, nobili Iuvenes ſtirpe generis, & virtute doctrinaque ſingulari, ad me accedunt: ut de felici ex Galliis reditu mutuam nobis gratulationem faceremus. Gaudebam tum optato, tum auſpicato clariſſimorum Iuvenum adventu: deductiſque à primo complexu ad communes amicos; cum benigne inter ſe omnes conſalutaſſent; Quæ vovi, *dicebam*, vota, ſi ſalvi domum rediiſſetis, eorum me factum compotem, eſt quod gratiam habeo Deo. Hoc verò vehementer vobiſcum omnes dolemus, quod *Spectatiſſimus ſummo honore ac virtute ſapientiaque Pater*, ſtatim à veſtro in pa-

in patriam reditu mortalium ereptus contubernio, acerbo vos Remque publicam casu, gravi bonos omnes mœrore afflixerit. Ita nulla hominum solida stabilisque diu est in his terris felicitas, magnis plerumq; gaudiis adhærescente gravi dolore. Sæpè initium est tristitiæ delectatio nostra, & recentia voluptatis vestigia gemitus occupat luctuosus. Habuit tamen Pater vester, quod verè constanterque gauderet; cum post gestam diu summâ fide magnaque laude Remp. tres videret Filios certam suæ virtutis effigiem, & ex illis Vnum publico Procerum suffragio paternæ dignitati & loco substitutum, commodo patriæ, ornamento familiæ, præsidio innocentiæ. Cum vos ille à nobili reversos peregrinatione contueretur, quid dicere potuit sanctius; quàm quod pater *Iacobus*, viso *Iosepho*: *Moriar modo, postquã ego vidi faciem tuam: adhuc enim tu vivis*. Vidit enim vos mactos animis corporibusque, maximaque cumulatus voluptate vitam mortalem deposuit, ut deinceps ab omnibus liber curis molestiisque vitam in cœlis ageret beatam. Nos nunc istam *Divo patri* beatitatem; Tibi tuam D. *Homere Harinxma*, Dignitatem; quæ tibi, familiæque tuæ, Reiq; publicæ benè vortat; gratulamur. Illi demum rectâ viâ ad honoris enituntur arcem, qui non ambitu immani, non amico-

rum opum que valido præsidio, non audaciæ impetu Remp. immeritam rapiunt; sed debitam delatamq; virtuti accipiunt. Eam tu inter paucos laudem habes, ut nihil ambienti, nihil cogitanti, cum longissime domo abesses, patre jam deposito peneque conclamato, summi Ordinis dignitas publico consensu mandaretur. Non quæsivisse te Rempubl. sed illam quæsivisse te videtur, cui gloriam splendoremque conferres. Et jam ante tanti honoris tirocinium in Galliâ Aureliis deposuisti: quæ te summa cum omnium laude & gratulatione popularium spectabilem Germanicæ Nationis Præsidem & Iuventutis Principem vidêre.

Hîc tū *Schvvartzenb.*, Est profecto, *Neuhusi*, quod sibi de te Patria gratuletur, tuque gaudeas: qui quinquagenaria nondum ætate tam è Disciplina tua multos Viros Iuvenesq; vides: qui ingenio gloriaq; florentes amplissimis in Remp. muneribus perfunguntur. Tu Curiæ sapientes Senatores, Præfecturis graves Prætores, Academiæ doctos Professores, Templis religiosos Concionatores, Iudiciis consultos Advocatos, etiam Castris, armatâ ad propulsandam injuriam Pallade, fortes Tribunos & Centuriones dedisti. Novi inter illos ego Nob. DD. *Edzardum* & *Suffridum à Burmania*, *Franciscum Eizinga*, Prætores. Cujus

jus Frater alter *Ielto ab Eizinga*, in Supremo Belgicorum Ordinum Senatu primæ dignitatis locum tenet; alter *Richæus ab Eizinga*, Ordinum Friſiæ in Comitiis agit Delegatum: quem nobiſcum honorem gerunt *Gvvaltherus H. Gvvaltheri*, *Io. à Velſen*, *Iac. à Buttinga*, J.U. D D. Secretarii. *Io. à Bootſina* ærario præeſt publicus Quæſtor. Ejus Frater *Abelus à Bootſina* pridem Centurio; nunc luſtrando Exercitui datus eſt Recenſor. Quam nuper operam Patriæ *Epeus ab Oſterſee* J.U.D. & *Suffridus à Riſpens* præbuêre. *Fecco à Ieltinga* ſummam Quæſtoriæ rei nummariamque Reip. rationem apud Batavos proximè curavit. *Franciſci Rouſellii* memoriam ſubjicit mihi tuum de illo carmen; cum Chiliarcha Vulturias in *Vbiis* diſtinens acies mortem oppeteret.

Franciſcus alta nobilis indole,
Friſæ Iuventæ gloria, concidit
Ferro peremptus: dum Tribunus
Marte pio patriam tuetur.

Fulſiſſent in hoc Honoris gradu, primumque præ aliis locum tenuiſſent tui, *Kamminga*, Fratres, *Petrus* & *Io. à Kamminga*: niſi exemptos rebus humanis glorioſiſſimis Cœlitum ordinibus Deus adſcripſiſſet. Non ſubeunt memoriam alii: qui meæ impares ætati, nulla mihi vitæ ſtudiorumque communione fuerunt juncti. Quanta vero eſt præſtantium Iu-

venum copia, & qui à Sapientiæ mercatu domum reversi laborem suum, fidem, ingenium promptum paratumque Reip. exponunt: & qui adhuc in animi cultu impigri calentesque, cum magna virtutis doctrinæque expectatione, apud Exteros vivunt. Multum sanè, *Neuhusi*, Frisia universa, multum nos omnes de Institutione Disciplinaque tua tibi debemus. Atque utinam sors ferret, ut aliquod meritis tuis reponere precium possemus: quorum nos nullam referendâ gratiâ partem consequi posse fatemur. Memoriam tamen illorum gratis semper pectoribus per omnem vitam circumferemus, in Liberos etiam, & posteritatem tui generis, cum debito amore benevolentiaque proferendam.

Cui tum ego: Satis magna est, ut hoc fatear ipse, copia egregiorum Ingeniorum, quę multam sui profectus partem nostræ, post DEVM, curæ industriæque debent: quorum etiamnum plusquam 80. de Divinis rebus ad Populum loquentes utilem Ecclesiæ DEI operam præstant. Taceo politissimos liberali doctrina Viros ac Iuvenes; qui aut litibus disceptandis, aut Medicina facienda, aut in Academia Gymnasioque nostro pubi docendæ producendæq; in usum Reip. vacant. Quos si omnes nominarem, ambitionis; sin paucos, injuriæ fortassis verberationem subirem. Sæpe ta-

pe tamen tacitam illorum ingredior memoriam: quæ me in ſollicito hoc docendi munere plurimum reficit recreatq;, & ad decurrendum onerosi laboris curriculum, ſpernendaſque vitæ ſplendidioris conditiones animum confirmat. In vobis, *Chariſſima Pectora*; neque id pudet dicere; exulto, glorior, omnibus lætitiis efferor. In vobis opes meas, voluptatem, ornamenta repono. vos mea eſtis gloriatio, vos nominis mei honor & dignitas. Et ſatis quidem dignum amoris ſolertiæque meæ fructum & mercedem à vobis datam mihi arbitrabor, ſi animum in benè meritum memorem præſtetis. Quem ſi cum firma benevolentia in Liberos meos; quando merebuntur; ſervetis, magnam cumulatè gratiam præceptori veſtro exſolutam judicabo.

Sed ſatis diu in hoc ſermonis hæſimus diverticulo. Redeamus verò in viam: ut ſuſpenſam de Nobilitate orationem pertexamus. Non renuent DD. *Harinxma* in ſocietatem venire laboris, &, ſicubi uſus feret, mutui ſermonis vicē ſubire. Principio de *Infami atq; ignobili Nobilitate* loquemur: quæ ab inceſto manās fonte nullū veræ laudis habet ornamentū. Eſt enim quædam inter homines deſpectæ probroſæque originis Nobilitas: ſive illa pretio ſit empta, ſive cenſu opumque magnarum & affinitatum præſidio aſſumpta; ſive menda- *Infamis Nobilitas.*

cio ficta; sive scelere malisque nequitiarum artibus parta. Majorum melioris ævi integritas solo virtutis insigni Nobilitatem à plebe discriminavit. Cum æquam omnibus Natura nascendi dedisset sortem, vis animi ingeniique indoles præstantior diverso dignitatum gradu homines distinxit. Ita detersa plebeiæ obscuritatis caligine summi honoris splendor eluxit, ad posteritatem quoque generis diffusa paternæ claritatis dignatione. Nunc vel sola virtutis agere opus *Pecunia* potest: quæ domina & Regina rerum humanarum cum forma genus largitur & dignitatem. Illa multos à textrinis, à sutorum sartorumque officinis, à ganeâ, à sterquilinio, à scropharum sordarumque pastu ad illustrem honoris gradum provexit. Illa pudendos obsoleti generis natales in Equestri summæ dignitatis loco collocavit. Vt quisque ad decies centena pervenit, facillimè à plebe infimaq; sellulariorum multitudine in patriam sortem irrepit, aureis ad Nobilitatem gradibus assurgens. Quoties fœda mercede veniit dignitas, quæ parari virtute bonisque artibus non poterat! Quoties sibi aliquis viam ad eminentem honoris gradum largo auro stravit: quam ipsi domesticæ sordes plebeiæque indolis & fortunæ obstruxerat angustia! Quam multi Equum Annulumque pretio emerunt, erutoque de plebis tabula nomine, à

Empta Nobilitas.

stiva

ſtiva & remo ad faſces, & ſcutata inſignia provolarunt! Quàm eſt improba honorum noſtris etiam moribus nundinatio! Quis tam eſt illuſtris in Rep. locus, tantæ dignitatis ſplẽdor & amplitudo, quæ non aureo Jovis imbri ſit obnoxia! Vt [a] *Macedo ille Philippus* nullam tam eſſe firmam arcem ſtatuit, quæ non expugnetur, ſi aſinum auro onuſtum poſſit admittere: Ita nullus eſt tam ardui honoris gradus, qui non pecuniis & largitioni pateat. Quas admiratus opulentiæ vires [b] *Cyclops apud Euripidem*, O πλοῦτος, *ait*, ἀνθρώποισι τοῖς σοφοῖς θεὸς, τὰ δ᾽ ἄλλα μῦθοι, καὶ λόγων εὐμορφίαι. Cupit aliquis venerabili pallio cingi, & purpuratos inter Antiſtites ſedem tenere? Pretio mercabitur. Cupit in patritium ordinem referri, clavum Reip. moderari, magnæ doctrinæ ſapientiæq; nomen tenere, ſupra alios verticem efferre? Pecuniâ impetrabit.

a *Plut. Phil.*

b *Eurip.*

Aurum quiſquis habet, ſuperos mercatur & aſtra,
Captivoſque tenet ſub ditione Deos.

Hæc prima ſunt apud multos Nobilitatis rudimenta: in liberos tanti honoris tranſcripta hæreditate. Quo jure quamplures auratorum Equitum, Comitum, Marchionum, Ducum titulos, empta cum fundo Nobilitate, in familiam ſuam attulerunt: qui nuper ſcrutarii, inſtitoreſve ac nummularii quæſtum plebeiis artibus faciebant.

c Hor. 2. Serm. Sat. 3.

-----[c] Omnis enim res
Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens, ſimul & Rex,
Et quidquid volet.

Omnia effici pecunia poſſunt: quæ una compendiaria eſt & certa ad honores & nobilitatem via. Sit aliquis ex radice natus obſcuritatis, ſit infimi homo ſubſellii, ſit omnibus vitiis & dedecore infamis; quàm primum nactus rem eſt, facile ex ſummis vitæ nataliumque ſordibus ad lucem & ſplendorem emergit. Statim nomina tituloſque illuſtris fortunæ aſſumit, in primam honoris claſſem ſe intrudit, ſuperbo comitatu habituque venerationem & cultum à vulgo extorquet. Pudendos natales precioſa veſtis operit. Turpes majorum ſordes fulgens auri in baltheis & calcaribus ſplendor obliterat. Tam eſt ornata ſervulorum ſpecies, tanta in domeſtica ſupellectile copia, in cultu corporis dignitas, ut magnifico apparatu obſtructis omnium luminibus, veteris fortunæ ſqualor, & agreſtis morum ruſticitas non videatur. O miſeram Nobilitatem, quæ turpi mercede venit, quæ opum male quæſitarum cumulis extruitur, quæ in oblitis auro veſtibus, & bullato pugiunculo geritur!

Veſtium luxuria.

Hîc *Kamminga*: Pudet me ſanè pigetque horum

horum morum ac temporum, quibus nullus colendo corpori modus, nulla ratio adhibetur, nostratibus, sine ullo discrimine ordinum, in omnem vestium luxuriam effusis. Quod dum dico, subit in mentem mihi, quod [d] *Ioannæ, Philippi pulchri* R. uxori, in Brugensium fœminarum prodigo evenit ornatu. Venerat in urbem illa; cum matronarum virginumque lectum nimis cultum contuita obstupesceret primum, & fortunas incolarum tacite miraretur. Postea muliebris æmulationis percita œstro questa est, *non se solam Reginam esse*, Regiæ honestatis decore ad promiscuos fœminarum usus divulgato. Non minor hodie nostratium est in vestiendo corpore profusio atque insolentia: quorum moribus vilis ab infima plebe homunculus regio penè magnificus habitu incedit. Non vilem de taberna cauponem, à senatore; non sordidæ mercis institorem, à nobili; non cerdonem, à docto; non operæ mercenariæ servulam, à præcipuæ dignitatis virgine dignoscas: si prodigum corporis cultum, & magnifico saturatas impendio vestes consideres. Ille Dominus omnium [e] *Augustus* veste non temere alia; quam domestica utebatur: quâ conficiendâ uxorem cum filia & nepotibus fatigabat.[f] Maximi terrarũ orbis principes magis virtute; quam purpura habituque splendido inter cives enituerunt.

d *Guicc. in Civ. Brug.*

e *Suet. Aug.*

f *Panorm. Alph l.* 1.

g *Plutar.* runt. [g] *Phocionis* uxor in mariti rebus geſtis & gloria; *Cornelia* Gracchorum mater in bonis liberorum moribus mundum ſuum habuit. Nobis nent texuntque barbaræ ſub alio ſole Gentes. Nobis Perſæ, nobis Seres & Indi ſuperbiæ laborant vexilla. Nobis uterque ſudat Oceanus, per tot pericula in dedecus & perniciem quæſitis luxuriæ fomentis. Quo magis veterum laudo moderationem: qui diſtinctis honorum gradibus veſtiarias ornando corpori leges conſtituerunt. Romani Clavorum inſigni & menſura; ut ex *Neuhuſii* habemus diſciplina; ordines diſcriminabant. Plebs Rectam, nullo intertextam clavo purpurave veſtem gerebat. Quorum more Annuli Equeſtrem civium ordinem, Stola matronalem pudicitiam, Toga quæſtuoſi corporis fœminas notabat. Iidem Cæcilia lege poliendarum veſtium rationem fullonibus præſcripſerunt: ne exquiſitior ornandi corporis cura viriles animos effœminaret. [h] Perſarum conſuetudine nemo, niſi nobili loco natus, equo vehebatur. [i] Parthorum plebi manicatæ tunicæ; [k] Athenienſium ſervis manicæ alterius interdictus fuit uſus. Ex Byſſo, nobilium apud [l] Indos erãt veſtimenta. [m] Qui in auribus quoque, ſicut [n] Perſæ & [o] Athenienſes, nobilitatem ſignificabant. Apud [p] Germanos opulenti atque illuſtres viri olim ſtrictam, quæ ſingulos artus expri-

h *Strabo l.15.*
i *Ibid.*
k *Pollux Cnom. l.7.c.13.*
l *Philoſtr. in Apoll.*
m *Arrian. Alex.*
n *Apul. l.1.*
o *Plut.*
p *Tacit. Germ.*

exprimeret, veſtem gerebant: Cæteri ſagum fibula ſpinave contextum. Quorum [q] Suevi, quiſquis ingenuus erat, nodo fluentem crinem ſubſtringebant; ſervis horridâ comâ impexis. Quod [r] Ægyptiis tamen; ut nunc noſtris moribus; nobilitatis erat inſigne. Prô pudor, barbaræ nationes dignitatum gradus ordineſque civium, veſtium habitu diſtinxerunt; noſtris moribus vulgi procerumque cultus eſt indifferens, plebeia fece ac ſordidis officinis auro gemmiſque ſuperbientibus!

[q] *Tacit. Germ.*

[r] *Herod. l.2.*

Etiam Gallorum hodie, *H. Harinxma* referebat, conſuetudine, ex veſtimentis ordinum diſtinguitur dignitas. [s] Illorum cautum eſt legibus, ne plebs utriuſque ſexus torquem aureum, coronam argenteam, annulos, gemmas, pelles Scythicas, ad ornatum corporis, uſurpet. Non minor [t] Germanorum eſt modeſtia & frugalitas: quorum edicto, ſub *Rudolpho Cæſare*, Attalicæ veſtes, & Sericæ togæ aureis fimbriatæ ſegmentis nobilibus prohibētur. Quibus ex Serico tantum Damaſcenum; ſed nullo virgatum auro; permittitur. Stivis & officinis vernacula lana pelliſve in uſum veſtis injuncta. Neque deſunt patriæ Edicta & ſanctiones, quæ frugales majorum mores injungunt, immodico cœnarum apparatu luxuriaque veſtium coërcita. Sed fruſtra bonas laudamus leges, quibus mores non conveniunt;

[s] *Bod. Rep. l.6.*

[t] *Conſtit. Imp. tit. 11.*

quos

quos ſecundarum rerum proventus opumque magnarum affluentia in luxuriam ſolvit. Et quid apud Romanos in lege [u] Fānia, in Orchia, in Didia, in Oppia, in Cornelia, in Antia & Julia, ad cohibendam victus veſtituſque luxuriam, præſidii fuit: cum poſt ſubactam Aſiam, & Attali patrimonium, incultam veterum parſimoniam divitiarum copiæ abolerent? Quod cum videret [x] *Tiberius*, de coërcenda profuſione legem laturus, mentem mutavit: in magnis Civium opibus fruſtra ſanciri edictis continentiam ratus. Et tantum quidem apud nos paucorum annorum ſecunda potuit fortuna, ut nullus ſumptibus ſit modus, perditiſque ſemel luxu moribus, illi ſummæ Nobilitatis gloria tribuatur, qui magnis circumfluens opibus in omnium rerum domi abundantia vivit.

u Gell. l.2.c.24.

x Tac.l.2.

An opes nobilitent.

Excipiebat fratris ſermonem I. *Harinxma*: ut non laudem noſtratium in cultu corporis profuſionem, Laconico, ſi ferat uſus, jure togaque contentus; opibus tamen magnis multum tribuendum videtur: quæ priſcæ vetuſtatis judicio Nobilitatem ſæpe meruerunt. Quis neſcit illud Euripidis: ἡ δὲ εὐγένεια ἐν χρήμασιν? Quis ignorat, [y] Ariſtotelem primum dignitatis ordinem in opibus; ſecundum in claris natalibus; tertium in virtute poſuiſſe? *Solon* ipſe cives ex opum cenſu fortuniſque ad

y Polit.

que ad honores & imperia promovit. Quos ſequuti Romani, civibus in quinque tributis claſſes, primi honoris ordinem Equitibus, aliiſque qui Equeſtrem haberent cenſum, aſſignarunt. Itaque [z] *Auguſtus* cenſum ſenatorium tenuibus ſupplevit: ne familiaris rei anguſtiâ ſplendor ampliſſimi ordinis vileſceret. Gallorum verò Reges aliquando, premente ærarii inopia, Nobilitatis jura pecuniis venalia expoſuerunt. Quod noſtra quoque ætate Hiſpaniæ Rex fecit: cum à Belgis terra marique fatigatus præſtare militibus ſtipendium non poſſet.

[z] *Tranq. in Aug.*

An itaque, *inquam Ego*, infamis lictor & carnifex, ſi divitiis affluat, principem honoris locum obtinebit? An ſicarii, ſacrilegi, venefici, vitioſa & flagitioſa vita nebulones, ſi ad magnas venerint pecunias, in Equeſtri dignitatis gradu enitebunt? Quid eſt omnium rerum turpius, quam Nobilitatis jura in hominũ venire commercia, & pendi pecuniis Reip. dignationem, quæ ſolo virtutis pretio æſtimanda ſit? Quid indignius, quàm honorem quæſtu, ordinem nummis, nobilitatem fluxæ fortunæ commodis metiri? Illa ut ſubito affluunt, ſubito recedunt; ita malis quandoque partæ artibus labem & dedecus afferunt poſſeſſori. At honeſtas nihil cum infamia habet commune. Veræ Nobilitatis poſſeſſio nullis

obno-

obnoxia fortunæ imperiis, nullis subjecta tẽporum casibus, stabilis atque immota semper persistit. Euripides quidem pecuniis venire nobilitatem ex vulgi dicit judicio: qui alias nullam esse virtutis & nobilitatis ait nundinationem. Solon & Romani splendorem nobilitati à pecuniis accedere; non parari ipsam Nobilitatem voluerunt. Quâ de causâ Augustus princeps illustri viros stirpe virtutisque indole largis opibus donavit: ne præstantes animi dotes penuria domestica protereret. Principum vero munere concessa Nobilitas sine virtute nullum veræ Nobilitatis habet decus, hominum tantum ficta opinione.

Stolæ nobilitas. Sed à *Stola* etiam, dicebat *P. Harinxma*, venire aliquando dignitatem memini, prælustri majorum stirpi sanguine inserto Rusticitatis. Ita sæpè aliquis ex infimâ fece terræ filius, indigno devinctus matrimonio mutuatã aliunde dignitatem in posteros transmittit. Ego vero generis splendorem nomenque dignitatis totum à viris pendere puto. Quod adeò verum est omnium populorum moribus & institutis, ut fœminæ illustres, quæ obscuræ familiæ viris nupserunt, partam nobilitatem amittant, neque liberi ullum nobilitatis decus à matris origine vendicare sibi possint. *Ficta nobilitas.* Quanto magis ignobilis est Nobilitas, quæ ementita genus, furata illustris familiæ titulos, turpi men-

mendacio in alieni nominis & dignitatis possessionem irrepit! Hac multi nostro ævo homines superbiunt, Scenici nobiles atque imaginarii: nominis tantum ex fastis surrepti; non sanguinis cognatione clari generis jactatę stirpi conjuncti. Qui mihi priscos illos illustrium nominum aucupes, in Regum principumque familiam adoptare se ausos, referre videntur: [a] *Smerdem*, Cambysis; [b] *Prompalum*, Antiochi Epiphanis; [c] *Protarchum*, Antiochi Soteris; [d] *Archelaum*, Mithridatis; [e] *Andriscum*, Persei; [f] *Equitium*, Tiberii; [g] *Herophilum*, Herodis; [h] *Alexium* quendam, Manuelis Comneni; [i] *Basilium*, Constantini Ducæ fratrem se fingentem. Non defuit, qui plenis impudentiæ velis ad summum audaciæ progressus gradum, pro *Nerone*, pro *Druso*, pro *Henrico IV*, pro *Frederico II.* Imp., pro *Balduino* Flandro, pro *Edoardo* Anglo, pro *Alphonso* Hispano, in publico orbis cōspectu se gessit. Non est alia illorum hominum temeritas & impudentia: qui assumpto demortuę familię nomine, stirpem generis mentiuntur.

a *Herod. l. 3.*
b *Fulg. l. 9. c. 16.*
c *Ibid.*
d *Ibid.*
e *Sab. l. 9. c. 5.*
f *Val. l. 9. c. 16.*
g *Ios. l. 17. c. 4.*
h *Nicet. l. 3.*
i *Cedren.*

Recte tu judicas, *inquam ego*, meritoque detestaris, *macte Adolescens*, illos ἐν πορφύρᾳ πιθήκους· qui præter inanem Nobilitatis speciē nihil admodum habent, quod commendes. Si vitam illorum moresque inspicias, cum prima origine, & sordidæ nobilitatis stirpe conveniunt.

Mores nobilitatis plebeia.

niunt. Nulla animi virtutiſque viget indoles. Nulla eſt ingenii præſtantia, nulla morum integritas & rectitudo. Quid enim illa, aut empta pretio, aut adumbrata magnifico corporis cultu, aut tracta de colo, aut ficta mendacio nobilitas magnâ dignum laude haberet? Vnde iſti caligini lux aliqua gloriæ, iſtis ſordibus claritudo dignitatis accederet? Quæ tanta ſit opum magnitudo, tanta falſi nominis oſtentatio, quæ pudendos natales, ſordidumque à ſtirpe ſua genus vera Nobilitatis laude commendet? Si equo ſtrigoſo floridum injicias ſtragulum, num eo reddes meliorem? Si meretricii vultus mariſcas fuco illinas, num ſpurcam corriges deformitatem? Si mortuorum ſepulchra ſpecioſis colorum pigmentis adornes, num cadaveroſam tolles deformitatem? Si generoſæ arboris trunco ſylveſtrem propaginem inſeras, num feram mutuæ vitæ coalitu dediſcet indolem? Vt fructus natalem fundi locum radicemque ſuam ſapiunt: Ita Ignobilis illa Nobilitas paternarum ſordium refert naturam, nullis fortunæ commodis, nulla affinitatum conjunctione, nullis illuſtrium nominum titulis, & alieni ſtemmatis uſurpatione immutatam. Struthio volandi habet ſpeciem, cum volare non poſſit: carbunculus ignem refert, nulla ignis virtute. Illa Nobilitatis imaginem oſtentat, à vera Nobilitate alieniſſima.

niſſima. Atque ut Ægyptiorum templa pulcherrimè extus picta magnæ religionis fidem faciebant; at quæſito intus Numine, fœdæ turpitudinis aliquod monſtrum, felis, ſerpens, caniſve ad oculos veniebat: Ita illa cùm nomine habituque eximiam dignitatem promittat; nihil re ipſa præſtabit, quàm animi turpificati dedecus & labem. Per Equeſtrem corporis ornatum, pictamque gemmis & auro veſtem, per ſplendidum vitæ cultum, per ſuperba jactati generis inſignia, in familiari convictu, in ſermone, in moribus turpis ſe prodet Ruſticitas.

Videtis illum cum omni fortunæ cultu ſcenicæ Nobilitatis Agamemnónem, fictitii honoris nomine tituliſque furtivis ſuperbientem? Volitant ſummo in vertice criſtata plumarum muſcaria, vanæ levitatis indicia. Pendet ſiniſter ab humero cirrus, aut puellari innexus redimiculo, aut ſoluto fluens villo, antiis, Gallicani more catuli, in fronte horreſcẽtibus. In pectus deſcendit telæ totius patagium reticularibus filorum tæniis fimbriatum. Verutum auro argentove oblitum à vermiculati operis cingulo ad latus ſuſpenditur. Cui aut follicata tibialia, aut equeſtres reſpondent ocreę, ſtridulis armatæ calcaribus, certo nobilitatis argumento. Veſtes barbarico ritu lancinatæ miris aureorum filorum mæandris, qui-

bus avicularum & florum intertextæ ſunt formæ, pinguntur. Vitreum de ſerico pallium; quod cum Poëta textilem ventum dicas; cinctu fermè Gabinio, pectus humerumque alterum obtegit. Crurum calceorumque ligulæ humum verrunt. Ita toto corpore fibulis, uncinulis, globulis, obſtragulis, tæniis innectitur, ut non incedere, ſed volare videatur.

O generoſa profectum ſtirpe ſummaque nobilitate hominem, ſi bene pexi ornatique corporis exuviæ virtutem adderent & dignitatem! Intus pudendæ ſunt ſordes. Intus ruſtica eſt morum aſperitas, & bonæ mentis inopia. Itaque ut plebeia eſt deſpecti generis humilitas: ita animus dejectus, imbecillis, anguſtus. Nulla ad ferendos fortunæ caſus adeſt conſtantia, nullum ad conſequendum magnę laudis præmium cupiditas. Suis delectata ſordibus indoles nihil in arduo poſitum aggreditur, nihil aliqua dignum prædicatione molitur. Vtque in rudi hominum vulgo nullum eſt conſilium, non ratio, non diſcrimen, non diligentia: Ita nihil hîc ad intelligendum mentis, nihil ad providendum eſt rationis: Vt trunci viarum Hermæ picti pulchris coloribus, ſenſum & cerebrum non habent. Vita omnis inculta eſt, & horrida. Sermo, ad captum ruditatis, vulgaris. Vultus motuſque corporis vaſtus atque agreſtis. Si nudum hominem ſine fortunæ

fortunæ ſuę cultu inſpexeris, aliquem de venalitio grege Cappadocem dicas, immanem animo, ſtupentem corpore, ſine ſapientiâ, ſine ſenſu.

His moribus vitæque cultu Plebeia populo ſe venditat Nobilitas. Quæ ut miſerationem meretur; ita digna eſt odio *Flagitioſa Nobilitas*: quæ parta ſcelerum artibus in ſcelere ſemper & maleficio verſatur.

CAPVT XI.

De Nobilitate Flagitiosâ.

DE [a] *Eroſtrato* fama eſt, quod Dianæ Epheſiæ celeberrimum toto Oriente Templũ exuſſerit: ut ſacrilegio inclareſceret, cum parare ſibi virtute gloriam non poſſet. Vt ille pulcherrimi operis: ita [b] *Pauſanias* maximi Regis exitio aditum ſibi ad Honoris ædem eſt molitus. Ille *Hermoclem* percunctatus, quomodo ſubito conſequi nominis claritatem poſſet: qui cum reſpondiſſet, *ſi virum aliquem illuſtrem occidiſſet*; *Philippum* Regem obtruncavit. Quod petiit, aſſequutus eſt. Vt enim virtute rebuſque geſtis *Philippus*: ita paricidio ille in ultimam poſteritatis memoriam nomen ſuum nobilitavit. Quæ vulgandi nominis cupiditas in Rep. principes ad impia ſæpe bella tumultuſque concitavit; in Eccleſia Doctores ad ſeminan-

a *Val. M. l.8. c.14.*

b *Ibid.*

minandos errores impulit. Multos denegati honoris indignatio in Patriam armavit, ut libertate illius eversa dignitatem sibi pararent. Atque ut Romana illa *Tullia*, acto per cadaver parentis sui curru, ad soliũ provolavit: ita non rarò per Reip. ruinam ad honores & gloriam adscenditur. Obvia sunt cogitantibus *Coriolanorum*, *Gracchorum*, *Syllarum*, *Mariorum*, *Sertoriorum*, *Catilinarum*, *Cæsarum* nomina: qui dirutæ Reip. gradibus ad dignitates & imperia viam sibi fecerunt.

Plurimi namq; ab omni ævo mortales scelere flagitiisque Nobilitatem quæsiverunt: quoties aliquis ambitionis impulsus stimulo, quem bonis artibus honoris obtinere gradum non potuit, maleficio impetravit. Igitur alii præcipiti violentiæ impetu, per latrocinia, per cædes, obsessis prædonum manu itineribus, gestis immaniter imperiis ad summos honores obrepserunt. Alii fœda in Dominos suos perfidia, raptoque per vim gubernaculo, ad Nobilitatem accesserunt. Alii ab incesta stirpe, & spurco generis sui sanguine dignitatis initium sumpserunt. Sunt, qui proditione, qui stupro, qui flagitiosis obsequiis, qui servili assentatione, qui crudeli ferarum laniatu, qui denique aliis nequitiæ artibus in Equestrem ordinem, nullo adjuti virtutis præsidio, irruperunt.

Quis

Quis non miretur sub primum Mundi initium homines fuisse, qui à divinæ cognationis deflexi stirpe infamem scelere violentiaque Nobilitatem extruxerunt? architecti superbissimarum Dominationum, obsessores dignitatum, oppressores innocentiæ, sectores & carnifices generis humani. Illius princeps ordinis [a] *Cainus*, in DEVM parentesque contumeliosus, in fratrem impius, malignus alienæ virtutis obtrectator, edito paricidio, patriâ extorris domo, *Hanoch* civitatem filio suo cognominem ædificavit, perpetuum apud posteros fundatę abs se Nobilitatis monumentũ. Cujus sequuti studia vitæque sectam nepotes, contempta DEI ac naturæ lege, vim liberis corporibus intulerunt, imperia constituerũt, matrimonii societatem ad plures fœminas divulgarunt. Vnde nati *Gigantes*, [b] *nobilißimi nominis viri*, ferro in obnoxiam innocentiam grassabantur, rapinis magnas opes parabant, nuncupatis de se terris maribusque gloriosos se faciebant. Quibus aquarum eluvie absorptis, ex *Noachi* filiis *Chamus*, ab intorta paternæ dignitati contumelia, flagitiosam primus, restaurato hominum genere, Nobilitatem condidit, ad summum orbis terræ imperium pronepoti *Nimbrodo* patefaciens viam. Ille igitur Avi sequutus instituta, [c] *potens coram Iehova venator*, acceptam hæreditate Nobilitatem ad sum-

Nobilitas ex violentia.

a *Gen.* 4.

b *Gen.* 6. 4.

c *Gen* 10. 10.

ſummum ſplendorem extulit, Regium Babylonis imperium fundavit, leges ſancivit, jura pro arbitrio dixit, ferro atque armis indocilem ſervitutis plebem facere imperata coëgit. Eadem poſteros & claritatis ambitio, & habendi cupiditas inceſſit, tanto ſe aliis ratos nobiliores, quanto plus ferro audaciæque impetu poſſent. Ita in Abrahami domo, [d] *Iſmaël* ſpurius; in Iſaaci, [e] *Eſavus*, homo durus & agreſtis, ab efferata in homines belluaſque ſævitia, & cruenta armorum tractatione, ſui generis nobilitatem auſpicati ſunt. Quorum deinde exemplo, apud Romanos, *Romulus*, *Viriatus*, *Maximinus*; apud Parthos, *Arſaces*; apud Perſas, *Artaxerxes*, Artabani ſucceſſor; apud Macedones, *Antigonus* Cyclops; apud Sicyonios, *Cleon*; apud Sarracenos, *Mahometus*; apud Turcas, *Othomannus*; apud Scythas, *Tamirlanes*; apud Ægyptios, *Sultani*, obſcuro nati loco, latrocinii piraticæque tirocinio, per furta & cædes dominationes maximas, Nobilitatem literis monumentiſque glorioſiſſimam pararunt. Eorum nunc veſtigiis inſiſtunt *Primipili Vulturiæ Militiæ Tribuni*: qui conculcata Germaniæ libertate, dejectis Imperii principibus, peſſumdata Religione, per ruinas patriæ, per cadavera clariſſimarum urbium, per cumulos trucidatorum corporum, ab infima hominũ fece pudendaque natalium fortuna, ad principatus

d Gen. 21.
e Gen. 25.

cipatus

cipatus & Dominatus, magno rerum humanarum ludibrio, assurgunt. Sed spero ego, illos lubricæ fortunæ gradibus in altum exire, ut, cum venit sceleris & furoris tempestiva maturitas, in prima regressi vestigia fœdam subito lapsu faciant ruinam.

Nec semper imbres æthere nubilo
Manant: nec altè grandineâ nive
Conduntur agri: nec procellis
Aeriæ quatiuntur orni.
Et sæpè pulsis nubibus emicat
Frons læta Olympi: sæpè Diespiter
Excludit imbres, & serenam
De rutilo jacit axe lucem.
Nec semper ungues Vulturios ferox
Stringet cruentus Cæsar, & impiis
Grassatus armis, per ruinas
Victor aget patriæ triumphum.
Fato Tyrannus præcipiti ruet,
Crinesque fœdo pulvere collinet
Prædo Croatus: jamque fortem
VIRGA DEI GOTHA *librat ictum.*
Iam Bestiales diffugiunt Duces,
Cæsique potant Albin & Oderam.
GODSTAVUS *acri victor ense*
Barbaricas furit in cohortes.

Obfirmate verò animos vestros, & adversus timorem sumite vobis constantiæ munimentum, dum truculēta specie, immani rictu,

cruento ore, terribili ſonitu, vaſto ventre, aduncis unguibus *Beſtias*, ſummorum Imperiorum apud Prophetam ſimulacra, in theatrum produco. Quid truculenta illa ſævitia rabieſque belluarum immanis aliud notat; quàm, Babyloniorum, Perſarum, Macedonum, Romanorum Regum Regnorumque Nobilitatem, belluina immanitate partam, & conſervatam eſſe? Quid fuit aliud omnis principum illorum vita; quàm exercitatio ſtrenua diligenſque Giganteæ improbitatis, vexatio liberorum corporum, trucidatio innocentium hominum, expilatio fortunarum, vaſtatio regionum, denique æqui bonique ſubvertendi opera cruenta & quæſtuoſa? Videte illum *Babylonicæ feritatis Leonem*: ut animoſum in publica damna pectus oſtentet! ut vibret securiter caudam, evaginatis in prædam unguibus! ut tollat immanem rugitum, concuſſoque alarum remigio in cæde ac ſanguine miſerrimorum hominum debacchetur! Poſtquam deſæviit in Mundum Leoninę pecudis rabies, evulſiſque alis in ordinem eſt redacta Babylonica nobilitas, *Perſicus obſcuris de latebris urſus* ad ſummi honoris faſtigium prorepit, diductóque vaſti oris hiatu, & ſtricta cruentorum dentium acie, beſtialem fundendi ſanguinis cupiditatem largo humanæ carnis paſtu exſatiat. Vrſum *Macedonicus excipit Pardus*: qui IV. ſub-

sublevatus alis, quatuor insignis capitibꝰ, celeri volatu terrarum orbē emetitur: quocunq; ferro flāmaq; progressus, omnia stupendo successu in potestatē suā trahit. Tenuisset diutius Macedo imperium, præcipuę Nobilitatis insignis gloriâ; nisi obstupefactus terrificâ Romani monstri specie, relicta statione, summi honoris principatum deposuisset. Igitur, dejecto Adversario, *Romana Bellua*, ut à pastoritia Romuli casa & parvis Curibus ad eminentem dignitatis apicem evasit, statim gravi omnia formidine complevit, grandes eosque ferreos dentes in prædam exercuit. Quo impetum dedit, omnia prostravit, laceravit, & in habitum redacta pulveris, pedibusque subjecta superbissimè conculcavit. Iisdem artibus *Gemina istius Belluæ soboles*, illinc Mahomedica, hinc Papalis Bestialitas, ad conspicuæ Nobilitatis arcem adscendit; à pudendis initiis, acie carnificis ferri, per funera & strages piorum hominum, supra Regū principumq; vertices, supra omnem DEUM provecta. Non volo hoc loco de Europæ dicere Regibus & Regnis: quorum plæraque à barbarico violentiæ impetu, à funestis impiæ militiæ armis, à fratrum & propinquorum paricidiis, à proditione, à scelerata in Dominos perfidia, denique à spurii sanguinis stirpe infame Nobilitatis suæ initium acceperunt, scelere ut plurimum acquisita,

sita, scelere confirmata & stabilita.

Ex paricidiis & perfidia. Præter infamem latrociniis Militiam occurrunt impia fratrum parentumve paricidia, pulsi de honoris vitæque suæ sede principes, in quorum erat verba juratum: à quo principio multa fluxit magni nominis Nobilitas. Effer te adversus Regem & Dominum tuum, [f] *Ierobeame*, invasoq; Israëliticarum Tribuum imperio, infamis solii transmitte in Filium hereditatem. Consurge à pulvere cænoque tuo adversus Nadabum, [g] *Baasa*: & cæso cum omni familia Rege, summæ potestatis & honoris apprehende fastigium. Occupa Syrię regnum regiæque Nobilitatis possessionem, [h] *Hazaël*, Benhadado strangulato. Arripe [i] Ægypti sceptrum, *Amasis*, atque interfecto Aprie erubescendam tui generis fortunam fœdo paricidii scelere cohonesta. Emerge ex Idumææ latebris, & in Judææ prodi lucē, [k] Herodes, deletaque Davidis familia, à sævitiæ magnitudine Magni cognomen sume. Sine honoris nomine, sine nobilitatis titulo, in plebeio hæsisses ordine tu [l] *Dionysi*, tuque [m] *Sosistrate*, apud Syracusios; tu [n] *Panæti*, apud Leontinos; tu *Polycrates*, apud Samios; tu *Clearche*, apud Heracleotas; tu *Clodovee*, apud Gallos: nisi per ruinas Dominorum vestrorum perfidiæ gradibus ad nobilitatis apicem conscendissetis. Nisi socerum Regem, *Tarquini*; fratres, *Persa*, &

f 1. Reg. 12.20.
g 1. Reg. 15.
h 2. Reg. 8.
i Herod. l. 2.
k Ioseph. antiq.
l Diodor. l 13.
m Polian. l. 5.
n Ibid.

Iugur-

Iugurtha; Mauritium Imp. *Phoca*; Gordianum, *Philippe*; Alexin, *Myrtille*; Galbam *Vitelli*; alii alios interfeciſſetis, nemo proditam veſtræ dignitatis memoriam teneret.

Ex ſtupris & proditione.

Nullum eſt tantæ turpitudinis ſcelus, nullum tantæ improbitatis facinus, unde Flagitioſa nobilitas ſumere ſibi erubuit originem. Quæritis corruptelas & adulteria? Veniet in conſpectum [o] *Gyges*, Candaulis uxori Reginæ; [p] *Tryphon*, qui cum Imperio Emanuelis ſumpſit nomen, Ireni; [q] *Michael Paphlago*, Zoi Auguſtæ illato ſtupro, præcipuæ nobilitatis dignationem conſequuti. Spectatis Proditiones? Offerunt ſe [r] *Aeneas* & *Antenor*, Trojæ patriæ; [ſ] *Euphorbus* & *Philagrus*, Eretriæ; [t] *Theagenes*, Sami; [u] *Xenias*, Elidos; [x] *Tydeus* & *Adiamanthus*, Athenienſium militum ad Ægos flumen; [y] *Antidorus Lemnius*, Perſicę ad Salaminem claſſis; [z] *Phanes*, Ægypti; [a] *Cilicon*, Mileti; [b] *Doſitheus*, Hircani; [c] *Eurybatus*, Crœſi proditione nobilitati. Alii Veneficiis, Paraſitatione, Detractione, Sycophantia, Præſtigiis in probroſæ Nobilitatis ordinem ſurrepſerunt. Multi pręſtitis turpiſſimarum rerum obſequiis, proſtitutis liberis aut uxoribus, lenociniis juvenilium corporum, belluina helluatione; plures immani ferarum pecudum laniatu illuſtrem honoris titulum meruerunt. Quo gradu [d] *Caii Imp.*, familiares, ex perditiſſimorum hominum

o *Cic. 3. off.*
p *Cuſpin.*
q *Zonar.*
r *Sab. l. E. 1.*
ſ *Herod. l. 6.*
t *Herac. Polit.*
u *Pauſan. Achai.*
x *Pauſ. Phocic.*
y *Herod. l. 6.*
z *Herod. l. 3.*
a *Suidas.*
b *Ioſ. l. 15. 9.*
c *Suidas.*
d *Sueton.*

num

num lecti grege, ad summi honoris locum sunt progressi. Et Antonii Triumviri [e] *Cocus*, ob paratam scitè cœnam magnis à principe opibus donatus. At [f] *Pomponius Flaccus* Syriæ, L. *Piso* urbis præfecturam à Tiberio impetrarunt, cum biduum integrum potando epulandoque cum ipso consumpsissent. Qui aliquando etiam [g] vilissimum Quæsturæ candidatum nobilissimis anteposuit, ob vini amphoram ipso propinante epotam. Non jam [h] Sybaritis & Persarum succenseo Regibus: qui nati in voluptatis sinu, suave aliquod edulium in gulę irritamentum invenientibus amplissimas dignitates & munera dederunt. Ex quibus [i] *Xerxes* regio edicto præmium illi proposuit, qui novum voluptatis genus reperisset. Quos in Persia mores edoctus [k] *Alexander*, instituto potandi certamine, victori præter honoratam aulæ familiaritatem, talenti mercedem donavit. Sed quid miramur obsoniorum nobilitatos Artifices; [l] si *Phryni scorto* auream Delphis statuam Græci posuerunt, inter Archidamum Lacedæmoniorum, & Philippum Macedonum R. præclaro Nobilitatis in posteritatem monumento collocatam? Rectè quidem [m] *Crates* ille Cynicus de consecrata meretricię nobilitatis memoria sensit: cum conspecta Phrynes statua, *Ecce*, diceret, *pulchrum Græcæ intemperantiæ monumentum.* Non inepte quidem

Philip-

e *Plut. Ant.*
f *Sueton.*
g *Suet.*
h *Athen. l. 12. c. 12.*
i *Val. l. 9. c. 1.*
k *Aelian. l. 2.*
l *Athen. l. 13. c. 22.*
m *Ael. var. h.*

[n] *Philippus* meretricium claudit latus : qui *Alexandrum* ſtupro ſibi cognitum Epirotarum regno donavit. Parum hoc viſum *Adriano* Imp., qui [o] *Antinoo* amaſio templum & divinos honores conſecravit, quinquennali ludicro apud Mantineenſes celebrandros : adjecta in divinitatis certitudinem fabula, quod ex Antinoi ſpiritu ſtella nata eſſet, tum primum in cœlo conſpecta. Et fortè hoc Jovis factum exemplo : qui in mercedem perceptæ libidinis *Ganymedem* ſupra mortalium evectum ſortem divinitatis cognatione nobilitavit. Neque Furunculis quidem clauſus fuit ad Nobilitatem aditus : quorum aliquis expilato miris artibus Regio theſauro, ob aſtutiam ſuam, à [p] *Ramſpinito* Ægypti R. Reginæ filiæ nuptias impetravit.

n *Plut.*
o *Euſeb. l.4.c.8.*
p *Herod. l.2.*

Spurii nobilitas.

Sunt verò etiam, qui inceſto nati conjugio eximiam ſibi Nobilitatem adſciverunt, ſpurii generis fortunâ indignis honorum ornamentis decoratâ. Quam dignitatis prærogativam [q] *Moabus*, & *Benammi*, pudenda Lothi ex filiabus ſoboles, poſteris cum internecino pietatis odio reliquerunt. Illa nobilitandę poſteritatis ſpe [r] *Abimelech* Gedeonis ex ſerva F. trucidatis 70. fratribus, Iſraëlitici populi principatum invaſit: quem illi cum vitâ fœminea extorſit manus, molari lapide in paricidæ verticem dejecto. Qua Nothæ Nobilitatis notati infamia,

q *Gen.19.*
r *Iud.9.*

mia, *Phraates* Parthorum ſolium occupavit: *Ariſtonicus*, mortuo Attalo, Aſiæ; *Perſes*, occiſo per inſidias fratre Demetrio, Macedoniæ; *Iugurtha*, cæſis Maſaniſſæ Nepotibus, Numidiæ; *Heliogabalus*, Caracallæ ex ſcorto F., Romanũ; *Lamuſius*, Longobardorum; *Genſericus*, Vandalorum; *Manfredus*, ſuffocato Frederico II. Imp., Siculorum regnũ, cum ſummi honoris titulo invaſit. Quod hominum genus inter Ethnicos, ut natalium dedecus honeſto generis authore obtegeret, ad Deos originem referebat, à cœleſti ſatione tracta ſummæ Nobilitatis dignatione. Jactarunt Romani, primos ſui generis parentes, alterum Veneris, alterum Martis progenitum ſatu, nobiliſſimam, tum ſummæ humanitatis atque elegantiæ, tum invictæ fortitudinis indolẽ poſteris ſuis ingeneraſſe. Prædicavit *Hercules* & *Perſeus* à Jove profectum genus. Celebravit *Helena* ovum de luna prolapſum. Extulit *Plato* ſumptam à Virgine matre originem. *Seleucus* ad Apollinem; *Servius Tullius* ad Larem familiarem; *Alexander*, *Scipio*, *Auguſtus* ad Draconem; *Aethiopum Belul* ad Salomonem; *Saraceni* ad Abrahamum divini generis initia retulerunt. Quis dubitet illos ex ſcortis & meretriculis natos ad velandam natalium infamiam cœleſtem originem finxiſſe: ut inceſti generis opprobriũ ſub honeſtatis titulo in vulgus benè audiret? Hinc

alii

alii Trojanos aut Macedonas, incertis vagabundos ſedibus, ſtirpis ſuæ conditores oſtentant. Alii, tecta fabulis turpitudine, à Meluſina, Merlino, à Cygno nobilitatem ſuæ gentis auſpicantur. His gradibus Flagitioſa conſurgit Nobilitas: quæ nihil penè aliud eſt, quàm gloria & præmium publicæ iniquitatis: eo clarior digniorque, quo eſt vita ſcelere pollutior. Nunc *Flagitioſæ Nobilitatis mores*, & tam ſplendidi ordinis indolem ſignificabo.

Mores flagitioſæ nobilitatis.

Diomedes ille Pirata ab Alexandro captus rogatuſque, *cur infeſta prædationibus maria faceret?* *Ego*, inquit, *quia uno latrocinor navigio, accuſor pirata. At tu, qui ingenti claſſe militumque copiis orbem terrarum infeſtas, vocaris Imperator.* Si tu ſolus captivuſque eſſes, latro & pirata dicereris. Si ego populos genteſque ſub ſignis ducerem, Rex & Imperator audirem. Jure cauſaque belli non differimus: niſi quia deterior eſt, qui rapit alienum violentius, qui juſtitiam perſequitur vehementius, qui Gentium leges & libertatem oppugnat manifeſtius. Me fortunæ iniquitas; te improba ambitio in latrocinia conjecit. Miratus Flagitioſæ Nobilitatis indolem *Alexander*, juſſit eum militiæ ſuæ adſcribi, ut ſalvis inpoſterum legibus militaret: h.e. raperet, ſpoliaret, luxu faſtuque difflueret, publicæ omnium ſaluti bellum inferret.

Violentia.

Ecce ſpecimen & ſimulacrum Flagitioſæ

Nobilitatis: quæ parta ſcelere, in omni ſceleris exercitatione verſatur, animo ferox, manu rapax, audax in omne facinus, effrænatâ violentia, profuſa luxuria, intolerabili arrogantia. His virtutum ornamentis Infamis illa Nobilitas exultat. His moribus quæſitam dignitatem ſuſtentat & tuetur. Nullam ſibi poſitam legem, nullo ſuas libidines jure circumſcribi arbitratur. Pro lege eſt, quicquid impotens ſui animus ſuaſerit: Pro juſtitia, quicquid ſuggeſſerit furibundæ ferocitatis impetus. Ut quiſque injuriæ obnoxius eſt, huic violentiæ res fortunaſque ſuas debet. Nullum eſt in æquitate præſidium, nullum in legibus auxilium. Vnde ſperare veniam aliis non licet, inde illa contemptis imperiis gloriam virtutis aucupatur. Hoc vexata miſeris modis ſubditorum innocentia dolet. Hoc oppreſſi ab hac immanitate aratores queruntur: armatâ quãdoque in perniciem nobilitatis indignatione, cum ægrè ferrent, ſuo ſudore ac ſanguine Harpyas illas ſaginari. Igitur omnis Nobiliũ iſtorum vita in violentiæ exercitatione verſatur. Nihil meliore ſe tenere jure putant; quam quod vi manuq; vendicẽt. Nullius rei jucundiorem fruitionem arbitrantur; ac quam rapto percipiant. Nullum eſſe pręſtantius virtutis opus exiſtimant; quàm legum ſanctiones infringere, malum immerenti dare, fortunas miſe-

miserorum diripere, contumeliam bonis imponere, sacra profana susque deque facere. Nihil pensi, nihil moderati habent. Ipsi tamen inter quotidianas rapinas perpetuo inopes sunt: dum quæ avarè rapiunt, intemperanter absumunt. Aut ad *Syllæ* ingenium munifici prædones, alios aliorum injuriis locupletant: ita quoq; liberalitatis aucupati famã. Istâ fuit rapacitatis violentiæq; indole [s] *Ismaël*: qui ho- s *Gen.* 16.
stili omnes oppugnans manu hostilib⁹ omniũ 12.
manibus oppugnabatur. Istâ *Chamus*, *Esavus*, *Nimbrodus*: qui hominũ robusti venatores per cædes & latrocinia magnas opes & imperia pararunt. Istâ [t] *Iesabel* Achabi, vitâ fortunisque, t 1. *Reg.*
Nabothum evertens. Quo violentiæ raptus im- 21. 13.
16.
petu [u] *Lisander*, Argivis de ditionum finibus u *Plut. in*
jure legibusque disceptantibus, stricto ense, *Lac.*
Qui eo, dixit, *est superior, optimè de finibus disputat*. Et
[x] *Themistocles* ab Andriis argentum postulans, x *Plut.*
Duas, inquit, *adduco ad vos Deas, vim & suasionem*: *Them.*
Si suadendo nihil impetravero, vim adhibebo. *Marius* inter tympanorum tubarumque sonitus legis vocem non audiebat. *Pompeius* accinctus armis inculcata à Mamertinis jura contemnebat. Bajasites Hungaris vim sibi fieri querentibus, de *Imperiis gladio certandum in campo* monebat: Jura & leges armis cedere. Qui bello prævaleat, rectius disputare. Quam Scythicę violentiæ indolem professus *Vergas* ille, cum patriam

libertatem & privilegia trucibus Hiſpanorum imperiis everti Belgę quererentur, Mauro ore barbarus, *Non cúramus*, ait, *veſtros privilegios*. Igitur merito prædatrix illa Nobilitas Aquilarum, Vulturum, Falcorum, Accipitrum, Corvorum, Harpyiarum, Gryphorum, Tigridum, Leonum, Luporum, Pardorum, Vrſorum, Draconum, Serpentium, Gladiorum ſe oſtentat inſignibus: quia rapto vivere ſueta violento in modeſtiam impetu effervеſcit.

Luxuria. Atque ut avide omnia rapit prædaturque; ita prodigit ſtrenuè: non in prædam violentior; quàm gulæ ventriſque obſequio indulgentior. Quicquid ad manum eſt, ſumit, conſumit, perdit. Dies noctéſque bibit, græcatur, paſcit paraſitos, ducit ſcorta, obſonat pollucibiliter. Hoc unum laudi ducitur, ſi in aleâ eludere ſocium nequius poſſit, ſi corporis vires ingentibus poculis commonſtret, ſi veneri fortiter indulgeat, ſi pecunias decoquat, ſi dira verba ejaculetur, ſi furore amentiaq; pręceps neque Deos curet, neq; hominum quenquam extimeſcat.

Superbia. Luxum ſuperbia comitatur, indignam fortunam graviſſimè vehementiſſiméque jactâs. Vt enim ſemel ex cœno tenebriſque ſuis in lucem emerſit illa Terræ ſoboles Cyclopica, tantos ſibi ſtatim ſpiritus, tantam arrogantiam aſſumit, ut non ſit ferenda. Videas illam

magni-

magnifice ſe inferre, omnium rerum principatum arrogare, neminem præ ſe hominem ducere. In animo barbaram omnium contemptionem, in convictu immitem aſperitatem, in vultu ſupercilium trucis indicium faſtidii notes.

His jactat ſe plerumque moribus *Infamis Giganteæ improbitatis Nobilitas*. Nunc quam *ſanguinis aviti claritas*, & illuſtri de ſtirpe tractum genus indolem offerat, cognoſcemus.

CAPVT XII.

De Nobilitate Sanguinis.

QUando hominum ſtudia ſenſuſquē mecum cogito, mirari ſoleo, quid ſit, quod ita plerique erroribus ducantur, ut de rebus fere omnibus falſo judicent. Magnum illius erroris præſens de Nobilitate diſputatio præbet documentum. Eam alii in divitiis opumque abundantia ponunt. Alii ab honoris gradu, & illuſtri civium gratia, à ſplendidis connubiis, & affinitatum conjunctione, à magnæ poteſtatis amplitudine, à principum largitione, quodque turpiſſimum eſt omnium, à ſcelerum licentia, & flagitioſæ vitæ moribus clari nominis dignitatem quærunt. Plures veræ Nobilitatis ornamenta in Majorum meritis, & antiqua ſtirpe generis collocant: ſi ſummo

loco nati illuſtres familiæ ſuæ conditores referre poſſint. Sed quo pacto illa dici poteſt Nobilitas, quæ aut cum ſumma turpitudine ac dedecore eſt conjuncta; aut fortunæ hominumque ſubjecta arbitrio levi momento huc illuc transfertur. Quàm miſerabile *Crœſus* ſpectaculum præbebat, cum everſus omnibus fortunis, ſpoliatus dignitate, nudus amicorum præſidio, Solonis nomen in pyrâ inclamaret! Quid *Craſſo* & *Mario* fuit contemptius: cum dejecti ab honoris faſtigio, ille Parthorum ludibriis vexaretur; iſte Minturnarum oblitus cœno, imminentem jugulo ſicam extimeſceret? Quod in copiis potentiaque ſalutis ſuæ præſidium habuit *Xerxes*, piſcatorię cymbę tot adoratum hominibus caput committens? Quod *Policrates*; ab *Orœte* Darii Satrapa in cruce ſuſpenſus: *Perſes*, ad Pauli genua ſubmiſſus; *Pompeius*, Ptolomæi Regis juſſu obtruncatus; *Iugurtha*, in cloacam detruſus; *Valerianus*, ſuperbo Saporis pede calcatus; *Bajaſites*, poſt illuſtres x. annorum victorias, in ferrea cavea oſtentui circumductus? Qua fronte Abrahami patris nobilitatem *Iſmael*, Noachi *Chamus*, Davidis *Abſolon*, Africani majoris *Scipio*, Allobrogici Fabius, Hortenſii *Corbio*, Germanici *Caius*, Antonini *Caracalla* efferre audeant: qui parentum ſuorum ſplendorem teterrimis ignaviæ nequitiæque ſordibus offuſcarunt?

Generis nobilitas caduca.

Quis

Quis *Themiſtoclis, Socratis, Epaminondæ, Phocionis, Ciceronis* filios nobiles dicat: qui acceptam à majoribus lucem in tenebras converterunt: non parentibus magis ſimiles; quàm tritico lolium, ex eodem cum ipſo agro natum? Caduca nimium eſt, & fluxa ſanguinis generoſi dignitas: quæ in degenere clariſſimarum imaginum fœtu nihil priſci retinet ſplendoris: in hoc ad poſteros tranſmiſſa, ut eorum labes ac turpitudo ex clari nominis titulo magis innoteſcat.

Quæ generis ſit Nobilitas.

Quærebat hoc loco P. *Harinxma*, *Quem ego genere ac ſanguine Nobilem dicerem*. Scire ſe, quod oppido multi, jactata natalium ſuorum fortuna, pręter decus & meritum in illuſtrem ſeſe Nobilitatis ordinem intrudant. Eſſe, qui ſola vetuſtate memoriaq; avitorum nominum, ſi quæ è ſepulchris literiſve exeſis eruerint, nobilitatem metiantur. Qui ab honoratis parẽtum officiis generis ſui dignitatem auſpicentur. Qui à claritate nuptiarum & materno ſanguine, ab equeſtri cenſu, à mercenaria militia, à redemptis ære villis magnam ſibi nobilitatem vendicent. Putare ſe, non omnes ſanguine domoque nobiles habendos, qui nobilitatis inſignia in baltheis & clypeis circumferant. Cui *ego*, multos eſſe thyrſigeros, reſpõdebam; paucos Bacchos. Multos alta majorum nomina & demiſſum à priſcis Dynaſtis genus glo-

gloriari, ſummumq; in Orcheſtra honoris locum tenere, à quatuordecim gradibus ad infima plebis ſubſellia merito dejiciendos. Illum ſtirpe Nobilem cenſeri, qui ex illuſtri majorum ſanguine genus ducat, temporis vetuſtate, opum honorumque amplitudine, virtutis diſciplina commendatum. Falſo illos dignitatem ſui generis jactare qui non referre ejus authores poſſint, rebus præclare geſtis, & honoribus populi fortuniſque in civitatibus ſuis illuſtres.

Hebræorũ nobilitas. Sacerdotalis.

Hebræorum moribus genere nobiles cenſebantur, qui aut à Regum ſtirpe genus trahebant; aut ab *Aarone* oriundi ſacerdotii dignitate præfulgebant. Cum enim illi in Religionibus & DEI cultu ſummam bonorum omnium collocarent, nobiliſſimos omnium judicarunt, qui proxime ad immortalis DEI numen accederent. Itaque *Aſmonæa* Levitici generis familia, excuſſa *Epiphanis* ſervitute, Pōtificatum maximum unà cum regno, ad *Herodis* Idumæi uſque dominationem, cc. annos tenuit. Quo exemplo vetuſtiſſimi Reges, ut majorem populo ſuæ nobilitatis opinionem injicerent, pōtificiam cum imperio dignitatem exercuerunt. Quos imitati Græci & Romani principes *Pontifices ſeſe Maximos* appellarunt, eademque ſæpe manu, qua in acie gladium vibrabant, exta Diis immolarunt. Ex qua Anti-

chriſtia-

christianæ radicis traduce *Mahomedicus Arabum*, & *Romanus Cleri Princeps* insignem utraque dignitate verticem attollunt, Regum & sacrificulorum functi simul munere. Vnde est, quod hodie sacrorum moderatores, & Præsulum ille sacer Ordo primum in consessibus honoris locum teneat, civilium quoque onerum immunitate donatus. Ita muneribus, non personis, posteritati commendatur nobilitas.

At Græci veteres nobilitatem non ex obitis publicorum munerum officiis; at Regum & Heroum stirpe æstimabant: si quis aut Heraclidas, aut Æacidas, aut Cecropidas, aut alios alti nominis principes cognatione attingeret. Tum, ut sua virtuti constaret dignitas, illis honoratæ originis gloriam tribuerunt, quorum majores, ob res præclare gestas, publico decreto Coronam auream, immunitates, statuas, primos consessus, victum in publico fuerāt consequuti. Ita [a] *Lycurgo*, Lycophronis filio, Athenienses æneam in foro statuam collocarunt, natuque posterorum maximo victum in Prytaneo præbuerunt. Et [b] *Harmodii* tyrannicidæ posteris victum publicum & immunitates concesserunt. Quod omnibus [c] Græcorum civitatibus commune fuit, ut liberis eorum, qui pro patria fortiter occubuissent, victum de publico darent. Romani tamen

Græca & Romana Nobilitas.

a *Plut. Lyc.*

b *Isæus Orat.*

c *Arist. polit.*

men amplis administratæ Reip. muneribus nobilitatem metiebantur: ut illos honore generis aliis præferrent, quorum parentes *Curulem Magistratum* gessissent, jus erigendæ statuæ consequuti. Itaque qui primus in gentem suam muneris istius dignitatem intulisset, *Novus* dicebatur, nullarum homo imaginum, non atria vetustis ornata ceris, non fumosos Equitum magistros & Dictatores, non altis inclytum titulis genus ostentans. A Novis nati *Nobiles* vulgo censebantur, generis splendore majorumque gloria principem in Civitate locum meriti. Hinc[d] *Cicero* primum se nobilitatis refregisse claustra prędicat. Et[e] *Marius* Novum se hominem, nullis illustrem majoribus, nullis inclytum imaginibus, ex virtute parasse sibi nobilitatem, quam acceptam alii corrumpant, gloriatur. Hæc Nobilitas quo longiore censa stemmate vetustiores familiæ conditores referre posset, eo major erat & honoratior. Itaque *Patricii* generis præcipua erat Romæ dignitas: quod à *Scriptis*, sub Romuli imperio, & à *Conscriptis*, P. Valerio Cos., originem ducebat. Proximum ab illis Nobilitatis gradum *Equites* tenebant: qui publicum à censoribus equum habebant, mille assarium Equestri censu, Annuli, & Angusti honore clavi insignes.

d *Rull. Or. 1.*
e *Salust.*

Generis nobilitas quid.

Nobis hoc loco non alia *Generis est Nobilitas*, quàm

quàm ex majorum virtute, rebuſque præclare
geſtis,commendatio poſteritatis.Quæ ad exi- *In Civitate univerſa.*
ſtimationem hominum gloriæ hæreditas tam
ad *Civitates univerſas*; quam ad homines ac *Fa-
milias ſingulas* dimanat. Quanta effertur nobi-
litatis laude [f] *Bethlehemũ* Judęæ,ob Meſſiæ na- f *Matth.* 2.
tales non poſtremo inter Judæ principes po-
ſitum loco! In quam illuſtri gloriâ verſantur
Athenæ,tanto fortiſſimorum Civium, qui ma-
ximis patriam beneficiis obſtrinxerunt, pro-
ventu feraces? Quam eſt ad poſteritatis me-
moriam inclyta *Lacedæmon*,*Carthago*, atque illa
Gentium nobiliſſima Imperatrix *Roma*: unde,
tanquam ex equo Trojano, innumeri princi-
pes exierunt: quorum virtute domi foriſque
geſta Reſp.in celſiſſimam dignitatis & hono-
ris ſedem adſcendit! In quanta eſt nobilitatis
dignatione *Miletus*, *Anaximenis* Philoſophi,
Thaletis Aſtrologi, *Timothei* Muſici, *Anaximan-
dri* Phyſici,*Hecatei* Hiſtorici, *Aeſchinis* Oratoris
inclyta natalibus! Qua honoris commenda-
tione inclaruit *Cartheia*,*Simonidis*, *Eraſiſtrati*, *A-
riſtonis*; *Bithynia*,*Xenocratis*,*Hipparchi*,*Theophanis*,
Aſclepiadis; *Cyrenis*, *Callimachi*, *Ariſtippi*; *Germa-
nia*,*Caroli M.*,*Henricorum*,*Ottonum*;*Hiſpania*,*Ner-
væ*,*Trajani*, *Theodoſii*; *Pannonia*, *Decii*, *Aureliani*,
Probi, *Diocletiani*, *Cari*, *Valentiniani* cunabulis
nobilitata!

Quem ampliſſimi nominis ſplendorem
Fami-

In Familiis singulis. Familiæ ſingulæ conſequutæ ſunt: ut ea egregiè Nobilis habeatur, quæ clariſſimorum hominum frequentia maximè illuſtratur. Quæ enim tam ſera erit poſteritas, quæ non *Ieſſæi* nominis decus atque amplitudinem honorabili ſemper memoria proſequatur, ſanctiſſimis DEI HOMINIS natalibus illuſtratum? Quæ tam ſurdæ literæ, quæ de *Maccabæorum* conticeſcant gente, tam amplo fortium virorum proventu gloriosâ? Quæ tanta vetuſtatis iniquitas, quæ Græcorum *Heraclidas*, *Aeacidas*, *Agidas*; Romanorum *Claudios*, *Cornelios*, *Fabios*; Gothorum *Balthos* & *Amalos*; Turcarum *Ebrenes* & *Malcoccos*; Gallorum *Valeſios* & *Borbonios*; Anglorum *Eboracenſes* & *Lancaſtrios*; Italorum *Vrſinos* & *Columnenſes* oblivionis obruat ſilentio? Quis Germanico *Saxonum*, *Bavarorum*, *Auſtriorum*, *Naſſoviorum* ſanguini ſummæ nobilitatis ſplendorem detrahat: unde, propagata in multam ætatem ſtirpe, innumeri principes prodierunt, qui ſuæ gentis nomen iiſdem, quibus ſolis curſus, ſpaciis ac regionibus terminarunt? Eadem à *Doctrinæ ſapientiæque ſtudiis* familiarum trahitur claritas: ne illam ad caſtra & Bellonæ tantum cruenta arbitria referamus. Illâ magnum ſibi ante alias nomen *Aeſchyli* paravit familia, quæ octo Tragicos Poëtas; *Curionum*, quæ tres ordine Oratores; *Annæorum*, quæ ſex illuſtri nomi-

nomine Philoſophos terris dedit.

Ex illo clari generis ſplendore majorumque gloria præcipua vulgo Nobilitatis eſt cōmendatio. Neque quiſquam pene noſtris moribus Nobilitatis meretur laudem, niſi qui ſummo natus loco illuſtres ſui generis authores referre poſſit. Qua quis ſit ad virtutem genitus indole, quibus artibus vitam inſtituat, quantum divini animi conſilio ſapientiaque præcellat, non attenditur. Vana verò eſt & futilis iſtius Nobilitatis gloriatio: quæ ſolis parentum innixa meritis in fortuna conſiſtit naſcendi, & ſtulta vulgi opinione inducta; neque dignitatem ullam habet, neque ad aliquod bonorum genus revocari poteſt. Audebit quiſquam de Patriæ civitatiſque ſuæ nobilitate gloriari? Audiat ille loquentem ſibi Ariſtotelem: [g] *Nihil, an celebri in patria natus, ſed an ea dignus ſis, refert.* Jactabit quiſquam clarum à ſtirpe genus, & inclyta majorum nomina? Accipiat ille hoc Theocriti: [h] *Nobiles arbitror non eos, qui ex illuſtri parentum ſanguine originem habent; ſed qui honeſtatem omnibus rebus præferunt.* Quis verò hanc laudis dignitatem à patria trahat: quam naſcendi ſors cum improbis, cum ſcortis, cum brutis beſtiis communem nobis fecit? An *Caium* & *Neronem* in mundi natos vertice propitia natalium fortuna nobilitavit? An Corinthi claritas *Laidi*, Athenarum *Thaidi* &

Vana gloriatio nobilis patriæ.

g *Laert. l.5.c.5.*

h *Stobæus.*

Phryni,

Phryni, profligatissimæ verecundiæ prostibulis, ullum veræ laudis ornamentum attribuit? Prodit turpium hominum fœditatem patriæ nobilitas, erutamque è latebris in apertum trahit, ut improbitatis infamia magis innotescat. Quæ inter tot oculos latebra nequitiam abscondat? Nescimus verò parvam contemptamque patriam magnis viris; magnam parvis abjectisque natalem lucem sæpe impertivisse? Fuit *Bias* Prienæus, *Pythagoras* Samius, *Anacharsis* Scytha, *Democritus* Abderites, *Aristoteles* Stagirita, *Theophrastus* Lesbius, *Tullius* Arpinas. Nihil in istis viris soli natalis angustia ingeniorum obstitit magnitudini. Curete *Numam Pompilium*, Veliterna *Augustum*, Tusculum *Catonem*, Arpi *Marium*, Corduba *Senecam*, Reate *Vespasianum*, Chous *Hippocratem*, *Phidiam* & *Apellem*, & si fas est, tanti hoc loco nominis meminisse, *Christum Servatorem* Bethlemum dedit. Non inhibuit tam magnam virtutem patriæ humilitas; quo minus suprà nascendi provecti locum in altissimo honorum fastigio elucescerent. Sæpe obscura de casâ vir exiit magnus, & rusticum tecti pendentis tuguriolum hominem emisit in frequentissimâ celebritate, & clarissima maximarum Civitatum luce versantem. Neque enim magis ad veram Nobilitatem officit obscura & ignobilis Patria; quàm matre deformi & pusilla natum esse.
Nisi

Niſi verò per te fulſeris, nihil tibi, præter tenebras, afferet patria: quam ſola Civium gloria illuſtrat. Stultus ſis, ſi à vetuſtate, ab opum magnitudine, à ſpectata fertilitate, ab incolarum numero, à natura ſitus, à munitionum firmitate, ab ędificiorum ſplendore, ab exundāte cibis foro, ab aëris ſalubritate, à portuum commoditate, à gregum & armentorum frequentia patriæ nobilitatem æſtimes. Sola civium virtus lucem illi affundit. In contemptu poſita fuiſſet *Lariſſa*; niſi famam illius *Achilles* vulgaſſet. Neſcirentur horrentes *Ithacæ* ſcopuli; niſi eos *Vlyßis* ſapiētia illuſtraſſet. Lateret *Pelleæ* nomen; niſi à *Philippo* & *Alexandro* nobilitatis gloriam accepiſſet. Humiles illæ Romuli caſæ, & ignobilia paſtorum & fugitivorum latibula non effulſerunt ante, quàm ab excellenti civium virtute rebuſque geſtis inclareſcerent. Scite *Themiſtocles* Seriphio cuidā, illum patriæ nobilitatis ſuæ ſplendorem debere dicenti, [i] *Non hercule*, reſp. *ſi ego Seriphius eſſem, ignobilis eſſem: neque tu, ſi Athenienſis, clarus umquam fuiſſes.* [k] *Anacharſis* verò Scythicam objicienti originem, *Mihi*, ait, *patria probro eſt; tu patriæ.*

i *Cic. in Caton.*

k *Laert. l. 1. c. 6.*

Generis gloriatio vana.

Neque meliore quiſquam jure *Aviti generis familiæque ſuæ ſplendorem* & nobilitatem auſit jactare. Quis enim de eo ſe merito prædicet, quod alienum eſt, quod mortuis debetur, in cujus paranda poſſeſſione nihil à nobis operæ, ni-

rę, nihil ſtudii temporiſve eſt impenſum? Quis oſtentet magnifice ea, quæ temporis fortunæque ſubjecta legibus facile in prima ſtirpe deficiunt, neque unquam ad degeneres tranſeunt poſteros; niſi cum majore corrupti generis opprobrio? Quis illa magnopere affectet ornamenta, quæ perditiſſimis ſępe hominibus fortunæ favor & naſcendi caſus attribuit? Quis eo inſoleſcat atque efferatur, cujus poſſeſſio nihil homini ad felicitatem præſidii affert?

Alienum bonum nobilitas. Aliena eſt claræ ſtirpis nobilitas: quæ parta majorum induſtria naſcendi quadam ſorte ad poſteros tranſmittitur, ut dedita bonis maliſve ſtudiis vita magis in conſpicuo ſit. Quis cum Aſino Cumano leonis exuvias oſtentet? Quis alius partam virtute gloriam ſibi vendicet, & ſumptis mutuum ornamentis cum Æſopica cornicula ſuperbiat? Non ille in [l] *Alphonſo* Rege animus fuit: qui de ſtirpe Regii generis ab aulico paraſito laudatus, *Laus illa*, inquit, *non mea eſt; ſed majorum. Si quæ ſunt in me ipſo virtutis ornamenta, ea mihi laudi duco; non quæ ſtulta ambitio è parentum ſepulchris eruit.*

l Panor. l. 2. Alph.

Nobilitas caduca. Quàm verò fluxa ſunt, quam caduca & fragilia Imaginum illa ornamenta, quibus ſuperba Nepotum incumbit gloriatio! Vt aliarum rerum; ita Nobilitatis eſt quidam flos & juventa: quam maturatâ ætate ſenium excipit,

& in primo ſæpe honoris limine ſubita mors occupat, ne veſtigio quidem priſcæ Nobilitatis relicto. Eximit ſe ſubito aliqua de vulgo Familia, & ſecundis gratiæ auris ad conſpicuam lucem ab ignotis tenebris emergit. Eadem ſtatim, obſoleſcente venuſtatis ſplendore, vix majorum gloriam tuetur. Tum magis magiſque extabeſcens concidit, & eruta hominum ſenſibus ſempiterna oblivione deletur. Hoc Glaucus ille Homericus Diomedi queritur.

Quid genus inquiris, Danaûm fortiſſime noſtrûm!
Nam genus humanum eſt foliis par: tempore verno
Evocat hæc nodis levis auræ ſibilus; illa
Sylva virens nutrit: quæ mox à frigore marcent.
Sic genus humanum viget hoc nunc; concidit illud.

Quæ nunc ex Judęis, ex Chaldæis, ex Græcis & Romanis illuſtrium familiarum reſtant propagines? Quæ Juliæ Gentis, Metellorum, Fabiorum, Scipionum poſteritas eſt incolumis? Omnis priſcorum Nobilitas cum fortuna populorum ita ſepulta eſt, ut ſi hodie ſe aliquis ad illorum ſanguinem & genus referat, Pythagoræ defendere ſomnia & migrationes diceretur.

Sed incolumi quoque ſtirpe deficit ſæpe ac emoritur paternæ nobilitatis gloria, in prima poſterorum gente, deficiente virtute, extincta. Neque enim, ut paterni oris ſpecies & vultus lineamenta; ita virtutum imago in filiis

ſemper relucet. Vt qui vino & luſtris obruunt corporis valetudinem, & immodicâ luxuriâ, quaſi exitiali veneno, mortem ſibi ante naturæ curſum conſciſcunt: ita multa nobilium imaginum poſteritas acceptam à majoribus lucem tetris ignaviæ nequitiæque ſuæ ſordibus offuſcant, & cum illa maximè ſplendere videtur, extinguunt. Qua nobilitatis ſimilitudine *Adamum Cainus*, *Noachum Chamus*, *Abrahamum Iſmael*, *Iſaacum Eſavus*, *Iacobum inceſti ac paricidæ*, *Heli ſacerdotem luxurioſi filii*, *Moſen Eliezer & Gerſam*, *Samuelem Ioël & Abias*, *Gideonem Abimelech*, *Davidem Abſolon*, *Salomonem Roboam*, *Ioſiam Ioachazus & Ioacimus*, *Ezechiam Manaſſes* retulit? Quam paternæ virtutis imaginem habuit *Telemachus Vlyſſis*, *Ninus Semiramidis*, *Cteſippus Chabriæ*, *Xantippus Periclis*, *Lyſimachus Ariſtidis*, *Meleſias Thucydidis*? Pudet me dicere magni *Themiſtoclis* ſobolem ad luxum proterviamque peſſumdatam, *Phocionis* vino corruptam, *Socratis* deliram, *Sophoclis* paricidam, *Ariſtarchi* inertem, *Ariſtippi* abjectam, *Catonis* laſcivam, *Ciceronis* bicongiam. Indignor *Fabii* filium, ob diſſolutæ vitæ licentiam exhæredatum, *Scipioni Africani* annulum cum paterna imagine detractum, *Caligulam Germanici* indignum ſepultura habitum, *Domitianum Veſpaſiani* in libidines & ſævitiam præcipitem, *Commodum Antonini*, *Carinum Cari*, *Conſtantini M.*, *Theodoſii M.* libe-

liberos in omnem vitæ turpitudinem prolapſos. Quis hos nobiliſſimorum hominum filios nobiles dicat: qui in omne provoluti dedecus domeſticæ gloriæ lucem ſua turpitudine obtenebrarunt? Vt ſplendor in obſcura ſpeculi parte nuſquam apparet: ita degenerans à virtutis ſtirpe proles, obtritis majorum laudibus, nullam priſcę nobilitatis gloriæque reddit imaginem. Itaque [m] *Stilpo*, cum illum multi in ſiniſtræ famæ Filia dehoneſtari dicerent, *Nihilo magis*, inquit, *Filia me dedecorat; quam ego decoro illam. Ariſtippus* verò [n] Filios ſuos degeneres, *ut natam ex ſe pituitam & pediculos* procul abjiciendos judicavit; nullaq; ſibi ſanguinis nobilitate conjungi dixit, qui paternæ virtutis ſimilitudinem non haberent.

[m] *Laert. l.2.c.15.*

[n] *Ibid.*

Generis Nobilitas laudatur.

Interpellabat medium ſermonem *Schvvartzenb.* Nobilitatem generis non digno ſatis verborum honore deſcribi ratus. Ego quidem, ait, *Neuhuſi*, magno merito in pretio habeo illam ſpectati generis claritatem, & illuſtris fortunæ Natalia, commendata divino judicio, honorata Gentium teſtimoniis, illuſtrata rebus in omnis ævi memoriam præclariſſimè geſtis. Quęris divini judicii authoritatem? Voluit DEVS Reges & Sacerdotes Hebrææ Gentis, facto generis diſcrimine, certis de familiis ad Remp. regendam admoveri. Voluit, ut Judæ progenies præcipuâ inter duodecim

principes dignitate floreret, agmen prima duceret, vota prima faceret, prima immolaret: ejus imperium & authoritatem reliquæ tribus ſequerentur. Voluit ex illo ſanguine inſignes belli duces, fortes gerendarum rerum principes, maximos populi Reges, ipſum Mediatorem Chriſtum mundo naſci. Et tanta quidem in DEI populo ratio fuit habita Nobilitatis, ut [o] ſpurii ſanguinis homines à ſacrorum limine arcerentur, & [p] poſt reditum à Babylone loco moverentur quotquot ſuos referre majores non poſſent. Petis Gentium aliarum ſuffragationem? Ne referam ſingulas, magno ſemper apud omnes inclytæ ſtirpis proſapia in pretio fuit. Huic principem in congreſſibus honoris locum, primum in ſuffragiis dicendæ ſententiæ arbitrium permiſerunt. Huic onerum immunitates, plebeiorum munerum vacationes, venandi aucupandique jus conceſſerunt. Hinc flagrante bello militiæ duces, fluctuãte patria Reip. gubernatores ſumpſerunt. Ad hanc dubiis rebus, tanquam ad unicum ſalutis palladium, confugerunt.

o Deut. 23.2.
p 2. Eſdra 6.13.

Nobilium geſta.

Et merito quidem illud. Quid enim unquã magna dignum laude geſtum eſt, quod non huic ordini debeatur? Quando hoſtium acies felicius profligata, civium ſalus fortius propugnata, Reſp. domi foriſque rectius adminiſtrata;

ſtrata; ac cum aliquis illuſtri parentum de ſanguine rerum potiebatur? Qua celebrarentur laude *Athenæ*; niſi eas *Miltiades*, *Cimon*, *Ariſtides*, *Pericles*, aliique ſummo nati genere homines æternis virtutum ſuarum monumentis condecoraſſent? Qua in gloria verſarentur *Spartiatæ*, qua *Thebani*; niſi ſub nobiliſſimis *Agidis*, *Cleomenis*, *Leonidæ*, *Ageſilai*, *Epaminondæ* nominibus ad poſteritatis memoriam inclaruiſſent? Quos *Roma* ſine *Camillis*, *Fabiis*, *Papyriis*, *Scipionibus*, *Catonibus*, *Manliis*, *Aemyliis*, *Pompeiis*, *Cæſaribus*, triumphos duxit? Quid Germani, Galli, Britanni, cæteræque nationes magna dignum laude fecerunt; niſi per viros ampliſſimis familiis oriundos? Illi parva ſæpe manu magnas hoſtium copias fregerunt. Illi patriæ in ultimum adductæ diſcrimen lucem attulerunt. Illi ſuos cives ab exitio ad ſalutem, à deſperatione ad ſpem, à morte ad vitam revocarunt. Tantumque ſemper opinio valuit Nobilitatis, ut qui ſe viderent ab illa adjutos, non humanis opibus; ſed Deorum numine ſe conſervatos crederent. Res geſſere maximas Athenienſes, fudere Perſarum exercitus, tenuere magnam Græciæ atque Aſiæ partem ſub imperio, donec illuſtri nobilitate principes ad regendæ Reip. clavum ſederent. Quibus dejectis cum plebeia obſcuritas dominatum arriperet, multis domi foriſque vexati cladi-

bus cum imperio fortunarum jacturam fecerunt. Heraclidæ Laconum Reges magna diu virtute libertatem defenderunt, hostium vires fregerunt, invictæ fortitudinis gloriam sibi pararunt. Extincta est Spartanæ virtutis indoles, jugulataque Rep. concidit civitatis salus, cum plebeius Ephororum magistratus, coactis in ordinem Regibus, summam potestatem usurparet. Rem Romanam initio Reges constituerunt, constitutam principes atque optimates, prolato feliciter imperio, amplificarunt. Illam popularis dementia Tribunitiis fractam contusamque tempestatibus impotenti Triumvirorum & Cæsarum libidini subjecit. Ita clarissimas terrarum orbis Resp. Nobilitas condidit, conservavit, auxit; plebs vexavit, diripuit, evertit. Nullam unquam civitatem humilis plebs constituit. Nullam cum collapsa esset, in pristinam dignitatem restituit. Quid enim ab illa præstetur; quæ neque ad providendum consilio providentiaque valet; neque ad res gerendas animi altitudine impellitur.

Virtus propagatur in sobolem.

Excipiebat ea verba *Kamminga*, certamque esse dicebat dignitatis & virtutis ab ortu Generis æstimationem: insita semel omnibus rebus ab opifice Deo indole, ut aliis alia naturæ viriumque suarum precio antecellerent. Si in cœlum referantur vultus, sidera impare radiorum

rum vibratu ſplendeſcere. Si in terram deflectantur oculi, plantas atque animantes in diverſam virtutis indolem naſci: ſive forma naturaque differrent; ſive eadem ſpecie continerentur. Non parem ſolo generandis frugibus fœcunditatem datam. Non eandem ſtirpibus atque arboribus vim proferendis fructibus adgeneratam. In curſum equos, in ſagacitatem canes, in mulctra vaccas diverſo naturæ impetu ferri.

Eſſe in juvencis, eſſe in equis patrum
Virtutem: & imbellem feroces
Non generare Aquilas Columbam.

Tum verò maximè in Homine

Fortes creari fortibus,

parentumque virtutem per genitale ſemen in ſobolem tranſire. Vt in ſerendis arboribus cōſpicuæ nobilitatis ſumitur ſurculus: propagandis domeſticarum animantium familiis generoſa parentum ſpectatur indoles: ita mores & virtutem hominibus à ſtirpe generis infundi. Raro ex inclyto ſemine naſci filios, in quibus non emineat imago paternæ nobilitatis. Ita Græcorum *Heraclidas*, *Aeacidas*, *Perſeidas*; Romanorum *Brutos*, *Fabios*, *Scipiones*; Germanorum *Saxonas*, *Bavaros*, *Naſſovios*, ex ipſa natos virtutis ſtirpe, excellentem animorum vim avitoſque mores longa ſanguinis propagine ad ſeram Nepotum poſteritatem traduxiſſe. At-

que hoc non in ſingulis tantum familiis; ſed Gentibus etiam univerſis eluxiſſe, in certam morum indolem ab opifice Natura efformatis. Hiſpanos ad induſtriam rebus gerendis dignam; Italos ad ingenium percipiendis doctrinis aptum; Gallos ad alacritatem tranſigendis negotiis verſatilem; Germanos ad audaciam ſubeundis periculis interritam; Boreales ad efferatam inhumanitatem; Auſtrales ad ſolutam mollitiem factos. Sequi quemque naturæ ſuæ ſemina, quæ & imitatione paternorum ſtudiorum, & vitæ familiaris conſuetudine, & diſciplinæ cultu adoleſcant & confirmentur.

Nobilitas virtutis in pretio.

Hîc tum ego: Neque diffitear quidem, magnum eſſe ad felicitatem momentum, bene naſci, honeſto loco oriundum, magnæ virtutis ſtirpe generatũ. Adeoq; cum *Platone* vobis aſſentior, *pretioſum liberorum theſaurũ, in parentum virtute ac gloriâ poſitum eſſe.* Pulchrum eſt nulla pudendæ originis verecundia erubeſcere, nullo paterni dedecoris opprobrio cõfundi. Magnum eſt virtuti à generoſi ſanguinis indole, à domeſtico honeſtatis contubernio, à parentum ſtudiis vitæque æmulatione præſidium. Itaque inclyti generis nobilitas divinæ authoritatis commendatione ornatur, omniũ Gentium ſuffragiis primum honoris locum tenet, rerum geſtarum gloria ſupra humilem plebem

bem

bem effertur. Vnde verò tantum Nobilitati precium accedit? Quid eſt, quod tàm in illuſtri gloria illi clariſſimarum imaginum fœtus verſentur? An ſolis parentum meritis avitæque dignitatis ſplendori tantæ laudis præconium debetur? An vos principatum honoris, commendationem poſteritatis, gloriam veræ nobilitatis ad pauculas urinæ genitalis guttulas confertis? An byſſo & purpuræ, in qua aliquis naſcitur, tantum decus adſcribitis? Virtus vero fuit, quæ cum illuſtri conjuncta genere tantorum nominum memoriam præſtantium facinorum monumentis conſecravit. Virtus fuit, quæ majorum ingreſſos veſtigia ſupra plebeiam ſortem ad illuſtre honoris faſtigium extulit. At vana eſt & futilis Nobilitas, quę majorũ magis ſanguine, quàm virtute nititur ſua. Quę cum à propriâ nihil habet induſtriâ, de alieno ſuperbè gloriatur.

Quid in vobis potius culpem, delira nobilium portentorum capita? An arrogantiam, fœdæ ignaviæ majorum ornamenta prætendentem? An vero turpitudinem veſtram, avitæ Nobilitatis florem iniquiſſime depopulantem? Latere putatis veſtram infamiam ſub glorioſi generis velamine? Eam verò majorum magna nobilitas in omnium ingerit oculos, ne ignoretur: ut in facie deformitas magis eſt dedecori; quàm nævi ſub veſte latentes. *Nudæ Nobilitatis mores.*

Quanto majorum vestrorum vita est præclarior: tanto socordia vestra est flagitiosior. In parentum moribus & splendore familiæ summam laudem ponitis? Nemo facile aliena jactat decora; nisi qui caret suis. Vt obsoniorum fumus non nutricat; tantum nares proritat: Ita Majorum claritas generosis pectoribus stimulos subjicit ad virtutem; non confert veram dignitatem. Parentes vestri egregiis facinoribus structo in cœlum itinere magnam sibi gloriam pararunt. Vos ignaviæ impediti vinculis partum virtute decus dissipatis. Illi præclaris intenti studiis ad illustrem honoris verticem emerserunt. Vos in fœdum prolapsi dedecus, extincto tanti nominis splendore, tenebras vobis posterisque offunditis. Illi viam vobis signarunt, quam ingressi feliciter ad gloriam grassaremini. Vos, deserto virtutis curriculo, in turpissimis voluptatum lustris, acceptam à majoribus gloriæ hæreditatem decoquitis. Quàm enim pudendis estis moribus! quàm flagitiosa vita! quæ non turpitudinis labes nomini vestro inhæret! Quid, præter libatam ex majorum industria laudem, gloriari potestis? Si tamen ex illustri comitatu, ex splendida veste, ex gloriosa fictæ Nobilitatis ostentatione, & verborum gestuumque magnificentia pretium statui homini oportet; næ vos magni merito omnes pendimus.

Videte mihi illam veteris proſapiæ multarum imaginum Sobolem, præter inane Nobilitatis nomen, nulla ingenii laude florentem, nullo virtutis ornamento conſpicuam. Truci ſuperbus majeſtate certis ingreſſu numeris utitur. Iactat pedes, arrigit cervicem, circumfert vagos in omnem partem oculos, ſi quis ſit, qui honorem illi ex merito impertiat. Cupiat in genua omnes decidere, ambulantiſque veſtigia aut vultu, aut pallio verrere. Si pronis in terram vultibus adoretur, ſi forenſi civium conſalutatione honoretur; tum demum ſe felicem, ſupra quàm dici poteſt, arbitratur, lætus gaudenſque de tanta nobilitatis ſuæ exiſtimatione. Sin languidiora videat populi in cultum tantæ dignitatis ſtudia, ruſticos hominum mores, rudem, barbaram, neſciam bonarum artium plebem accuſat. Nullum eſſe eximiæ nobilitatis precium, ſublatam de mundo virtutis exiſtimationem, nullum debiti honoris relictum magnis viris fructum queritur. Plebem nullis illuſtrem imaginibus ad ſtivam, ad remos, ad ſordidi quęſtus tabernas damnat: Sibi Reip. imperium, ſibi ampliſſimorum ordinum dignitates, ſibi, ut prædiorum & villarum, ita omnem gloriæ honoriſque hæreditatem deberi. In hominibus illuſtri natis loco magnas plerumque virtutes eniteſcere, beneficio ſanguinis poſteritati adgeneratas.

Omni-

Omnibus persuasum Gentibus paternæ præstantiæ indolem in liberos infundi, morumque excellentiam clari generis esse indicem. Ita manu promptos, consilio sapientes, pugnis insignibus claros, omnium rerum scientia illustres nasci. Ab his Remp. dubiis fortunæ jactatam casibus conservatam, hostium vires fractas, res sepiterna dignas memoria patratas. Plebem sordidis ortam natalibus suæ originis indolem referre, abjectam, demissam, nulla ad gerendas res animi elatione concitatam. Nullo consilio & ratione; sed impetu & dementissima temeritate duci. Cui imperium dare, nihil pene sit aliud; quam effrænatæ cupiditati ad perniciem civitatis arma largiri. Scilicet *contemptor animus & superbia commune Nobilitatis malũ est*. Itaq; fugit plebeia consortia, suamq; violari dignitatem putat, si aliqua cum illa familiaritate conjungatur. Quæ tantæ dignitatis persuasio ita Patritiæ Romanorum insederat genti, ut pollui religiones crederet, si cum plebeio genere nuptiarum coiret societatem.

Atque ut majore se apud multitudinem in pretio ponat, eximiæ amplitudinis objecta hominibus specie, magno cum servulorum comitatu ingreditur: qui oculis habituque insolenti domini ingenium circumferunt. Illi nati factique ad omnes assentandi palpandi-

que

que artes, nullam in colendo hero devotiſſimę reverentiæ partem prætermittunt, oculos ejus vultumque ſtudioſe obſervant, nutus omnes ſolicitè circumſpiciunt, verba ſuſpenſa aure hauriunt, veſtigia ſupplices adorant, hominem quaſi Deum cœlo miſſum auguſte ſanctèque venerantur. In eo ille ſibi ſupra modum placere, gradum grandius grandire, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus, jactatis inſolenter alis inferre, omnes deſpicere, hominem præ ſe neminem putare, ſe ſolum beatum, ſapientem, divitem arbitrari. Quem ita in oculis hominum triumphantem aliquis intuitus, cum *Ariſtotele* merito compellet: q *Vtinam talis eſſem, qualis ipſe tibi videris: qualis autem revera es, tales fiant hoſtes mei.* q *Anton. Mel. parte 2. ſer. 74.*

Non minorem in Cultu veſtium cum oſtẽtatione ac magnificentia mireris apparatum: ita ornato pexoque corpore, ut mimum perſonatum, aut in purpura ſimiam videre te putes. Neque majus aliud vulgo Nobilitatis videtur argumentum; quàm aut fœmineam in mollitiem, aut monſtrificum Barbarorum habitum, veſtem componere. Laſcivientium ex more puellarum capillus comitur, cincinnorum fimbriis per frontem humeroſque ludentibus. A Scythis, à Croatis & Coſacis immanium cultuum ſumuntur ludibria, moribus in ſimilem barbariem efferatis. Si pendeat phrygio de

gio de baltheo ſica, ſi ocreatis cruribus aurea ad inceſſum tinniant calcaria, ſi ſaturatum cocco ſuperbiat ſericum, omnes impleri nobilitatis numeri putantur. Stulte, neſcis munditiem mulieribus, laborem viris convenire? Non pudet te exterioris cultus, quando quod eo tegis, cogitas: fimum purpurâ, buſtum auro, cadaveroſam ſorditiem ſerico? Quid comis ad fœminei cultus mollitiem capillos; moribus ad aprinam duritiem horridis atque incultis? Quid incedis ſumptuoſo magnificus ornatu, animo à cultu virtutis vaſto? An exquiſiti colores aut odores meretriciam corrigunt fœditatem, eo magis aut conſpectam, aut ſuſpectam? Neque tibi operoſus ille prodiguſque veſtium apparatus ullam confert dignitatem.

Si propius hominem accedas, loquentiſque ſermonem percipias, jactatorem ex fabulis militem, & glorioſum Thraſonem audire te dicas. Effert magnifice genus alto ductum ſanguine. Jactat relictas à parentibus divitias, Attali patrimonio pares. Extollit oratione præſtantia majorum facta: demens, qui neſciat, illorum gloriam ſibi lumen eſſe, quod turpitudinem ſuam eſſe in occulto non patiatur. Tum de ſuis quoque laudibus inſolenter prædicat: directos in hoſtium ora gladios, dejectos ſingulari congreſſu abverſarios, junctas

cum

cum summis viris familiaritates, collectas principum puellarum gratias, extractas in clarum diem potationes, peragratas terras atque maria, superatos magna virtute dubiæ fortunæ casus, omnia præclara & magnifica tumidis buccis commemorat. Si verba ad rem cõferas, cupresso similem dixeris: quæ cum proceritatis sit eximiæ; fructum tamen nullum producit. Si solicitis rebus operam illius Resp. postulet; ut ignarus omnium rerum, ita ignavus ad subeundum laborem nullum sui usum præbet, nullum laboranti patriæ auxilium præstat. Omnis penè in desidia Nobilitas ponitur: quasi ideò quisquam claris oriatur natalibus, ut in turpi otiò corporisque voluptatibus ætatem degeret. Amat, potat: ubi lascivam adolescentiam habuit, ibi senectutem agit. In conviviis & lustris majorem, quàm in virtutis palæstrâ libidinem habet. Et cum aliis sudorem pulveremque relinquit, ipse omnibus infamis flagitiis bonorum præmia it ereptum. Quę cum tenet, omnia sibi licere putat; adversus bonorum criminationes in majorum gloria, in cognatorum & affinium opibus, in multis clientelis paratum habens præsidium. Igitur, ut cum Poëta concludamus,

----[r] *Nobilitas sola est atque unica virtus,* r Juv. Sat. 8.

---- *Quis enim generosum dixerit hunc, qui*

Indi-

Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Insignis?

Capvt XIII.

De Nobilitate Virtutis.

Homines à Natura æque nobiles.

EAdem omnibus eſt naſcendi conditio, eadem vivendi moriendique cuncti tenemur lege. Ex ſatu conceptuque facti parentum in maternæ latebris alvi ad tempeſtivam gignendi maturitatem claudimur. In natalem fuſi lucem ab ejulatu & lacrymis vitam ordimur. Non deliteſcunt maternis in anguſtiis mollius meliuſve Regum magnorum fœtus. Non levant pariendi difficultatem faſciæ auro fimbriatæ. Non excludit vitæ prodeuntis acerbitatem in purpura naſcendi fortuna. Atque ut inchoandæ; ita exigendæ vitæ conditionem æqua omnibus lance Natura parens admetitur. Omnes infinitis miſeriis & anxietatibus implemur. In metu & dolore verſamur. Per multos fortunæ caſus, per varia rerum diſcrimina ad mortem imus. Pariter incerta fragiliſque omnium eſt vita: illis etiam, quibus ea largiſſimè contingit, exigui temporis curriculo definita. Pariter omnes acerbiſſimis in vita curis torquemur, non minus in futurum anxii, quàm ſoliciti in præſens, etiam præteritorum recordatione obſtupefacti. In-

Ex pari vitæ conditione.

greſſum

greſſum primæ lucis infantilis ignorantia, progreſſum labor, egreſſum dolor, curſum omnem error, ſolititudo, anxietas obſidet. Quotuſquiſque mortalium unam diem tranquilli ductu ſpiritus exigit? Quæ tam læta nobis illuceſcit aurora, ut non cum tenebris aliqua facilè ſurrepat moleſtia? Quæ tam jucunda hilariſque cum amicis convivatio, quam nulla turbet doloris incurſio? Quam verò grave, quam internecinum eſt bellum, quod perpetuo cum fortunâ gerimus? Quam iniquo Marte cum immaniſſimo hoſte congredimur, trepidi, imbecilles, exarmati? Vt nos ille pilæ in modum huc illuc jactat; attollit, iterumque dejicit; in gyrum rotat, miris ludibriis exponit: Ita per omnem vitam verſati vexatique ad miſerrimæ ſenectutis anguſtias deducimur. Hebeſcunt ſenſus, torquentur membra, emoritur viſio, elangueſcit auditio, pedes eundi, dentes molendi facultatem amittunt. Extremum denique malorum Mors obluctantem fatis animam hoſpitio ſui corporis avellit. Quis hominum omnium ab his mortalis vitæ peſtibus eſt immunis? Quâ melioris fortunæ conditione Nobilitas vivit, ac aliquis infra omnes infimos homo ſemiſſis? An diuturniore lucis uſurâ fruitur? An curis moleſtiiſque minus urgetur? An felicius aut accipit vitam, aut deponit? Sed neque viribus eſt valentior, neq; pe-

dum celeritate velocior, neque valetudinis firmitate robuſtior, neque ſenſuum facilitate acrior, neque imperii dotibus præſtantior. Imò verò ut in altum ſemper fumus enititur: ita novercantis fortunæ malignitas eos potiſſimum infeſtare ſolet, qui in altiore dignitatis gradu collocantur.

Ex generis primâ origine. Quod ſi nec in corporis ſenſuumque præſtantiâ, nec in meliore mortalis vitæ conditiore ullum eſt hominum inter homines diſcrimen, quid illuſtris à ſtirpe nobilitas jactatur? Quid paterni ſanguinis generiſque prædicatur dignitas: cujus, ſi primordia noſtra ſpectamus, eadem cunctis à primo mortalitatis ſatu eſt origo? Eadem eſt omnibus ut vivendi; ita naſcendi denaſcendique conditio. Eadem quoque ab ortu generis omnium eſt nobilitas. Vnus humanæ gentis author conditorque Deus eſt. Vnus omnium ſator Adamus: ſive per ſplendidos; ſive per ſordidos gradus ad illam metam origo cujuſque revocetur. Si periodos ævi rerumque intueamur, eunt hæc in orbem, ut alternatis vicibus obſcura illuſtriſque naſcendi homines excipiat fortuna. Si obſoleta Majorum circa nos videamus nomina, & parum propitio fato mercenarius in propinquo ſtet pater; tranſiliamus quicquid in medio ſordidi jacet. In ſummo ſplendidam cognoſcemus generis noſtri nobilitatem. Quamcunq; enim

enim revolverimus ſtirpem, alibi illuſtrem claritatem, alibi deſpectam obſcuritatem inveniemus. Nulla eſt tam inveterata multoſq; ducta per gradus nobilitas, cui non vili conditione ſervulus illigetur. Nulla tam plebeia infimi gradus obſcuritas, in quâ non aliquis illuſtri vir dignitate refulgeat. A plebe Reges; à Regum ſanguine plebeii deſcendunt. Quis credat? Inter fulgentes purpuras & ſceptra rutilantia *Davidis* pedum, *Agathoclis* olla, *Abdolomini* ligo, *Diocletiani* ſcriptorius calamus, *Bonoſi* ferula, *Primiſlai* aratrum, *Sforciæ* ſtiva, *Picinii* macellarius culter, *Sixti Pontificis* remi conſpiciuntur. Inter coronatos apices *Iephta* ſpurius, *Viriatus* paſtor, *Tamirlanes* prædo, *Pertinax* libertinus, *Aurelianus* alienigena, *Papienus* faber, *Licinius* agricola, *Mahometes* mango, *Ioannes* II cerdo locum habet. Ita alta ſummi generis nobilitas humili quandoque nata eſt loco. *Obſcuri initii nobiles.*

Et quid referam ſingulos; cum Regna Genteſque poſſem oſtendere, quæ contemptiſſimum ſummæ magnitudinis initium habuerunt. Erat nobile Iſraëlitarum in Palæſtinâ regnum, copiis firmum, opibus locuples, gloriâ geſtarum rerum tantâ, quantam vix capere cœlum poſſet. Si originem Gentis repetas, inopum exilia, ſervulorum ergaſtula, ſpes libertatis & imperii Nili fluctibus credita. Erat longè maxima Perſarum potentia, omnem

penè Aſiam, partemque Europæ atque Africæ magnam armis obſidens. Si principium tantæ dominationis inquiras, ille [a] *tenebroſo prorepens latibulo Vrſus*, Cyrique abjecta cunabula, & agreſte tugurium venient in conſpectum. Erat inclytum Macedonum nomen, opes everſo Perſarum regno ſupra omnium Regum fortunas provectæ, imperium in centum quinquaginta populos prolatum. At illi principio Emathiæ clauſi anguſtiis, deſpecti, ignobiles, ægrè quondam à vicinis libertatem pretio tributiſque redimebant. Roma maximi domicilium imperii ac gloriæ, lux terrarum orbis, arx & curia omnium Gentium, à contemptâ fugitivorum manu & Romuli caſâ initium ſumpſit. Gothi, Vandali, Longobardi, Franci, univerſam armis gloriaq; Europam pervagati ab extremo Barbariæ receſſu in lucem terrarum orbis penetrarunt. Turcæ Caſpiis egreſſi portis à mercenario rudimento militiæ maximam in terris dominationem condiderunt. Ipſe ſub utraque Imperialis Statuæ Tibiâ Antichriſtus, divinæ humanæque poteſtatis ferox amplitudine, ab humili ſacrificulorum ordine ad tantę Majeſtatis faſtigium conſurrexit: ille Orienti; iſte Occidenti manu injectâ. Vt extollat Gallos ſummæ nobilitatis fama; *Pharamundus* tamen patriâ profugus, *Pipinus* Regis fratriſq; ſui ſector & paricida, *Capetus* in

a Dan. 7. 5.

in macellariâ natus tabernâ conditores tanti imperii fuerunt. Vt jactent ſuam nobilitatem Hiſpani & Britanni; illi tamen *Ramirum* & *Alphonſum* nothos; iſti Saxonas & Pictos advenas Regum ſuorum ſtemmati innectunt. Belgas in hac geſtarum rerum gloriâ, & utriuſque ſolis divitiis, non pudet *Geuſiarum Ampullarum*, & nauticæ deſpectiſſimorum hominum turbæ: quæ terræ mariſque ſuperbum imperio Regem, & *ſperare* docuit aliquid, & *timere*. Hominem videmus, ut conceptus in utero quotidiano auctu ſenſim grandeſcat, egreſſuſque in lucem inops, tener, exilis, ſumpto feliciter incremento, in juſtam exurgat ſtaturam: donec, vergentibus in ſenium annis, decreſcat, exhauſtiſque corporis atque animi viribus deficiat atq; emoriatur. Ea prorſus humanæ Nobilitatis Regnorumque illuſtrium eſt conditio. A tenui obſcuroque initio, quaſi per gradus, ad ſummum dignitatis faſtigium enituntur: quò cum pervenere, eodem calle, quo ad magnitudinem conſcenderant, ad ruinam digrediuntur. Editæ altitudinis arbores à parvo ſtipite ſuccreſcunt. Vaſtæ magnitudinis flumina ab exili fonte promanant. Magnæ nobilitatis deſpecta plerumq; ſunt initia, ad temporum rerumque vices mortalium fortunâ commutatâ.

Ita fatalis rerum in ſe remeantium orbis vol-

volvitur, ut ſurgat hominum regnorumque nobilitas, cadat; occultetur, emergat; alternatis vicibus in imperium & ſervitutem homines naſcantur.

b Hor. od. 34. l. 1.

[b] ---- ſolet ima ſummis
Mutare, & inſignem attenuat Deus,
Obſcura promens: hinc apicem rapax
Fortuna, cum ſtridore acuto,
Suſtulit: hinc poſuiſſe gaudet.

Qui nunc præcipuâ illuſtres nobilitate, altoque poſiti loco rerum potiuntur, veniet ſua illis dies, & ſeneſcente gloriâ tracti in labem, ad infima, unde pedem primò promoverunt, ſubſellia prolabentur. Et jam, niſi me fallit injecta jam pridem animo præſagitio, Auſtriacus ille Bavaricuſque fulgentiſſimæ in Germaniâ nobilitatis ſol interceptâ luce paulatim emoritur: novumque clariſſimi imperii ſidus inde uſque à deſpectâ Gothiâ illuceſcit. Perge, Maxime Regum, GVSTAVE, eo, quo cœpiſti, gradu, ad victoriam & gloriam graſſari. Perge, macte armis animiſque princeps, & disjectis vulturiorum Ducum copiis, ſæculo pacem tuo, Eccleſiæ quietem, Antichriſto exitium, Tibi opes, imperia, triumphos para. Conſurge tandem ad coercendam Giganteæ Nobilitatis ferociam, ter maxime Ieſu; protritoque Babyloniorum Equitum faſtu atque inſolentia,

tia, miſerrimis vexatam modis Eccleſiam à terrore mortis, & dominatu Reginæ Meretricis in libertatem vindica.

Magne Deus, triſti mœrens Eccleſia vultu
Attollat rutilum celſa ſub aſtra caput.
Diruta convulſæ reparentur tecta Sionis:
Relligio patrios tuta reviſat agros.
Corruat infami Meretrix Babylonia caſu,
Et ſubeat propero Tartara nigra gradu.
Et Scorto devota manus, Gens fœda Procorum
Romulidum, dignâ peſte citâque ruat.
Sive illi calamo ſpargunt & voce venenum;
Seu Chriſti vexant enſe rogoque gregem:
Exul, inops, regnis DAVID dejectus avitis
Victrici repetat Regia ſceptra manu.
Et qui nunc volucri tenet & ferit aëra pennâ,
Raptor in exitium flebile MILVVS eat.

Nulla igitur meritò ſplendidi generis eſt gloriatio, nulla ſanguinis Nobilitas; niſi quæ ſtulta multitudinis opinione ficta poſterorum ſuperbiæ atque ignaviæ prætenditur. Si primum vitæ aditum, ſi abitum curſumque expendamus, nullum eſt humanæ conditionis diſcrimen. Si primordia noſtra ad priſcos humani generis parentes, ad ævi fortunæque periodos revocemus, non quiſque altero eſt nobilior. Nemo reſpectu generis ſanguiniſque paterni jactare poteſt *Ex Virtute Nobilitas.*

Naturæ indulgentiam; aut conqueri injuriam. a *Dion. Halic. l. 3.* Itaque, a *Civilem Nobilitatem nullâ aliâ in re; quam in ipsâ virtute positam censemus.* b *Vell. pater. l. 2.* b Optimus quisque est nobilissimus. c *Ibid.* c In cujuscunque animo virtus inest, illi plurimum tribuendum. Si quis divinâ mentis acie sit instructus, si consilio industriaque cæteris præcellat, si omni genere virtutis floreat, ille amplissimum dignitatis ordinem est consequutus. Militem scripturus fidem æstimamus & manum; non generis stirpem. Frumentum empturi nutriendi probamus aptitudinem; non agrum natalem. Cur in hominum æstimandâ nobilitate non morum magis probitas quam majorum claritas pretium haberet? Vidit hoc Democritus: qui rogatus, in quibus consisteret vera nobilitas, d *Stob. ser. 84.* d *Pecudũ,* inquit, *in bono validoque corporis habitu, hominum autem in morum rectitudine.* Quæ e *Ibid.* *Diogeni* quoque mens fuit, quando e *voluptatum, honorum, opum, vitæ ipsius contemptores verè nobiles esse diceret.* Quem sequutus *Antisthenes, eosdem sibi videri nobiles, & virtutis studiosos,* scripsit. Neque sensit aliter Euripides:

Eurip. Dyct.

Ο μὲν γὰρ ἐσθλὸς εὐγενὴς ἐμοίγ' ἀνήρ.

Injustus, Iovem si patrem habeat, ignobilis censetur.

Virtus caducæ sortis, & invidi
Expers sepulchri, nominis inclyti
Famam perennem, gloriæque
Perpetuum decus una donat.

Regum

Regum vetustas alta palatia,
Formamque seri depopulant dies.
Deflagrat auri lux, & auræ.
Incolumi stat honore virtus.
Virtus potenti sceptra tenet manu,
Rerumque casus temperat arbitra.
Illam patentis orbis omnes
Indigenæ dominam verentur.
Virtus amico fœdere cœlico
Humana jungit pectora Numini,
Monstratque callem, ter beatas
Quo super ætheris itur arces.
Non stemma multis nobile flexibus,
Et picta signis atria; non domi
Res ampla; non fasces superbi,
Nobilitat generosa virtus.

Non curat illa generis splendorem, non spectat dignitatis amplitudinem. Nudo contenta homine suique dives precio nullis eget fortunæ ornamentis. Neque minuitur, si ex altiore fastigio in humilem casam, à regio sceptro ad rusticum ligonem descendat. Omnes sine delectu recipit, omnes in complexum admittit, nulli aditum præcludit. Non stirpem generis, non formę decentiam, non equestrem censum respicit. Hanc sufficere sibi ad felicitatem [g] *Antisthenes* prædicavit. Hac destitutum Persarum Regem; etsi magnitudinis superbiat titulo; nihilo se majorem [h] *Agesilaus* putavit.

g *Laert. l. 6.*
h *Plut. Lac.*

i Laërt. l. 5. Hac contentus i *Demetrius Phaleræus*; cum ſuas Athenis dejectas ſtatuas cognoviſſet, optimum ſibi ſupereſſe theſaurum dixit: in quem nulla hominum fortunæque injuria poteſtatem habeat. Tua, ô Diva virtus, plurima & maxima ſunt ornamenta, non furunculorum inſidiis, non tyrannorum minis, non fatorum arbitriis ſubjecta! Tu probas hominum mores atque ingenia immortali gloriæ commendas. Tu viros ſummâ ſapientiâ doctrinâque illuſtres propinquâ cum Deo cognatione conjungis. Tibi beatitatis, tibi nobilitatis meritò palmam boni omnes tribuimus.

Exempla nobilitata virtutis. An verò præter Virtutem alia honoratæ Nobilitatis eſſe putatis incunabula & rudimenta? An præſtantes viros diverſa ad tantæ dignitatis faſtigium graſſatos eſſe viâ creditis? Quid itaque k *Ioſephum* à carcere & ergaſtulo ad Ægypti principatum ſuſtulit? Quid l *Ioſuam*, præterito herili filio, ab humili famulatu ad ſuæ Gentis imperium provexit? Quid ab eodem gradu m *Calebum* ad principem inter populares dignitatem promovit? Quid n *Iephtam* natalibus infamem; o *Saulem* patris aſinas quærentem; p *Davidem* ad cuſtodiam gregis rus relegatum; q *Eſtheram* exilio, orbitate, ſecta deſpectam, ad coronam & ſceptrum vocavit? Divina erat virtus, animiq; altitu-

k Gen. 41. 41.
l Num. 27. 18.
m Deut. 1. 35.
n Iud. 11. 5.
o 1. Sam. 10.
p 1 Sam. 10.
q Eſth. 2.

altitudo, quæ amplissimos merita honores clarissimum gloriæ lumen & honestamentum posteris reliquit. Vnde est, quod Regiæ nobilitatis inclaruit splendore *Amasis*, Ægypti Rex, plebeio natus loco? Vnde *Darius Histaspis*, Cyri satelles; *Amyntas Philippi*, servus; *Perses* Macedonum, nothus; *Perdiccas*, mercenarius; *Arsaces* Parthorum, paupertinæ fortunæ miles; *Agathocles* Siculorum Rex, figulus? Quibus ingressi vestigiis *Gelon* Hippocratis satelles, Syracusanorum; *Seleucus*, *Ptolemæus*, *Eumenes*, Alexandri milites, Asiæ; *Tullus Hostilius*, pastor; *Servus Tullius*, servus serva natus; *Tarquinius Priscus*, exul, Romanorum principatum sunt adepti? Virtus illos produxit, virtus extulit, virtus ad summi honoris evectos apicem immortalitati consecravit. Quam fuêre plebeii generis obscuri natales *Deciorum*: qui se pro patriæ salute Victoriæ devoverunt! Quam inglorio parentum fuit de sanguine *L. Martius*: qui Remp. cæsis Scipionibus collapsam sustinuit! Quam humili conditione *M. Cato*, *Marcellus*, *Ter. Varro*, *Cn. Marius*, *P. Rutilius*! At quam illustrem illi homines, detersis natalium sordibus, splendorem sunt consequuti? Vt diffudit sese eximiæ nobilitatis gloria, illius domicilio communibus imperii finibus terminato! Quam despecto

natus

natus fuit loco *Augustus*, generis argentarii; *Vespasianus*, Reatini; *Ælius Pertinax*, Libertini; *Severus*, Equestris; *Macrinus* Servilis; *Probus*, *Aurelianus*, *Valentinianus*, Pannonii; *Galerius Maximianus*, Agrarii; *Constantinus* M. Cauponarii; *Theodosius*, publicani; *Mauritius* Cappadox, Notarii; *Iustinus* Thrax, Suillii! At non obstitit illis contempta majorum humilitas; quo minus contento studio cursuque ad summi Imperii gubernacula, ductu auspicioq; Virtutis, pervenirent. Virtus *Iphicratem* à sutrinâ ad patriæ principatum; *Abdolominum* ab hortorum pulvere ad Tyri & Sidonis regnum; *Attiliū* Romanum, *Primislaum* Bohemum, *Pyæsdum* Polonum, *Othomannum* Turcam, *Sforciam* Italum, à stiva & vomere ad sceptrum & diadema; *Maximum Pupienum* à ferrariâ incude ad Romuli fasces; *Abdelminum* à figulinâ ad Africę regnum; *Tamirlanem* à pedo & caula ad Asiæ imperium vocavit.

Nobilitas ab Eruditione. Atque ut illos Armorum; ita Literatæ sapientiæ disciplina viros ingenio sapientiaque præstantes, ab infimo plebeię conditionis subsellio, in amplissimum Nobilitatis ordinem cooptavit. Pater marmorarius, & mater obstetrix, specimen illud virtutis, lumen Græcię, principem eruditionis *Socratem* genuerunt. Inopes à cultellariâ fabricâ parentes illud Grǣcæ Eloquentiæ fulmen protulerunt. Pauper ab

ab annulorum ſculpturâ pater illum divinâ ingenii magnitudine doctrinâque admirabili *Pythagoram* edidit. *Anacharſin* Scythica vaſtitas procreavit. *Æſchinem* Oratorem pater inſtitor, *Bionem* circitor, *Theophraſtum* fullo, *Alphenum Varum* ſutor, *Ciceronem* plebeius, *Maronem* figulus, *Horatium* & *Statium* libertinus, *Euripidem* mater hortulana in lucem dedit. Quos cum natalium fortuna fœdâ generis caligine obſcuraſſet; ſapientia atque eruditio ſummæ Nobilitatis ſplendore illuſtravit. Quis enim viris excellenti ingenio, cumulataque multarum rerum atque ingenuarum artium cognitione adimat glorioſæ Nobilitatis ornamentum? quos egregię animi dotes cum immortalis Dei laude conjungunt, viva divinæ bonitatis & ſapientiæ ſimulacra. Quis Eruditioni aditum ad ampliſſimæ dignitatis ordinem occludat? quæ magiſtra virtutis, obſtetrix humanitatis, præſidium vitæ, cuſtos legum & diſciplinæ, perfugium adverſitatis, ornamentum proſperitatis, domina omnium rerum, homini cumulatam bonorum complexionem largitur. Neque enim eſt pulchrius,[r] *Socratis* judicio, animal; *quã homo doctrinis ornatus.* Neque quiſquã,[ſ] ex *Thaletis* ſententiâ, dici beatus debet; *niſi qui corpore eſt ſanus; animo eruditus.* Itaque [t] *Caſsiodorus Doctrinam ex obſcuro hominem facere nobilem* affirmat. Quod ipſarum quoque [u] Legum eſt oraculum:

r *Ant. Meliſs. par. 1. ſer. 50.*
ſ *Laërt. l. 1. c. 1.*
t *L. 9. ep. 7*
u *Leg. providendum de poſtulatis.*

raculum: quę viros præstantium rerum ſcientiâ excellentes *Nobiliſsimos* nominant. Martia militum Nobilitas Aquilarum Leonumque inſignibus ſcuta diſtinguat: Nos pegaſos pennatos, & perpetuæ honore frondis Lauros atque Hederas, & ſcaturientis venæ limpidos Fontes, & illibati candoris Cygnos, & Phœbeam Lyram, in dignitatis virtutiſque indicium, oſtentamus.

Ille igitur verè Nobilis eſt, qui egregiis virtutum ornamentis Ingeniique divinis inclytus dotibus præ aliis effulget, & venerationem meretur. Ad quæ ſi claritas Majorum, & Generis accedat ſplendor, cum opum honeſtarum copiis, tum demum perfectæ cumulatæque dignitatis erit Nobilitas. Cum enim in aliquâ familiâ plures incitati Majorum exemplo in cupiditatem glorię incubuerunt, tum illa maximè lumine generoſæ nobilitatis eluceſcit. Age verò, nunc *peculiares Nobilitatis hujus mores*, ex ſecretiore Virtutum maximarum indole eruamus.

Mores peculiares Nobilitatis Civilis.

Iuſtitia.

Principatum tantarum in Nobili pectore dotium *Iuſtitia* tenet, debitâ in Deum pietate, in commerciis fide, in omni vitæ uſu æquitate inſignis. Nihil illi prius eſt aut antiquius, quam ad legum præſcripta vitam conformare, ſuum cuique tribuere, omnem injuriæ, perfidiæ, proditionis infamiam declinare. Itaque

que odio ſunt turpes nocendi per vim fraudemve artes. Religio eſt, verbis incautam ſimplicitatem circumvenire, vultu benevolentiam fingere, amicitias ex uſu magis quam ex æquo ęſtimare, linguam, manum, fidē quæſtui habere, nequitiam ſupercilio, ſcelera parietibus tegere. Non tàm profeſſione virtutis; quam illius ſtudio & cultu gloriam affectat. Laborantium amicorum cauſam adverſus inimicorum injurias propulſat. Implicatam inſidiis innocentiam omnibus opibus tuetur. Extinguit latrocinia, reprimit cædes, vindicat illātam ſupplicibus injuriam, potentes cum tenuioribus pari jure retinet. Pro patriæ ſalute, pro legum incolumitate, pro diſciplinę ſtabilimento, perpetuā adverſus improbos cives dimicationem ſuſtinet.

Illâ nobilis Iuſtitię indole fuêre primi Humanitatis noſtrę cultores, viri ſumma ęquitate ſapientiaq; excellentes: qui mortales à ſylvis & ferarū paſtu ad Civitatis officia, & cultum virtutis traduxerunt. Illâ priſci Reges & Principes: qui conſtitutis imperiis furenti in publicā perniciē audaciæ frœnū diſciplinę injecerunt, repreſſiſq; cędibus & latrociniis otio & ſecuritati pręſidium poſuerunt. Illâ veteris memorię ſapientiſſimi legumlatores, *Pittacus Mytilinæus, Lycurgus Lacon, Chiron Centaurus, Draco & Solon Athenienſes, Minos & Rhadamantus Cretenſes,*

Aeacus

Aeacus Aeginensis: qui, descripto civibus jure, amplissimos sibi Iustitiæ artibus honores acquisiverunt, & nobilem in multos annos stirpem propagarunt. Quantam summæ Nobilitatis laudem consequutus est [x] *Samuel* Israëlitarum Iudex, de justitię suæ integritate ad Dei hominumque judicia & conscientiam provocans! Quantam *David* & *Salomon*! qui daturi in reos judicium, submotâ libidine metuque, legem, fidem, religionem semper in consilio habuerunt. Quantam [y] *Iosaphatus*! cum disceptandis populi causis Iudices constitueret: & constitutis, *ut juste pieque facerent judicia*, inculcaret: quæ *non esse hominis crederent; sed Dei*. Quis ex Nobilitatis excludet ordine [z] *Zaleucum* illum Locrensem, sibi unum, & unum filio adultero oculum eruentem? ut legi in adulteros à se latę satisfaceret: admirabili æquitatis temperamento, inter benignum patrem, & justum legislatorem se partitus. Quis [a] *Aristidem*, Themistoclis consilium, de incendendâ Laconum, ad Cithieum, classe; quod iniquum esset, quanquam utile; repudiantem? Quis [b] *Camillum*, transfugam cum proditis Phaliscorum liberis Pædagogum, hosti remittentem? [c] *Fabricium*, de cavendis Medici insidiis, Pyrrhum monentem? [d] *Abratatum* Laconem parentum; [e] *Rutilium* Romanum iniquas amici petitiones rejicientem? O sancta pectora! quibus tanta ju-

x 1.Sam. 12.3.
y 2.Par. 19.6.
z Val.l.6. c.6.
a Val.l.6. c.5.
b Val.l.6. c.5.
c Val.l.6. c.5.
d Plut.in Lac.
e Eras.l. 8, Apoph.

ris legumque fuit reverentia, ut nullam, niſi ex
æquo & publico bono conjunctam ſibi cum
propinquis amicitię neceſſitudinem putarent.
Videte [f] *Alexandrum*, ad dicenda ſedentem ju- f *Plut. Alex.*
dicia, in criminationem actoris aurem alteram
obturantẽ; ut alterã reo integrã atq; illibatam
prę̈ſtaret. Legite ſcriptas Macedonibus ab [g] *An-* g *Fulg. l. 6. c. 5.*
tigono Rege literas: quibus regia edicta, ſi legi-
bus repugnarent, improbare mandabat. Audi-
te eundẽ, gratiæ in extollenda Regũ poteſtate
aucupem perſtringentem. [h] *Per Iovem*, inquit, h *Cœl. l. 23. c. 14.*
barbaris Regibus honeſta ſunt omnia & juſta. Mihi ea
modo honeſta ſunt, quæ honeſta; & juſta, quæ juſta.
Proſequamini triſtibus oculis [i] *Regulum*, ut da- i *Polyb. l. 1.*
tam hoſti fidem ſolveret, Carthaginem profi-
ciſcentem. Suſpicite [k] *Numam Pompilium*, in k *Plut. in Quæſt. Rom.*
fidæ ſocietatis & pacis cuſtodem, Terminum
finibus conſecrantem. Laudate [l] *Marium*, ma- l *Plut. in Apoph. Rom.*
nipularem tironem, quod impotentem libi-
dinis Nepotem ſuum Tribunum, gladio trans-
egiſſet, corona publicè donantem, cum hoc e-
logio: *quod pulcherrimum facinus edidiſſet hoc tem-*
pore, quo fortibus exemplis opus eſſet. Applaudite
[n] *Andronico Comneno*, ad præſides & Magiſtratus n *Lipſ. in Ex. polit.*
ſcribenti: *Aut injurias, aut vitam relinquite.* Tu
[o] *Trajane*, da enſem præfecto tuo, ut te illo, ſi o *Suidas.*
rectè ageres, defendat; ſin malè, oppugnet. Tu
[p] *Theodahade*, dic regiam de te Rege ſenten- p *Caſſiod. Vat. l. 1.*
tiam: *Cum omnia poſſimus, ſola credimus licere no-*

 bis

bis laudanda. Tu q *Magne Pompei,* mone *Phraatem* Parthorum Regem, ut non Euphratis fluento, ſed juſtitiæ menſurâ regni ſui fines ab imperio Romano dirimat. Tu r *Friderice* Imp. inculca tuis aulicis, quod æquitatem opibus potiorem haberes: cum te illi in cædem *Ladiſlai*, Hungariæ & Bohemiæ Regis pueri, ampliſſimorum regnorum præmio irritarent. Quis non dicat lapſam de cœlo Iuſtitiam in iſtorum principum animis templum atque domicilium fixiſſe, ut ſempiternam tantis viris ſummæ nobilitatis gloriam impertiret?

q *Plut. in Ap. Rom.*

r *Aen. Syl. l. 3. Alph.*

Magnanimitas.

Iuſtitiam comitatur animi Magnitudo atque excelſitas, non ſuffecturam fortè nocentium injuriis; niſi iſtoc robore ſuſtentaretur. Sublimis erectuſque indolis generoſæ ſpiritus nihil abjectum, nihil unquam humile cogitat. Non demittit ſe ad ſerviles aſſentationes; non inflectitur turpi blandientium obſequio. Vt non affectat indebitos honores; ita veræ gloriæ ſtudio impensè ducitur: ad quam ſummâ ſemper ope induſtriaque incumbit. Nihil verò niſi magnum ſuaque dignum virtute appetit, popularis auræ vanique ex vulgo rumuſculi contemptor. Eadem ſe firmitate adverſus ſuperba malevolentium faſtidia, & invidorum malignos ſuſurros intendit; in virtutis precio, & rectitudinis conſcientiâ ſibi ſufficiens.

ciens. Neque repetit quidem vindictam ab obnoxio adversario ; neque ulciscitur injuriam, quam potuit contemnere. Ipse incorruptus, liber, invictus agit atque habet omnia; non habetur. Atque ut lucidus ille in cœlo Sol, etsi insinuet terræ radios, à suo tamen domicilio non excedit: ita ille curis negotiisque insertus humanis, in suâ perpetuo statione sibi semper similis conformisque persistit : sic omni tempore affectus, ut ratio atque æquitas postulat. Non vincit eum impotens sui libido. Non infringit iræ sævientis impetus. Non dejicit blandi amoris illecebra.

[f] *Non civium ardor prava jubentium,* [f] *Horat.*
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ.

Ipsa rerum Domina Fortuna nullam in ipsum potestatem habet, neque efferentem se prosperis, neque dejicientem adversis. Si incumbit negotii magnitudo, contrà erigit se, atque resistit: etiam ultrò sæpè accurrit. Si subeunda pro patriâ dimicatio, omne intrepidè periculum obit, mortem contemnit, animam profundit. Vt nihil omnium rerum præter virtutem magni facit; ita illam parcè in aliis laudat & miratur, suæ sibi ipse conscius præstantiæ. Amicorum tamen merita non mutuis tantum officiis amplectitur ; sed ad ea remuneranda curam omnem & cogitationem

confert, non facilè passus ab alio se beneficiis vinci.

Magnanimæ Nobilitatis palmam omnibus præripit nationibus populus Romanus: de quo verum olim [t] *Mutius* ille oraculum protulit: *Et facere, & pati fortia, Romanum est.* Quem in omnem fortunam obnixi & invicti roboris animum *Pyrrhus* est expertus: cum grandibus victor præliis, & peragrata victoriis Italia, à trigesimo penè lapide Romam prospiciens, hoc plenum animi responsum acciperet: [u] *Pyrrhus Italia cum copiis excedito. Vbi excesserit, de pace, si volet, agito. Ni excesserit, arma, & viros, & aciem exspectato. Neque destituros ab incepto se; etiamsi sexcentos Lævinos prælio vicisset.* O nobilem indolis Romanæ spiritum, nulla civium suorum clade, nullius malignæ fortunæ conatibus infractum! At in quantam se ille firmitatem bellis Punicis extendit! Vt exeruere se illi fortium animorum nervi, cum, hausto virili civitatis sanguine, ipsis penè portis Africana signa inferrentur! Audiebat *Regulum* cum toto exercitu in solo hostili oppressum. Non terrebatur. Sciebat vel pugnis adversis, vel naufragiis septingentas quinqueremes, & in illis trecenta fermè hominum millia sublata. Non percellebatur. Noverat Hannibalem ter acie conserta victorem, in Cannensi pugna extincto juventutis flore, jugulum civitatis ipsum impetere,

t *Liv. Dec. 1. l. 2.*

u *Liv. & Plut. Pyrrh.*

impetere, & præcordiis hostile ferrum admovere. Non dejiciebat animos. A gravissimo casu majores fortioresque consurrexerunt, & contusi Punicis armis, imbecillo senũ & puerorum exercitu, tot insolentem victoriis hostem profligarunt. Quam erat alti spiritus, cum, oppugnatâ ab Hannibale Româ, agrum castris Punicis insessum sub hastâ venderet! neque minoris quidem, quam si pax Italiæ ab hostibus esset. Quam virilis animi, cum eodem tempore ad unam portam Pœnus pugnaret; alterâ militem & auxilia in Hispaniam emitteret! Hoc Martia illa Luporum natio per *Scipionem* suum ad *Antiochum* Regem gloriatur: [x] *Animos eosdem in omni fortuna gessimus gerimusque: neque eos secundæ res extulerunt; neque adversæ minuerunt.*

x *Liv. Dec*, 4. *l.* 7.

Quæ Civitatis universæ, illa etiam indoles fuit singulorum: quorum multi, maximè primis Reip. temporibus, adversus divitias, voluptates, honores, fortunam ipsam animos invictos gesserunt. Ex illâ fuit Gente [y] *Scævola*, non ad mortem minus animi quàm ad Porsenæ R. cædem habens: etiam admotâ igni manu testatus, quanto animo magnam gloriam peteret. Ex illâ [z] *Curius* & [a] *Fabricius*, repudiato hostium auro, in tenui fortunæ cultu Regiam opulentiam despicientes. Ex illâ C.[b] *Atilius*, & P.[c] *Crassus*: ille Gallo victori inflicto

y *Liv. D.* 1. *l.* 2.

z *Cic. in cat.*

a *Gell. l.* 4. *c.* 8.

b *Val. l.* 3. *c.* 8.

c *Ibid.*

 atroci-

atrociter baculo, quod barbam ſuam eſſet auſus promulcere; iſte, cum in Parthorum eſſet poteſtate, directâ in barbari oculum virgâ, ad ſui cædem iram hoſtilem provocans. Ex illâ prior [d] *Africanus*, poſt Cannenſe Reip. vulnus, nobiles Romanos fugam parantes ſtricto in capita conjuratorum gladio, à propoſito deterrens. Ex illa [e] *Cato*, victus ſupra victorem Cæſarem animum attollens: non ſe, ſed hoſtem, oppugnatæ Reip. ſcelere convictum & victum profeſſus. Suſtinuiſti contento animi robore Remp. [f] *Cunctator Fabi*; cum, obſtructis ad obtrectantem famam auribus, eam, *non pugnando*, ab exitio revocares, tuo honori publicam omnium ſalutem anteponens. Meruiſti Magni nomẽ [g] *Pompei*; quod te nemo alia omnia minus, aut gloriam magis concupivit. Et tum quidem bono civium maximo; cum laboranti patrię adferens ex Sicilia commeatũ, cunctantibus in magna tempeſtate nautis maturare profectionem juberes: [h] *quod neceſſe eſſet navigare; non ipſos vivere*. Prodidiſti magnitudinẽ animi tui [i] *Iuli*; cum Gadibus Alexandri intuitus imaginem, in hanc vocem & gemitum erumperes: *Heu! nihil etiam memorabile à me geſtum eâ ætate, qua iſte orbem terræ vicit*. Quo ſpiritu inter piratas captus imperia & minas ſpiraſti. Et in ignobili Alpium caſtello primus, quam Romę ſecundus eſſe maluiſti.

[d] Plut. Scip.
[e] Plut. Cat.
[f] Liv. D. 3. l. 2.
[g] Vell. pat.
[h] Plut. Apoph. Rom.
[i] Plut. Cæſ.

Sed

Sed istâ magnitudine vapulavit Romana libertas. In [k] *Cyro* verò prodidit se ille animi generosi affectus multò honestius, pro verâ gloriâ nullos labores detrectante, nullum periculum declinante. Et in [l] *Agide* Laconum Rege: qui in carcere rogatus ab Ephoris, An eorum, quæ fecisset, pœniteret? magno elatoque animo respondit: *Se nulla benè gestarum rerum conatuumque fortium pœnitentia duci: si moriendum sit, satis sibi magnam in virtutis conscientia positam mercedem.* Quâ animi constantiâ [m] *Socrates* cum judicibus amicisque benignè hilariterque loquutus, nullo timoris edito signo, cicutam & mortem hausit. De quo ipsa dedit [n] *Xanthippe* testimonium, quod exeuntis & redeuntis eundem semper in omni fortunâ vultum vidisset. Sed quam stupenda fuit animi in *Anaxarcho* firmitas; cum à Nicocreonte in mortarium conjectus, [o] *Tunde, tunde Anaxarchi vasculum*, diceret; *Anaxarchi constantiam non contundes.* Quæ [p] *Theodorum* quoque in extremo vitæ periculo non deseruit; qui Lysimacho Macedoni mortem infamem minanti, *Minitare*, inquit, *illam purpuratis tuis. Theodori quidem nihil interest, humine an sublimi putrescat.* Quam illi in vitâ deponendâ; eam [q] *Themistocles* in gloriâ apppetendâ magnitudinem animi ostentavit, *Miltiadæ trophæis excitari se à somno professus.*

k Xen. l. 1. Cyrop.
l Plut. ag.
m Plato in Apol.
n Stob.
o Bruson. l. 2. c. 2.
p Cic. Tusc. l. 1.
q Plut. Them.

r Plut. in Alex. Illa in r *Magno Macedone* nimia forte fuit, & debito major: quem non orbis terrarum vastitas explebat, suspirantẽ in *Anaxarchi* de mundorum pluralitate verba: *Me miserum! qui nec unum mihi subjeci!* Patrem crescere ac inclarescere audiens, *Heu!* inquit, *quam tandem pater nobis gloriæ segetem relinquet?* Quanti erat animi! cũ roganti patri, *placereturne in Olympico pulvere Martis aleam subire? Sanè,* diceret, *si Reges habeam adversarios.* Quanti! cum *Parmenioni*, de invadendis per noctem hostium castris, consulenti, *Victoriam non furabor.* Cum duobus victus prœliis *Darius* filiam cum magnâ Asiæ parte in dotem offerret, diceretque *Parmenio*: *Acciperem illam conditionem, si ego Alexander essem*: *Et ego*, inquit, *illam acciperem, si essem Parmenio.* O magni Regis longè maximum spiritum! Qui tamen in *Diogene* dolium versante non fuit minor; cum illum Regem suam ipsi offerentem gratiam opemque à se removeret, ne publicæ luci obstrueret; de cæteris regii se auxilii & benignitatis non indigere. Et Germani quoque magni Regis magnitudinem sprevere: non magis eam veriti, *quam ne cœlum soluta compage in ipsos rueret.* Quam Teutonicæ granditatis indolem miratus est in s *Maroboduo* Tiberius, cum ille, pulsus ab Harminio regno scriberet ad Cæsarem, *non ut supplex, & profugus; sed ex memoria præteritæ fortunæ.* Dignum Germanico

s Tacit. l. 2.

manico principe spiritum, ex Tiberii testimonio magis metuendum Romanis, quam *Pyrrhum* olim & *Antiochum*, aut Atheniensibus *Philippum*. Exeruit se ille postea excellentius in [t] *Io. Frederico* Sax. Duce: cum captus adductusque ad victorem *Carolum*, *tractari se postularet, ut Imperii Principem*. Non generosius aliquando ab Alexandro petiit [u] *Porus*, ut traditus in ipsius potestatem *regiè haberetur*. Quid verò cogitabas, *Cæsar*, cum minatus fortissimo viro mortem, audires, *Frustra esse, timorem sibi mortis incutere, animo adversus omnem casum obfirmato*? Quid tum? cum denunciatâ ipsi per fecialem morte, nihil vultu turbatus, Ernestum Brunsvicensem, *ut pergeret scacchis ludere*, infractæ virtutis spiritu hortaretur. O virum verè virilem! quem Hispanica etiam stupuit eo tempore immanitas, fassa victorem exercitum ab unâ victi Ducis vinci virtute. Ab istâ est indole, quod [x] *Mithradates* Bosphori R. ad *Eunonem* Adorsorum R. profugus diceret: *Mithradates, terrâ marisque Romanis per tot annos quæsitus, adsum sponte. Vtere, ut voles, prole Magni Achæmenis: quod mihi solum hostes non abstulerunt.* Ab istâ, quod [y] *Caractacus* Britannorum R. ad *Claudium* tractus Cæsarem, in metu & trepidatione suorum, ipse neque vultum demitteret, neque verbis veniam precaretur. Quæ virilis animi firmitas gloriosior tibi fuisset, [z] *Per-*

[t] *Avila de bel. Germ.*

[u] *Plut. Alex.*

[x] *Tacit. l. 12.*

[y] *Tacit. l. 12.*

[z] *Plut. in Pers.*

ſa Rex, quam degeneres illi quiritatus, & turpis Regii corporis ad *Æmilii* victoris genua dejectio. *Quid miſer?* Pauli te ore objurgo; *maximo crimine liberas fortunam? Quid minuis victoris labores, & victoriam commaculas?* Pudeat verò te vilitatis tuæ plusquam ſervilis, [a] *Pruſia* Bithyniæ Rex; quod pileatus capite raſo, cum libertorum inſignibus, obviam *R. P. Legatis* ires! Quod in Curiâ humi demiſſus oſculo limen contingeres, & Deos ſervatores tuos Senatum appellares! Regum ſacroſancta Majeſtas ingemere ad hoc ſpectaculum & queri videbatur, quod à Pruſia indigniſſime proculcaretur.

[a] *Liv. D. 4. l. 5.*

Liberalitas.

Iſta magnæ virtutis granditas in prolixâ & beneficâ Nobilium naturâ inprimis conſpicua eſt. Suarum rerum munifici, libentes volenteſque ſuam amicis operam præſtant: læti ſi aliquam adjungere ſuis beneficiis gratiam ſibi poſſint. Pecunias ex largiendi tantum uſu æſtimant: tum valde pretioſas, cum erogatæ in benemeritos deſinunt poſſideri. Vt animo gaudenti; ita manu facili beneficia conferunt, ipſam quoque largiendi moram averſati: ne pendens diu inter manus gratia viteſcat. Neque ita dant quidem, ut ſuperbè dent, ut ambitioni largiantur, ut lato beneficio ejus ſtatim fructum velint metere. Nihil æque ſpectant, quam ut honeſtas ſibi benevolentias ad-

jungant,

jungant, ut amicorum beneficia remunerent, ut ſe benignitatis cognatione ad divinam accedere præſtantiam ſignificent. Accepta ab aliis beneficia prolixè cumulateque rependunt: ut non magis manum ad promerenda officia paratam; quam ad referendam gratiam expeditam laudes. Ita verò ſemper liberalitatis ſuæ fontes aperiunt, ut neque indignis illi pateant; neque fluxu largiore exareſcant. Vt promant largiter benignitatis ſuæ fontes, ſummæ eſt benignitatis. Vt premant eos, ne ęquo longius evagentur, prudentis eſt judicii.

Ecce vobis inſigne hujus Nobilitatis in [b] *Cyro* ſpecimen: qui miſſa ſibi ad corporis cultum ornamenta in amicos diſtribuit: tum ſe inſigniter ornatum arbitratus, cum ornatos ſuis ornamentis amicos videret. Non cedit Perſæ *Macedo*, ut omni genere laudis Magnus; ita beneficentiæ gloriâ major ſe ipſo. Quam enim erat humaniſſimæ liberalitatis, [c] cum, ſuſceptâ in Perſiam expeditione, regia partitus in amicos vectigalia, ſolam ſibi ex omnibus regni opibus ſpem reſervaret! Quam inſigne regiæ magnitudinis dabat documentum, cum dicenti cuipiam, quod ſupra fortunæ ſuæ conditionem ampliſſimis cumulatus ab ipſo beneficiis eſſet, reſponderet! [d] *Non curo ego, quid te accipere oporteat; ſed quid me deceat dare.* Quam benefici in

[b] *Max. ſer. 6.*

[c] *Plut. in apoph. Reg.*

[d] *Seneca de benef.*

amicos

amicos animi præbebat indicium, cum, remissis à Xenocrate L. talentis, quod illis opus non haberet, cum indignatione diceret! [e] *An verò ille amicum nullum habet, cui subveniat? Nam mihi vix Darii opes in amicos suffecerunt.* [f] Quos tanto complexus est amore, ut rogatus de thesauris, *amicos ostenderet.* Quo in amicos animo fuit *Ptolemæus Philadelphus*, solitus dicere, [g] *Melius esse ditare amicos, quam ditescere.* Et in milites suos [h] *Agesilaus*: quos magnificis ex prędâ opibus locupletavit, ipse gloriæ solius fructu contentus. [i] *Alphonsus* etiam de suo fuit liberalis: cùm accepta X. aureorum millia, amico cuidam, qui se tantâ pecuniâ beatum reddi posse dicebat, donaret in hæc verba: *Accipe, quantumcunque hoc est, & beatus esto.* Quo & imperio major, & munificentiâ [k] *Sigismundus* Cæsar X L. M. aureorum, ex Pannoniâ allata, in viros aliquot, ingenio doctrinaque præstantes, divisit. Iudicavit Imp. ex [l] *Constantini Chlori* sentẽtiâ, *Melius à multis publicas opes possideri; quam ærarii latebris constringi.* In quam mentem dixit [m] *Xenophon: præclarius esse beneficiorum; quam trophæorum memoriam post se relinquere.* Magis enim regium est, ex [n] *Artaxerxis Longimani* judicio, *addere aliquid subditis; quam adimere.* Hoc armorum diritate; illud nobilis naturæ benignitate efficitur. Quæ tanta fuit in [o] *Alexandro Severo*: ut amicum nihil petentem objur-

e Plut. Al.
f Max. ser. 6.
g Aelianus.
h Plut. in Apoph. Reg.
i Panorm. in Alph. l. 4.
k Dubrav. l. 25
l Eutropius.
m Stob. ser. 48.
n Plut.
o Lamprid.

objurgaret, *Quid verò est*, inquiens, *quod nullum tibi à me conferri beneficium postules? an me tibi debitorem esse gaudes?* Cujus indolis ne *Dionysius* quidem fuit expers: qui ad filium ingressus, conspectâ vasorum aureorum multâ supellectile, [p] *Non est in te*, ait, *regius animus, qui his poculis non collegisti tibi gratiam præstantium amicorum.* Neque [q] *Pisistratus* & *Pericles*: qui ad percipiendos fundorum suorum fructus aditum omnibus fecerunt. Sanè nobilis illa fuit magnorum principum liberalitas: quæ cum in præstantia se ingenia, & doctorum hominum labores diffundit, marmoratis in cœlum tolli laudibus meretur. Cujus gloriæ decus adeptus est [r] *Cæsar*: qui potens rerum omnes liberalium artium Doctores civitate donavit. Neque degeneravit *Augustus*, servos, supellectilem, totos fundos Horatio & Virgilio largitus. Quorum exemplo [s] *Vespasianus* Rhetoribus annua centena, hoc est, *bis mille & quingentos Philippicos*: & *Saleio Basso* poëtæ, unâ donatione quingenta, hoc est, censum equestrem donavit. Instituere publicæ in bonas literas munificentiæ [t] *M. Antoninus* Philosophus, *Antoninus Pius*, *Alexander Mammaæ*, *Diocletianus* atque alii: qui & liberalia Doctoribus stipendia constituerunt, & exquisitis illos honoribus muneribusque amplissimis affecerunt. Vbi nunc aliquem inter principes viros invenias *Periclem*? qui deficienti

Anaxa-

p *Plut. in Apoph. Reg.*

q *Athen. l.12.c.15.*

Munificentia in Doctos.

r *Sueton.*

s *Sueton.*

t *Dion. Cuspin.*

Anaxagoræ lucernæ oleum infundat. Vbi *Philadelphum*? bina auri talenta Bibliorum interpretibus dantem. *Hieronem*? mille tritici modios Archimelo poëtæ largientem. *Alexandrum*? Aristoteli fortunam suam debentem. *Antoninum*? auream præceptori Frontoni statuam dicantem. *Africanos* Ennio & Polybio; *Pompeium*, Theophani; *Augustum*, Maroni & Horatio singulari familiaritate gratiaque conjunctum? Nunc aut ferox Bellona, aut turpis Ambitio Eruditorum hominum obtinet præmia, Musis in despectum pulverem relegatis. Quid restat? quam ut, neglectis & rejectis liberatæ sapientiæ studiis, prisca Monachorum Barbaries, à Gothicis regurgitata tenebris, in lucem se iterum refundat.

Volebam de circumspectâ Nobilium prudentiâ, deque Civili honorum & voluptatum Moderatione addere, cum me *Christianæ Nobilitatis* fulgor hærentem stupentemque ad tantæ dignitatis imaginem in se totum converteret. De illâ statim, ubi me à longiore locutione parum collegero, differemus. Interea sedeamus hîc, *Amici*, in vivo Chamæmilli cespite: si fortè etiam vos diuturna deambulatio fatigasset.

CAP.

CAP. XIV.

De Nobilitate Christianâ.

POſtquā conſediſſemus herbaceis infuſi ſedilibus, *H. Harinxma* admiratus eximiam maximarum virtutum in Ethnicis indolem, eam inſigni prædicatione efferebat. Illos verè Nobiles extitiſſe, qui in omni genere laudis excellentes, egreſſique penè humanæ ſortis terminum, virtutis magnitudine à beatâ cœlitum prẹſtantiâ quam proximè abfuiſſent. Nullam eſſe aut vim in hominum ingeniis, aut ſcientiam in bonarum artium diſciplinis, aut virtutem in animis, aut ſedulitatem atque induſtriam in laboribus, quæ non ſummā in illis gloriam mereatur. Nullam tantæ rem difficultatis fuiſſe, quam non & conſilio regere, & integritate tueri, potuerint. Nullum in terrarum orbe locum, in quo non plurima extent tantæ magnitudinis impreſſa veſtigia. Nullam venturam ætatem, quæ tantẹ memoriam gloriæ ſit abolitura. Superaſſe illos invicto animi robore infeſtos fortunæ caſus. Viciſſe invidiam rerum geſtarum gloriâ. Continuiſſe impotentes libidines, ne bonæ Mentis excuterent imperium. Poſtpoſuiſſe honeſtati opes, dignitates, gratias. Exegiſſe omnem ẹtatem in curſu gloriæ: à quo nō communium tem-

Virtutum Ethnicarum excellentia.

temporum ærumnis, non voluptatum dulcedine, non curarum molestiâ, non improborum malevolentiâ potuerint avelli. Nihil in vitâ expetendum putasse, nisi quod esset cum laude ac honore, & cum dignitate conjunctum. Itaque quamcunque mereatur virtus prædicationem, quæcunque Nobilitati sit dignitas, quæ ingenii consiliique laudetur gloria, illa omnia priscæ laudatissimorum hominum Gentilitati deberi.

Quę enim sunt, *ajebat*, virtutum eximiarum studia, in quibus non summâ cum laude fuerint versati? Quæ veræ gloriæ palæstra, in qua non suæ industriæ æternum in omnem seculorum memoriam deposuerint monumentum? Petimus propensissimæ in patriam Charitatis & Fidei exempla? Occurret *Curtius*, cōnscenso equo in vastum terræ hiatum prosiliens; *Ælius* prætor, occiso pico, Reip. cladem in sui sanguinis perniciem vertens; *Decius* pater filiusque, suum pro publicâ salute caput victoriæ devovens; *Scipio*, post Cannensem pugnam, Italiæ deserendæ consilia stricto in profugorum capita ferro evertens; *Romanæ matronæ*, corporis colendi ornamenta in ærarium conferentes; *Carthaginenses*, capillum ad armandam funibus classem rescindentes; *Codrus*, sui capitis exitio Athenas servans; *Themistocles*, ne adversus patriam militaret, exceptum paterâ tauri

tauri ſanguinem hauriens; *Philæni fratres*, pro dilatando Pœnorum imperio vivos ſe terrâ obrui patientes. Requirimus conjunctiſſimæ in familiares & propinquos amicitiæ? Offeret ſe *Alexander*, in *Ephæſtione* partem ſui alteram ponens; *Damon* & *Pythias*, alter pro altero mortis periculum ſibi accerſens; *Pomponius*, ſui corporis objectu *Gracchum* defendens; *T. Volumnius*, in occiſi *Luculli* complexu trucidari rogans; *M. Fabius*, delatum à Senatu triumphum, ob cæſum in prælio fratrem, recuſans; *Coriolanus*, ad unius adſpectum matris, bellum atrox ſalutari pace mutans; *Africanus*, vulneratum in prælio patrem oppoſito corpore tegens; Romana mulier matrem; *Perus* Græca, patrem lactantibus admotum uberibus in carcere ſuſtentans. Deſideramus fideliſſimæ in benè meritos gratiæ? Veniet in conſpectum *populus Romanus*, in *Fabii Max.* funus, ut ſpecioſius duceretur, pecuniam certatim conferens; *Minutius*, *Fabio* alteri, Legionum Servatori, faſces ſubmittens; *Q. Terentius Culeo*, *Scipionis*, liberatoris ſui, currum pileatus ſequens; *Marius*, Camertium cohortes, vim Cimbrorum ſuſtinentes, civitate donans; *Sylla* Dictator, Pompeio privato caput adaperiens; *Attalus*, Populo Romano Aſiam teſtamento legans; *Maſaniſſa*, benefactoris Scipionis memoriam ad ultimum vitæ

conſtantiſſimâ fide perducens; *Cyrus*, nutricem Spaco perpetuo honore proſequens; *Populus Syracuſanus*, Timoleontis, quod Dionyſium expulerat, memoriæ ſolennes ludos conſecrans; *Athenienſis*, Ariſtidis filias publico ſumptu elocans; *Plato*, celebratâ Socratis memoriâ; *Alexander*, reſtauratâ Ariſtotelis patriâ; *M. Antoninus*, conſecratâ Frontoni ſtatuâ; *Achilles*, *Pericles*, *Auguſtus*, *Alexander*, *Severus*, ſingulari veneratione præceptorum ſuorum nomina colentes. Quantum præbuit Humanitatis Clementiæque documentum *Alexander*, obſtupefactum frigore militem in regiâ ſede collocans; *Pyrrhus*, Tarentinis contumelioſe de ſe loquutis benignè ignoſcens; *L. Cornelius*, *Hannonem*, Pœnorum Ducem; *Antigonus*, *Pyrrhum*; *Hannibal*, *Gracchum* & *Marcellum*, inter diſtrictos mucrones, & contraria arma, magnifico funere efferens; *Marcellus*, captis incenſiſque à ſe Syracuſis; *Cæſar*, *Pompeii*, & *Catonis* morti illacrymans; *Pompeius Tygranem*, *Paulus Perſen* ſupplicem manu verbiſque ſalutaribus allevans; *M. Antonius*, *Bruti* hoſtis cadaver ſuo paludamento tegens? Quantum Aequitatis *Camillus*, proditos Phaliſcorum hoſtium pueros parentibus remittens; *Fabricius*, Pyrrhum, de cavendo vitæ periculo, monens; *Domitius*, Scauri; *Craſſus*, Carbonis; *Scylla*, Sulpitii adverſarii proditores ſervos juſto

ſupplicio

ſupplicio afficiens; *Pittacus*, oblatam patriæ tyrannidem, finito bello, deponens; *Ariſtides*, Themiſtoclis, de incendendâ Laconum claſſe, conſilium damnans; *Charondas*, ob violatam à ſe legem, quam ipſe tulerat, ferro incumbens; *Antiochus* injuſta ſua decreta reſcindi mandans; *Manlius*, Syllanum filium ſuo judicio repetundarum damnans! Quantum Abſtinentiæ *Scipio*, illibatam *Indibili* ſponſam, cum omni redemptionis precio, reſtituens; *Alexander*, oculos ab intuitu *Statiræ* libidinoſo continens; *Xenocrates*, Phrynis illecebras, incolumi pudore, contemnens; *Druſus*, intra conjugis charitatem Veneris uſum claudens; *Curtius* à Samnitibus, Fabricius à Pyrrho miſſum aurum repudians; *Cato* ex prædà Cypriâ; *Martius* Volſcâ; *Q. Aelius Tubero* Aetolâ; *Paulus* Macedonicâ; *Aemilianus Scipio* Numantinâ & Punicâ, nihil præter laudem geſtæ benè Reip. decerpens! Quis non admiretur *Leonidæ Spartani*; *Epaminondæ Thebani*; *Gobriæ Perſæ*; *Miltiadis*, *Cononis*, *Cynegiri* Athenienſium; *Coclitis*, *Scævolæ*, *Torquati*, *Marcelli*, *Scævæ*, *Sicinii* Romanorum; *Harminii* Germani fortitudinem? Quem non percellat *Valerii Poplicolæ*, *Camilli*, *Cincinnati*, *Fabii Cunctatoris*, *Metelli Macedonici*, *Portii Catonis*, *Architæ Tarentini*, *Platonis*, *Socratis* divina in moderatione animi firmitas? Cui non ſtuporem inferat *Catonum*, *Varronis*, *Roſcii*,

cii, *Demosthenis, Pythagoræ, Democriti, Aristotelis, Carneadis, Archimedis, Cleanthis, Solonis* incredibilis in percipiendis magnarum rerum scientiis industria? O dignos immortali laude altioresque communi mortalium naturâ homines! quorum in mortali corpore divinum animum vitæ peregisse stationem credatis: ut innoxius à malarum cupiditatum impetu perfectam expletamque omnibus numeris virtutem exerceret. Hos ego summæ nobilitatis jus tenere arbitror: quo vix adspirare audeat languida nostris temporibus effœtæ virtutis Christianitas.

Ethnica virtus nõ vera & perfecta.

Hîc Ego: Magnas fateor, Ethnicorum hominum in civili functione vitæ fuit virtus, ingentes ad parandam gloriam à naturâ stimuli, fervida honestatis studia: quibus sui nominis famam in omnem posteritatis memoriam disseminarunt. At verò quia nulla est virtutis perfectio, quæ non cumulatam omnibus bonis intendat felicitatem: nulla verò est felicitas, nisi quæ ad fontem bonorum omnium referatur Deum: Ethnicorum illa civilium functionum virtus verum Virtutis decus & laudem, quæ à cœlo proficiscitur, non meretur. Stulti pravarum opinionum irretiti laqueis pro solidâ virtute virtutis umbram, pro vero dignitatis ornamento speciem dignitatis inanem, pro beatæ felicitatis studio, du-

biam

biam fluxamque mortalium bonorum fruitionem captarunt. Miſeret me miſeriæ veſtræ, miſeri mortales, qui pro theſauro carbones, pro nucleo putamina, pro Deo vilem de ſepulchro lapidem quæſiviſtis. Vt Penelopes proci cum potiri Dominâ non poſſent, turpi amore exarſere in ancillas: Ita vos in momentaneis hujus vitæ bonis ſtudium induſtriamque poſuiſtis, perpetuæ in cœlo felicitatis ſecuri. Quid tam impigrè ad fœtentes accurriſtis lacunas, cum in conſpectu eſſent fontes divinæ beatitatis ſcaturigine manantes? Quid tenuem & caliginoſam à domeſtico foco lucem petiiſtis, cœleſti illo jubare tanti ſplendoris radios diffundente?

Ille rerum omnium ſator paterque Max. atque idem Opt. in cœlis Deus, caput authorque bonorum eſt omnium, fons proſperitatum perennis, ſcaturigo beatitatis inexhauſta. Atque ita ille bonus eſt, ut bonitas ſit ipſa, perfecta omnibus numeris; expleta omnibus partibus, cumulata omnium felicitatum acervo. Ita ille bonus eſt, [a] *ut præter eum non ſit bonus quiſquã.* Itaque ut in ſeminibus cauſa eſt arborum & ſtirpium: ita ille ſemen eſt cunctarum, quas optare aliquis poſſit, commoditatum. Cogitas Mundi ſpatioſam fabricam? [b] *Cuncta, quæ fecit Deus, fecit valde bona.* Conſideras Animantium moderationem?

Deus ſummum bonum.

a *Mat. 19. 17.*

b *Gen. 1. 31.*

c Mat. 5. 45. [c] *Solem oriri facit supra justos, & injustos.* [d] *Dat cœlitus nobis pluvias, & tempora fructifera, implens cibo ac lætitiâ corda nostra.* (d Act. 14. 17.) Attendis in Ecclesiam & fideles propensionem? (e Io. 3. 16.) [e] *Ita dilexit Deus Mundum, ut filium illi unigenitum daret: ne quis in eum credens periret, & æternâ beatitudine destitueretur.* Quæris, quo fonte præstantes animi dotes scateant? (f 1. Pet. 5. 10.) [f] *Deus omnis gratiæ author est.* (g 2. Pet. 1. 3.) [g] *Divina vis ipsius omnia nobis donavit, quæ ad æternam vitam & pietatem pertinent.* (h Iac. 1. 17.) [h] Imò verò, *Omnis donatio bona, & omne bonum perfectum supernè est, descendens à patre luminum.* Neque quidem (i Io. 3. 27.) [i] *quicquã accipere homo potest, nisi quod datum ei sit de cœlo.* O largam ejus bonitatem! ô admirabilem benignitatem! Si qua est in virtutis possessione beatitudo; (k Gal. 5. 22.) [k] *tui Spiritus fructus sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas.* (l 1. Cor. 12. 11.) [l] Tuus Spiritus operatur omnes in omnibus virtutes, dividens singulis, sicut vult. Si quam Sapientia confert homini felicitatem; (m 1. Tim. 1. 17.) [m] *Ille solus est sapiens.* (n Iob. 21. 22.) [n] *Illum nemo sapientiam docet.* (o Iob. 12. 13.) [o] *Apud illum est sapientia & fortitudo: ipse habet consilium & sapientiam.* Si quam in Gloriâ habemus perfectionem; (p Ps. 145. 3.) [p] *Magnus est Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudo ejus non habet finem. Dei est regnum, & potentia, & gloria in omne sæculum.* Si voluptatis fruitio summum continet bonum; Illo authore, (q Ps. 25. 13.) [q] anima mea in bono morabitur. Illo datore, cœlesti perfrue-

fruemur voluptate, [r] *quam neque oculus vidit, neque auris audivit, neque homo cogitatione poteſt comprehendere.* r 1. Cor. 2. 9.

Ad hunc largitorem fontemque bonorum omnium quo quis accedit propius, eò, *Socratis* etiam judicio, [s] *melior eſt & beatior.* Sed deflexit ab illo fœdis illaqueata erroribus Gentilitas: quid eſſet Deus, quid verum decus, non attendens. Quomodo enim ſuſpicere in Divinum Numen poſſent [t] *In terras animæ curvæ, & cœleſtium inanes*: quæ omnia vitæ conſilia, vel ad rerum hominumque principatus, vel ad popularem laudem & caduci nominis fluxam gloriam referrent? Quomodo veram & eminentem honeſtatis formam amplecterentur, quæ quid verum perpetuumque eſſet decus ignorarent, fontem fomitemque illius perennem averſatæ? Hoc, hoc in æternam Ethnici nominis cedit infamiam, [u] *quod Deum, non ut Deum, glorificarunt: Sed vani facti ſunt in ratiocinationibus ſuis, & obtenebratum eſt deſipiens cor eorum. Quum ſe profiterentur eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Itaque tradidit eos Deus in mentem omnis judicii expertem, ut facerent, quæ minimè convenirent, oppleti omni injuſtitiâ, ſcortatione, improbitate: denique ad omne turpiſſimi ſceleris facinus profligati.* Quis jam miretur, illos priſcæ memoriæ tenebriones, à cœleſti averſos Deo, veræ felicitatis feciſſe jacturam? Vt enim quiſque actus

s Eraſ. l. 3. Apoph. Ethnici veræ felicitatis expertes.

t Perſius.

u Rom. 1.

turbulenti erroris impetu ſtultam animo concepit opinionem; ita viam ingreſſus eſt, quâ cœco Andabatarum impetu ad felicitatem graſſaretur. Itaque multi qui nihil in ſe divinum agnoſcebant, omnemque animi ſenſum extingui cum vitâ corporis putabant, in fluxis mortalis vitæ bonis ſtudium atque induſtriam poſuerunt. Eorum alii infinitâ pecuniarum accenſi libidine, in eo poſitam ſummam felicitatis crediderunt, ſi conſtructis & coacervatis opibus domi re benè lautâ atque auctâ fruerentur. Alii in honoribus & dignitate proſperitatis cumulum collocarunt: quod in ampliſſimum locum perveniſſent, quod propitiam populi gratiam poſſiderent, quod ampliſſimâ poteſtate atque imperio eminerent. Alii, pecudum more, quas natura pronas, & ventri obedientes finxit, ad paſtum ſaginamque dejecti corporis, omni libidinis impetu in voluptates deſcenderunt. Quos ego homines vix aliquem ad capeſſendam virtutem conatum habuiſſe puto; hoc unicè unum malis ſemper artibus molitos, ut perditam atque effrænatam turpitudinum cupiditatem explerent. Pauci Naturam ſequuti ducem, ad felicitatis aliquam ſpeciem adſpirarunt, ſummumque bonum non in fortunæ muneribus, affluxtique mortalium commodi-

moditatum ; ſed in *Animi opibus* collocarunt.

Sed ô mentium veſtrarum dementiam, miſerrimi mortales ! O ſtupidam Creatoris Dei naturæque communis ignorantiam ! Quam vos in illis animi opibus felicitatem ponitis : quas non divinâ benignitate dari ; ſed veſtrâ induſtriâ parari exiſtimaſtis ? Ab illo luminum ſummo patre , à datore donorum omnium Spiritu , à ſeminario eximiarum dotium cœlo virtutem & ſapientiam petiiſſetis. Ab illo fonte omnis humani ingenii vis , omnis animi integritas, omnis honeſtatis abſolutio deſcendit. Quid in veſtris viribus omnia poſuiſtis , in Deum impii , in vos ipſos injurii , ſupra naturæ conditionem ſtolidè elati ? Non cogitabatis in percipiendis magnarum artium diſciplinis ingenii veſtri tenuitatem , in cognoſcendâ veritate ſtudiorum difficultatem , in obeundis laudabilium rerum negotiis naturæ communis imbecillitatem ? Non vellicabat animum debilitatis humanæ conſcientia ? quam toties in libris veſtris graviſſimè culpaſtis, in ipſam ſæpè invecti naturam, quod parcè reſtricteque nimis ſua homini munera tribuiſſet.

Quæ enim eſt illa Sapientia veſtra ? quam divina veritas [x] *ſtultitiam* dicit : vos noctuarum

x 1. Cor. 3.19.

Sapientia humana tenuitas.

rum oculis, & evanidæ Solis umbræ comparatis. Quis vestrum cumulatam rerùm omnium scientiam de homine glorietur; cum ille, Apollinis judicio, sapientiæ princeps, *hoc se unum scire profiteretur, quod sciret nihil?* Si tanta ingenii humani vis est, tanta doctrinæ abundantia; cur ea, quæ ante oculos nostros interq; manus versantur, ignoramus? Cur tanta inter doctos de facillimis quęstionibus est dissensio? cur tot querelis obstructã multis difficultatibus cognitionem, obscuritatem naturæ latentis, caliginem animis affusam deploratis? An quisquam unquam fuit, qui omnes artium disciplinas, omnes naturalium rerum causas, omnem Reip. moderandæ peritiam teneret? An ulla sapientissimorum hominum industria infinitam sciendi cupiditatem satiavit? Cur igitur alii, ad parandam multarum maximarumque rerum scientiam, nimis angustis circumscriptam spatiis vitam accusant? Alii in aditu constituti sepulchri, in mortis ore ac faucibus deprehensi insano discendi studio flagrarunt? Si summa in sapientia humanæ conditionis est perfectio; quid est, quod in illius possessione nunquam animus acquievit? Aut quæ illa est beatitas, quæ non cumulat atq; explet omnibus bonis hominẽ, ut nihil amplius requirat?

Et Virtutis. Neque à Virtutis exercitatione petere illam bonorum sufficientiam potuerunt: cujus inte-

integritatem ſæpè res domi anguſta impedit, amicorum inopia excludit, adverſi fortunę caſus evertunt, valetudo corporis, ſenſuum languor, virium debilitas, affectionum inquietudo, conſilii fruſtratio interpellat. Quàm verò manca debiliſque fuit illorum virtus; qui neque in cœlum, unde peti virtus debet, ſuſpiciebant: & omnia virtutis ſtudia ad popularem laudem & gloriam referebant? Nullam igitur Ethnici homines ab induſtria ſuâ perfectionem, nullam à ſe ipſis felicitatem impetrare potuerunt, ſuî, Dei, rei pariter ignari. Si ſapientia ſummum contineat bonum; tum demum veram conſequuti felicitatem fuiſſent, ſi authorem illius Deum omni pietate ac religione coluiſſent. Si virtute metiri beatitudinem oportet; ea ſola virtus eſt, quæ infuſa cœlitus hominum animis ſolidum duraturæ honeſtatis decus amplectitur.

Nunc vos veſtris convincam teſtimoniis, veram ſolidamque felicitatem nulli unquam homini, ſine ullo miſeriarum intercurſu, contigiſſe. Monuiſti Crœſum, [y] Solon: *Neminem, ante editum vitæ ſpiritum ſupremum, de beatitate poſſe gloriari.* Reſpondiſti Midæ Regi, [z] Silene: *Optimum eſſe, non naſci; proximum vero, quamprimum ad mortem ire.* Inculcaſti Pauſaniæ, Simonides: [a] *Vt ornatus ampliſſimis fortunæ muneribus Hominem eſſe ſe cogitaret.* Qualem verò Hominem?

Infelicitas humana.

y *Plut. Sol.*

z *Plut.*

a *Ael. l. 9. v. h.*

b Stob. ser. 96. nem? Hominem, [b] Aristotelis sententiâ, *imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusum, inconstantiæ imaginem, invidiæ & calamitatis trutinam: reliquum, pituitam & bilem.* Hominem, [c] Herodoti judicio, *rem calamitosam*: Orphei & Homeri, *miserum mortalem*: Democriti, [d] *miserandæ conditionis animantem; cui bona quærenti vix parcè obtingant, mala verò & exquisita, & præter exspectationem*: [e] Epicteti, *vitam agentem torrenti similem, turbulentam, plenam cœno, violentam, obstreperam: ut ingressu difficilem; ita egressu luctuosam.* Vitam caducam, vitam miserabilem, quam gravissimi homines tragœdiæ, tempestati, navigationi, carceri, somnio, floribus, foliis, vitro, simulacro, auris, umbræ, morti conferunt. Cui etiam ipse in tanto fortunæ apparatu [f] *Xerxes* illacrymavit: [g] Thraces indoluerunt, editos in lucem infantes mœrore ac lacrymis; funera suorum tripudio & cantu prosequuti.

c Lib. 1.
d Stob. ser. 96.
e Stob. ser. 1.
f Herod. l. 7.
g Solin. c. 17.

Quis enim omnium hominum unquam fuit, qui à communis miseriæ sensu immunem vitam egit? Quis ita semper in benigno fortunæ sinu acquievit, ut à primo originis die, ad ultimum usque fati tempus, nunquam cessante indulgentiâ, ad summum beatitatis culmen sit perductus? Quem non aut publica, aut domestica funera, non invidorum malignitas, non corporis valetudo, non animi perturbatio,

turbatio, non aliqua casus adversi acerbitas ab instituto prosperitatis cursu abduxit? Religiosi vates luctus & dolores Deorum quoque pectoribus assignant; nedum homini mortali communium malorum tribuant immunitatem. Si fortè alicui ita propitia fuit fortuna, ut per omnes beneficiorum gradus in arcem conspicuæ felicitatis evaserit; denique tamen illum improviso destitutum decursu, quem in sublime extulit, in profundam cladem demersit. Vt enim segetem nimia sternit ubertas: Ita immoderata felicitas tragico vitæ exitu ad ruinam homines impellit. Questus hoc est in pyrâ *Crœsus*, in cruce *Polycrates*, in ludo *Dionysius*; ad conspectum Ægyptiæ sicæ *Pompeius*; Romani pugionis *Cæsar*; Parthici acinacis *Crassus*; Germanicæ securis *Varus*; in vinculis *Syphax*, & *Perses*; in fatali lecto *Alexander*, & *Marius*. Quibus omnibus, cum [h] *Demetrio* Rege dicere ad fortunam liceat: *Tu me extulisti, tu ipsa rursus dejicis.*

h *Plut. Dem.*

Quam itaque turpiter, in parandâ Beatitatis possessione, ratio fugit homines Ethnicos! à fonte bonorum omnium Deo, ad miserabilem suæ industriæ conatum, à verâ felicitate ad illius inanem umbram, & simulacrum conversos. At si in capessendâ felicitate irrito laborarunt studio, quid est, quod de *Virtutis possessione* gloriantur? Quid eximiæ Honestatis orna-

Soli Christiani verè Nobiles.

ornamenta deprædicant, cujus tantum speciem aliquam & imaginem apprehenderunt? Quod si autem veræ Virtutis destituuntur laude, si gloriosæ Honestatis vacant decore, frustra sibi eminentem Nobilitatis principatum vendicant. Sola inter omnes mortales Christianorum natio, ut Beatitatis & Virtutis in servatore Christo consummatæ perfectione; ita cumulatissimæ Nobilitatis honore meritò gloriatur. Ambigere autem quisquã de Christianę Virtutis perfectione potest? Atqui [i] *elegit nos Deus ante Mundi constitutionẽ, ut essemus sancti & immaculati.* [k] *Transierunt enim tenebræ, & verum in nobis lumen lucet.* Id quod à Scripturâ lumen est, [l] *quæ nos edocuit, ut perfectus simus Dei homo, ad omne opus bonum instructus.* Ita quidem, [m] *ut in nullo simus deficientes.* Ita perfecti, [n] *ut in cœlo Deus.* [o] *Vt nati ex Deo non peccemus.* Si quã innata libido suggerat pravitatem, [p] *coalescimus tamen tandem omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram staturæ adulti Christi.* Namque [q] *de die in diem crescimus in gratiâ & cognitione Domini nostri, remissis peccatis ab omni iniquitate emundati.* Quotidie detersâ ruditate [r] *ad perfectionem ferimur, non jacientes rursus fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei in Deum.* Itaque [s] *non habet gloriosa Dei Ecclesia maculam, non rugam, aut aliquid hujusmodi, ut sit sancta, & ab omni labe immunis.* At

Ob virtutis perfectionẽ.

i Eph. 1. 4.
k 1. Io. 2. 8.
l 2. Tim. 3. 17.
m Iac. 1. 4.
n Mat. 5. 48.
o 1. Io. 5. 18.
p Eph. 4. 13.
q 1. Io. 1. 9.
r Heb. 6. 1.
s Eph. 5. 27.

non est istæc ab humanâ industriâ sanctitas,
non à nostrâ dignitate precium. *In* [t] *Christo* t 1.Cor.1.2.
sanctificata est Dei Ecclesia. [u] *In Christo mundata est* u Eph. 5.26.
lavacro aquæ in verbo vitæ. [x] *Christus purgavit sibi* x Tit.2.14.
populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.
[y] *Per Christum illæ spirituales operum nostrorum ho-* y 1.Pet.2.5.
stiæ Deo sunt acceptabiles. [z] *Deus est, qui suam legem* z Ier. 31.33.
mentibus nostris indit, & cordi inscribit. [a] *Deus est, qui* a Ezech. 36.25.26.27.
mundat nos ab omnibus impuritatibus nostris, submo-
toque lapideo corde suum affundit spiritum, ut statuta
ipsius observemus.

Tanta igitur Christianæ virtutis est perfe-
fectio, ut mortalem hominem cum suo Crea-
tore [b] *naturæ divinæ consortio* devinciat. Namque b 2.Pet.1.4.
[c] *præscivit Deus fideles, & prædestinavit, ut imagini* c Rom.8.29.
filii sui conformes redderentur. [d] *Vt retectâ ipsis Dei* d 2. Cor. 3.18.
facie, gloriam ejus tanquam in speculo contuentes in
in eandem imaginem à Dei spiritu transformarentur.
Hinc Electi [e] *manere in filio & patre dicuntur*, di- e 1. Io. 3.24.
vinæ sortis communione sanctissimo Numini
conjuncti. Hinc [f] *in unius corporis indissolubilem* f Eph.4.16.
compagem coagmentati perhibemur: [g] *cujus caput* g Eph.5.23.
sit Christus; ut vir mulieris. Nescimus verò nos
[h] *Templa esse Dei vivi*, habitacula Spiritus S. h 2.Cor.6.16.
[i] fundata & constructa supra fundamenta Pro- i Eph.2.20.
phetarum & Apostolorum, super angularem
lapidem Christum: *in quibus habitet, & inam-*
bulet divinum Numen? Nescimus, [k] *Domesticos* k Eph. 2.19.
nos esse Dei, & concives sanctorum, ab omni ad-

venarum

venarum hoſpitumque peregrinitate immunes?

Et fructū beatitatis. Ex hac cum cœleſti Numine Conjunctione illa Chriſtianorum hominum eſt Beatitas, & perfecta bonorum omnium cumulatio: quem ſcopum divina ipſorum virtus intendit. O felices ter & amplius! ô beatos Chriſtianos! [1] qui ſpiritu pauperes regnum obtinebunt cœlorum. Beatos, qui lugent: quoniam hæreditatis jure poſſidebunt terram. Beatos, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam: quoniam ſatiabuntur. Beatos miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur. Beatos mundo corde: quia Deum videbunt. Beatos pacificos: quoniam filii Dei vocabuntur. Beatos, qui juſtitiæ causâ perſequutionem patiuntur: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. O beatitatem, omnibus numeris gradibuſque expletam! O vitam omnium bonorum acervo redundantem!

1 Mat. c. 5.6.7.

Quo non dira malus portendat ſpicula Livor:
Non levet audacem Mors fera, Sorſve manum.
Chriſtus ubi plenis uberrima gaudia rivis,
Promiſſaſque manu divite fundit opes:
Immortalis opes vitæ: quas nulla vetuſtas
Solvere, non hominum vis inimica queat.
Omnia volvuntur dubio mortalia caſu;
Sola ſcatet certis cœlica vita bonis.

Cœlica

Cœlica sidereos inter lætissima cœtus,
Intuituque sui vita beata Dei.

Est igitur, qui Christianis hominibus summæ Nobilitatis principatum ausit detrahere? qui soli omni ope operaque ad divinæ virtutis perfectionem atque absolutionem enituntur: soli gloriosissimi Numinis honorem, & beatæ, sine ullâ miseriarum interpellatione, conditionem vitæ intendunt. Cur igitur ipso veritatis ore [m] *Genus hominum electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* appellantur? Cur nobile [n] *Abrahami semen, Filii ipsius Dei, Fratres Christi Domini,* [o] *consortes divinæ naturæ* nominantur? An major inter homines esse potest dignitas, quam propinquâ cognatione eminentissimę sanctitatis stirpi adnexum esse? An supra divinitatis communionem, supra cœlestem originem, aliqua est nobilitatis illustrior conditio? Quid gloriatur stulta Gentilitas tractum de cœlo genus? Quid jactamus relictam posteris avitæ virtutis & nobilitatis imaginem? Hæc vera est editissimi gradus Nobilitas, Creatorem Deum cognati generis stirpe attingere, vivum summi Numinis simulacrum ac effigiem perhiberi, cumulatâ omnium bonorum congerie ad divinæ Beatitatis sortem quam proximè accedere.

m 1. Pet. 2. 9.
n Ps. 105. 6.
o 2. Pet. 1. 4.

Quam ab Adamo possessam.

Hunc summæ Nobilitatis apicem Adamus

quondam in Paradiſo tenuit, imago opificis Dei, ſimulacrum æternæ virtutis, ſpeculum factum à Creatore, in quo ſuæ perfectionis florem & colorem vivis quaſi lineamentis adumbrarat. Hauſerat à Deo Animum, qui ſui authoris impreſſus ſimilitudine in elegantiſſimi Corporis domicilio ſummi honoris ſedem tenebat. Effulgebat maximarum virtutum indole, ad omnem ſanctitatem juſtitiamque à naturâ compoſitus. Mens divinæ ſapientiæ colluſtrata lumine Creatorem Deum rectiſſimè cognoſcebat. Voluntas ſequuta bonæ Mentis imperium promptiſſimè cultui Numinis vacabat. Nullum erat in corpore vitium, quod caliginem rationi offunderet. Nulla in animo Affectionum commotio, quæ libidinem in pravum abduceret. Nullus in Intellectu error, in ſenſibus hallucinatio, quæ exploratam Cauſarum cognitionem præpediret. Ipſe animo acer magnuſque, corpore ad originis ſuæ domicilium erectus, hæres arbiterque creatarum rerum, Regium in omnes animantes imperium tenebat. Nihil in ſolidâ ſecuraque felicitate *aut ſperare potuit, aut timere*: in cœlo quoque familiarius cum Deo victurus, ſi conſtanter divinis imperiis obtemperaret. Hoc primum veræ Nobilitatis eſt initium. Hæc ſumma hominis dignitas, & quaſi divinitas: ad quam quo quis propius accedit, eò eſt nobilior.

O præ-

O præclaram tui generis Nobilitatem, Adame, non ex ſtirpe humanitatis oriunde; ſed ortu divino edite! O præſtantem tuæ beatitudinis conditionem, quâ ad cœlitum dignationem proximo cognationis gradu perveniebas! Quantæ dignitatis, quantæ felicitatis relictum à te patrimonium haberemus; niſi improbis Diaboli artibus illectus in fraudem, obliteratâ divinæ Virtutis imagine, miſerabilem præſtantiſſimarum dotium jacturam feciſſes! Ex eo mentis acies fœdis circumfuſa tenebris obtorpuit, ſenſio obſtupuit, corporis robur elanguit, libido rationis obluctata imperio turbulentis animum motibus jactavit. Neque jam ſuſpicere Homo rectis oculis cœlum poterat, non intueri radiantem veritatis lucem, non cernere veræ dignitatis ſplendorem. Vbi ſemel hauſit ſpurcæ labis contagium, manavit illico malum in venas, infuditque ſe viſceribus, & luctuoſam corpori atque animo mortem cladem que intulit, in omnem poſterorum gentem pernicie ſeminatâ. *Et deperditam.*

Ab iſto principio fluxit humanæ naturæ pravitas, contaminatum honeſtatis decus, obtenebrata primævæ dignitatis claritas, ſplendor inclytæ nobilitatis, gloria divinæ originis, honor ducti de cœlo generis eviluit. Et jam miſer homo afflictus amiſſione dignitatis, per- *Christus reſtituit.*

territus acerbissimæ mortis metu, in omni se dedecore atque infamiâ volutabat, cum divino consilio *veniens de cœlo Christus*, Dei filius, tantæ turpitudinis labem suo sanguine elueret, decore pristinæ Nobilitatis mundo restituto.

Ille unus nobis moriendo restituit rem.

Ille implicatum mortis laqueis hominem in antiquam libertatem vindicavit. Ille consecrato in salutem nostram suo capite, pestem ab Electis omnem propulsavit. Ille gravissimas subiens miserias, exaratus virgarum vibicibus, coronatus spinarum apicibus, laceratus immanissimis tormentis, affixus execratæ cruci, devotus in publicam expiandi sceleris victimam, divinæ Virtutis imaginem redintegravit. O singularem tuæ beneficentiæ magnitudinem, Iesu Christe! ô copiam munerum tuorum immensam! [p] *Tu, cum essemus mortui peccatis, vitam nobis reddidisti, unaque tecum suscitatos in cœlis collocasti.* [q] *Tu nos à peccatis liberatos, Deoque mancipatos, & eximio sanctimoniæ fructu, & æternâ vitâ donasti.* [r] *Tu abolita morte, illuminataque vita, immortalitatem per Euangelium fidelibus tribuisti:* [s] *Tu nos in hæreditatem, quæ nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, nobis in cœlis servatam, regenuisti.*

p Eph. 2, 5.6.
q Rom. 6. 22.
r 2. Tim. 1. 10.
s 1. Pet. 1. 4.

Hic est ille Christianæ dignitatis splendor, hæc vera Christo authore Nobilitas: cujus

cujus nunc *genuinam indolem moresque* conside-rabimus.

CAP. XV.

De Moribus Christianæ Nobilitatis.

PRisca Heroum natio cum aliquo virtutis edito facinore magnum inter homines nomen teneret, ementita sui generis Nobilitatem divinam originem jactabat. Alii Iovem stirpis generosæ Principem; alii Herculem, aut Liberum patrem, aut Venerem matrem prædicabant. Multi à pelagi profundo, à Terræ penetralibus, à Nubium tractu, ostentatis longâ serie radiatorum capitum imaginibus, familię suæ natalem repetebant. Græci suarũ laudum ridiculi ebuccinatores, à Deucalionis lapidibus, & satu Cadmæorum Dentium originem deducunt. Quorum Athenienses, nunquam mutato patriæ domicilio, Αὐτοχθόνους se dicebant: eandem, ex [a] *Antisthenis* cavillatione, cum cochleis sortiti laudem. Arcades verò προσελήνους se nominabant: quod Lunæ nascentis incunabula gradu ætatis antecederent. Cujus æmuli gloriæ Romani fibulas eburneas ad Lunæ speciem corniculantes, calceis assuebant, certo antiquissimæ Nobilitatis argumento. Quem tamen sibi honorem Æthiopes, Chaldæi, Phryges, Phœnices sibi vendica-

Vana Ethnicorum gloriatio de origine divinâ.

[a] *Laërt. l. 7. c. 1.*

vendicabant : mutuis ſæpè jurgiis de ſuæ Gentis vetuſtate altercantes. Qua Nobilitatis antiquæ gloriatione noſtris temporibus multi Trojanam & Romanam originem jactant, authoreſque generis *Tuiſconem*, *Mannum*, *Cambrivium*, Reges Dynaſtaſque Aborigines oſtentant : Quibus ſuæ Nobilitatis præconibus non ineptè aliquis cum Laconibus reſpondeat : *Sit Deus Alexander ; ſi eſſe vult Deus.*

Quâ nobiles ſunt Christiani.

Efferant ſtulti mortales ſummæ dignitatis antiqua principia, prædicent claritatem generis, glorientur fumoſas & famoſas centum avorum imagines. Chriſtianum genus liberâ fronte elatoque ſpiritu dicit, ſe divino editum ſatu, ſummum inter homines Nobilitatis tenere principatum. Neque enim illi Poëtas, nugaces Deorum figulos, ſequuti, commentitium Iovem, aut Mercurium, Herculemve, ſed creatorem Mundi Deum principem authoremque ſui generis nominant. Non longo ſtemmate inclytum priſcæ nobilitatis ſanguinem ; ſed incluſum intus Numen, & cognatæ Divinitatis conſortium gloriantur. Nos in Divinâ numerati ſtirpe illum in cœlis Deum *patrem noſtrum* appellamus : magis authorem generis profeſſi, à quo accipimus immortalitatem ; quam qui nos in hoſtem miſeræ mortalitatis genuerunt. Nos [b] *ex divinæ propoſito voluntatis*

b Eph. 1. 5

luntatis per Christum Iesum in cœlestem adoptati familiam; [c] *geniti Verbo veritatis;* [d] *empti pretio magno;* (c Iac. 1. 18.) [e] *filii Dei omnipotentis*, ab ipso veritatis ore salutamur. (d 1. Cor. 7. 23.) Nos [f] *hæredes Dei, cohæredes Christi;* [g] *Fratres Christi;* (e Io. 1. 12.) (f Ro. 8. 17.) [h] *concives sanctorum & domestici Dei;* [i] *vocati in æternam gloriam;* (g Ps. 22. 23.) [k] *domini principesque Mundi*, dignissimo honoris titulo insignimur: (h Eph. 2. 19.) O eximiam Nobilitatem, quæ divino inserta generi Sanctos Dei homines Deique Filium propinquæ cognationis vinculo sibi conjungit! (i 1. Pet. 1. 7.) (k 1. Cor. 6. 2.) Quæritis tantę Nobilitatis Antiquitatem? Non formidat illa novitatis invidiã, inde usque à primo Mundi ortu in terris versata: quoad homines extitere, qui Christi sequuti disciplinã, incensi Christianę pietatis studio, recordati nasciturі de Mulieris semine Messiæ, delibuti sanctissimę Vnctionis oleo, in Christo salutis authore spem potiundę salutis deposuerunt. Petitis divinę Gentilitatis Insignia? Non hîc Aquila falcatos in prædam ungues distringit, non hiat Leo cruentis faucibus, non sibilant minaciter Dracones. Pro immanium Bestiarum simulacris [l] *Lux bonorum Operum* illustri Charitatis splendore in Dei gloriã ad hominũ oculos effulget. (l Mat. 5. 6.) Pro bullatis clypeorum ornamentis, [m] *immaculata fideliũ, ex obedientiâ & adspersione sanguinis I. Christi, sanctitas* conspicuę claritatis radios diffundit. (m 1. Pet. 1. 2.) Vultis scire, quibus artibus paretur tam præclaræ dignitatis (*Sed gratuito.*)

amplitudo? Nemo in illum Nobilitatis ordinem à parentibus nascitur: nemo suis illuc viribus, aut improbo honoris ambitu irrumpit.

n Rom. 9. 16. *Neque enim est* [n] *volentis, non currentis; sed miserentis Dei.* o Eph. 2. 8 *Non est* [o] *ex nobis ipsis fides; Dei donum est.* Non impetrat quisquam æternæ felicitatis p Rom. 8. 30. gloriam, *nisi* [p] *quem Deus prædestinavit, quem vo-* q 1. Io. 4. 10. *cavit, quem justificavit.* [q] *Non diliximus nos Deum* r Eph. 1. *priores, sed ille prior dilexit nos.* [r] *Ille nos elegit in Christo ante Mundi constitutionem: ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus.* [s] *Ille nos genuit vo-* s Iac. 1. 18. *luntariè Verbo veritatis.* [t] *Illius gratiâ justificati hæ-* t Tit. 3. 7. *redes sumus vitæ æternæ.* Quis hanc dignitatem aut natalium fortunæ, aut voluntatis suæ arbitrio adscribat; cum [u] *omnes iræ simus filii, mor-* u Eph. 2. 3. & 4. *tui in peccatis.* [x] *Non idonei quidem ex nobis ipsis ad* x 2. Cor. 3. 5. *cogitandum quicquam; nisi id habeamus à largitore Deo?* Quos enim stirps illa malitiæ virtutis ederet fructus, [y] *sensu & cogitatione humani cordis,* y Gen. 8. 21. *inde à primâ usque adolescentiâ, in malum pronâ?* Ita induratâ inveterataque pravitate, [z] *ut non* z Ier. 13. 23. *corrigi possit facilius; quam Aethiops pellem, pardus maculas mutet.* Postquam illa primi criminis labes generi humano semel adhæsit, nemo sine divino instinctu ullam veræ virtutis actionem suscipere, nemo pietatis religionem colere, nemo suæ salutis præsidium collocare in Servatore Christo potuit. Qui ordinati sunt ad vitam æternam, qui adoptati sunt in stirpem

divinæ

divinæ gentilitatis, qui unctionem habent à Spiritu sancto, in ordinẽ & dignitatem Christianæ Nobilitatis admittuntur. Divinæ Vnctionis virtute positi in terris cœlitum jura consequimur, ad Christi similitudinem Reges, Sacerdotes, Doctores facti.

Frustrà gloriaris, Iudæe, tractum ab Abrahamo patre genus, & aviti sanguinis inclytam nobilitatem. Christianos Deus, [a] vobis excisis rejectisque, in Abrahami stirpem insevit: non illius sanguine procreatos; sed fidei virtutisque vestigia ingressos. Stulte circumcisam pellem, in testimonium divinæ Gentilitatis ostentas. Christianorum [b] *non ex homine; sed ex Deo est circumcisio*, cordium præputio, in signaculum justitiæ, resecto. Nihil est, quod suam docti sapientiam, principes potentiam, generoso majorum oriundi sanguine nobilitatem collaudent. Ad Christianæ Gentilitatis ordinem adscripti sunt [c] *non multi secundum carnem sapientes, non potentes, non nobiles.* Qui stulti videntur mundo, qui infirmi, qui ignobiles, eos in familiam suam allegit Deus: ne quisquam de suâ magis præstantiâ, quam divinâ benignitate glorietur.

a *Io. 8. 39.*

b *Rom. 2. 28.*

c *1. Cor. 1. 26.*

Vetustæ Nobilitatis Antistites.

In hac Nobilissimorum hominum familiâ clarum antiquis temporibus nomen tenuerunt Divini illi homines: qui tanquam in amplissimo collocati theatro speciosissima vir-

tutum exempla orbi terrarum universo ad imitandum proposuerunt. Ex illis fuit [d] *Abel* ille justus: cujus occisi sanguis, sublato in cœlum clamore, Deum paricidii vindicem imploravit. Ex illis [e] *Henoch*: qui familiariter usus in terrâ Deo, antequam mortem oppeteret, in cœlum est translatus. Ex illis [f] *Moyses*, servus Dei fidissimus, propheta omnium hominum maximus, coràm sæpè cum Deo congressus. Ex illis [g] *Abrahamus* propheta, minister, amicus Dei; [h] hæres mundi, pater credentium. Fuit in hoc Nobilium ordine [i] *Isaacus*, promissionis filius: [k] qui consecratus Deo in hostiam Christi supplicium adumbravit. Fuit [l] *Iacobus*, Christum scalis innixum summâ religione veneratus; [m] *David*, vir secundum cor Dei; [n] *Noachus*, præco justitiæ, justus perfectusque inter mortales. Fuere religiosissimi Patriarchę, divinissimi Prophetæ, Christianissimi Apostoli, infiniti alii veteris noviq; fœderis pręstantissimi homines: qui sancti motu monituque Numinis, ad virtutis exercitati studiũ splẽdidę Nobilitatis possessionem tenuerunt. Quos inter Christus Immanuel summũ honoris principatum tenet, Filius illę [o] magnus Altissimi, [p] imago Dei inconspicui, primogenitus omnis creaturę, [q] princeps Ecclesię caput, hęres creatorque omnium, splendor characterque divinę gloriæ, [r] plenitudo Deitatis, [s] perfectio absolutioque

d Gen. 4. 10.
e Heb. 11. 5.
f Num. 12. 7. Deut. 34. 10.
g Gen. 20. 7.
h Rom. 4.
i Gal. 4. 26.
k Gen. 22.
l Gen. 28. 12.
m Act. 13. 22. & 1. Sam. 13. 14.
n Gen. 6. 9.
o Luc. 1. 32.
p Col. 1. 15
q Col. 1. 18.
r Col. 2. 9.
s Io. 3. 34.

tioque omnium virtutũ, Deus in [t] sæculum sæculi,[u] Rex Regum & Dominus dominantium. t *Heb.1.8.* u *Apoc. 19.16.*

Vos ô Divini homines, principes solidæ Nobilitatis, exemplaria Religionis, specimina virtutum, omnium Gentium, omnis memoriæ clarissima lumina, omnem humanæ laudis prædicationem exceditis. Non est tantum in me ingenii flumen, nõ est illa dicendi ubertas, ut cœlestem animorum vestrorum indolẽ virtutesque admirabiles non dicam exornare; sed enarrare possim. Quantum tamen possum valeoq;, excellentem glorię vestræ speciem atque imaginem tenui sermone adumbrabo, & quã manifestis exprimere signis nequeo, rudis styli ductu, & quasi obscuris lineamentis describam: si forte ingenii vestri simulacro quotidie oculis proposito aliquam ejus præstantiam, quam voluntate studioque proximè accedo, imitatione possem consequi.

Primũ & principem Christianæ Honestatis locum tenet *Iustitia*, illa omnium Domina & regina virtutum, jus cuique suum distribuens: Deo reverentẽ Honorem; proximo benevolentem Amorem. Illud Religiosæ est Pietatis, hoc gratiosæ Humanitatis. Pietas lumen columenq; cæterarũ virtutũ debito Religionis defungitur officio, purè castéq; de Divino Numine sentiens, & diligentem illi Cultũ tribuens. Nihil æquè Christiano homini studio curæque *Pietas religiosi sensus.*

est,

est, quam Deum cognoscere, & rectam de illius Numine ac Mente, opinionem habere. Quam sit immensæ virtutis vis illa rerum omnium arbitra, quam interminatæ magnitudinis, quam inexhaustæ bonitatis, quam perfectè æquitatis, quam infinitæ sapientiæ, quam cumulatæ beatitatis, quotidie secum expendit & meditatur. De augustis Trinitatis admirandæ mysteriis, de patefactâ Divinæ Voluntatis certitudine, de satione curaque rerum omnium, à provido Numine profectâ, multam attentamque cogitationem suscipit. Quæ cum captum humanæ rationis excedant, religiosius semper veneratur; quam indagine sui ingenii venatur: miratur sanctè; non rimatur curiose. Itaque Deum in sacris loquentem Literis assiduè frequentat, fusa ipsius instinctu afflatuque oracula diligenter evolvit. Ex illis colendi Numinis religionem, consequendæ salutis rationem, instituendæ vitæ moderationem discit. Quippe credit, [x] *inspiratam esse divinitus Scripturam, utilem ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia:* [y] *fundatam in angulari lapide Christo, innixam stabilimentis Prophetarum & Apostolorum*, [a] *docentem salutis consequendæ mysteria.* Hanc scrutatur, hanc intentis oculis animisque noctes atque dies evolvit. Quâ diligentiâ reduces à Babylone [b] Israëlitæ quater quotidie divinæ Legis codicem

x 2. Tim. 3.16.

y Eph. 2. 20.

a 2. Tim. 3.

b Nehem. 9.3.

codicem legebant: [c] *Daniel* Babylonicæ captivitatis tempus ex Prophetarum ſcriptis computabat: Candaces [d] *Reginæ Aulicus* Ieſaiæ vaticinationes in itinere expendebat: [e] *Beroënſes* quotidie Scripturas ſcrutabantur: [f] *Apollos* & [g] *Timotheus* attentam & conſideratam ſacris ſcriptis lectionem adhibebant.

c *Dan.* 9. 2.
d *Act.* 8. 28.
e *Act.* 17. 11.
f *Act.* 18. 24.
g 1. *Tim.* 4. 13.

Religioſi cultus.

Ita inſtituti inſtructique cognitione Numinis omnem in eo colendo curam atque induſtriam collocant. Omnem rationem, actionem, cogitationem, in commemorandis beneficiis, in prædicandâ virtute, in celebrandâ Dei laude conferunt. Nullum ſine meditatione divinorum operum temporis momentum prætermittunt. Nullam in propagandâ Dei gloriâ occaſionem negligunt: non attendunt hominum gratias, non curant moleſtias. Tantâ obſtringuntur religione, ut non ſpirent penè ſæpius; quam de Deo cogitent. Non ita cervus vitreos fluentium aquarum deſiderat latices; non ancilla in heræ vultum defigit attentius oculos; non excubitor nocturnus diligentius ſurgentem obſervat diem: quam illi fontem bonorum omnium, authorem ſuæ ſalutis, rectorem omnium rerum, datorē omnium bonorum Deum. Vt [h] pictor Ethnicus ductâ quotidie lineâ inſignem ſuæ artis profectum faciebat: Vt [i] Imperator periiſſe diem putabat, quo non aliquam beneficio erogato gratiam

h *Apelles.*
i *Veſpaſianus.*

gratiam collegisset: Ita illi omne vitæ tempus animique studium in percipiendâ & perficiendâ virtute ponunt, sine contemplatione operum cœlestium nullam passi horam diffluere. Tam verò summi amantes sunt boni, ut præ illo omnia mortalia nihilo minoris æstiment, amico Numine satis felices. Tam illius reverentes, ut nihil magis offendat ipsos, quam offensionem benè merenti Numini conciliare: citius rem, decus, vitam; quam illius gratiam effusuri. Si quid malæ mentis vitio, & erroris humani culpâ deliquerint, statim ad humiles dejecti preces veniam suppliciter poscere, nativæ pravitatis indolem queri, gratiam cum offenso Deo reconciliare, fidum pietatis obse-
k Gen. quium promittere. Quâ dolentis animi ægri-
42.28. tudine [k] *Patriarchæ Iacobi filii* fœdum paricidii
l 2.Reg. 22.19. crimen; [l] *Israelitæ* turpissimam in Deum perfi-
m 2.Par. 32.26. diam; [m] *Ezechias* superbam operũ suorum glo-
n 2.Par. 33.12. riationem; [n] *Manasses* nequitiam; *Esdras* & po-
o Esd.10. 2. pulus idololatriam; [p] *Iobus* temeritatem; [q] *Nini-*
vitæ impietatem; [r] *Petrus* perjurium; [s] Dilapi-
p Iob 42. 6. dator *Adolescens* vitæ dissolutionem; [t] *Zacchæus*
q Ion.3.5. fraudationem; [u] *Latro* pendens juxta Christum
r Luc.22. 62. scelestorum facinorum noxam, in miserabiles
s Luc.15. 18. effusi gemitus, deplorarunt.

t Luc.19. 8. Atque ut ardenter amant Deum ipsi; ita
u Luc.23. 42. non minus impensè amari se ab ipso credunt, tam stabilis fiduciâ benevolentiæ omnis for-

tunæ

tunæ ſecuri. Habent namque ſibi perſuaſum,
[x] quod in unum coagmentati compactique x Ro. 12.
cum Chriſto corpus, [y] Hæredes Dei, [z] de- 5.
ſcripti in manibus Dei, [a] dilecti Deo, [b] ſelecti y Ro. 5.
è mundo, [c] electi ante mundi conſtitutionem, 17. z Eſa. 49.
[d] edocti actique à S. Spiritu, nunquam Dei 16. a Io. 16.
gratiâ excidere, nullâ vi à divini amoris con- 27.
junctione divelli poſſint. Itaque ſi proſperè b Io. 15.
quicquam illis eveniat, Deo bonorum om- 19. c Eph. 1.
nium fonti juſtis honoribus promptaq; men- d Eſa. 54. 13.
te gratiam perſolvunt. Sin adverſe; & immiſ-
ſam cœlitus cladem agnoſcunt, & erecti in
ſpem boni eventus, quicquid eſt damni, æ-
quo animo patiuntur: [e] nihil diffiſi, *ſocios paſſio-* e 2. Cor. 1.
num Chriſti, ſocios conſolationum fore. Interea [f] ſi- 5. f 1. Theſſ.
ne intermiſſione orant, certâ in Deum fidu- 5. 17.
ciâ, [g] quodcunque ſecundum illius volunta- g 1. Io. 5.
tem petierint, impetraturos. Iſto adminicu- 14.
lo [h] *Lothus* igneam, donec in tuto eſſet, procel- h Gen. 19.
lam repreſſit. Iſto [i] Abrahami *Famulus* deſi- 19.
gnatam divinitus herili filio ſponſam agnovit. i Gen. 24.
Iſto *Iacobus* immanem fratris animum miti- 12. k Gen. 32.
gavit. Iſto [l] *Moyſes*, tenſis ad cœlum manibus, 11.
hoſtium violentiam inhibuit: iram [m] offenſi l Ex. 17. 11.
Numinis placavit: [n] ex petræ viſceribus ube- m Num. 16. 22.
rem aquæ fontem expreſſit. Magna precum n Num.
tuarum fuit fiducia, magna vis, [o] *Ioſua*: cum 20. 11.
præcipitem ſolis curſum refrænares. Magna o Ioſ. 10. 13.
tuarum, [p] *Hanna*: cum effœti corporis par- p 1. Sam. 1. 10.

tum

q 2. *Sam.* 15.31. tum à Deo extorqueres. Magna tuarum, [q] *David*: cum ab omni nudus præsidio improbum Achitophelis consilium conatumque tui perdendi everteres. Ita [r] *Salomon* divinæ mentis sapientiam impetravit. [s] *Elias* tractam de cœlis animam mortuo restituit: cœlum obstruxit, & reseravit. [t] *Ezechias* vitam fugientem in plures annos protraxit. [u] *Assa* infinitas Æthiopum copias profligavit. [x] *Daniel* servitutis Babylonicæ jugum abjecit. Christus & Apostoli ejus morbos ægris corporibus depulerunt, cœcis visum, surdis auditum, mortuis vitam restituerunt.

r 1. *Reg.* 3.12.
s 1. *Reg.* 17. & 18.
t 2. *Reg.* 20.2.
u 2. *Par.* 14. 11.
x *Dan.* 6. 11.

Piorum nobilium exempla.

Quando vestrę Pietatis imaginem intueor, sanctissimi Dei homines, profectò vehementissimè animus mihi ad æmulationem tantarum virtutum accenditur. Tuæ est bonitatis, Christe, ut crescat illa mihi flamma in pectore: neque prius sedetur, quam aliquam à tam prę stantis honestatis gloriâ similitudinem duxero. Satis mihi est, si sectator bonarum artium serpam per signata ab illis vestigia; etsi à præeuntibus longo relictus intervallo. Quis enim non cum justo [y] *Abele*, oblatis religiosè victimis, in bonâ Numinis gratiâ cupiat versari? Quis non cum [z] *Henocho*, & [a] *Noacho* familiari consuetudine Deo desideret conjungi? Quis non cum [b] *Abrahamo*, [c] *Isaaco*, [d] *Iacobo*, consecratis sanctissimè monumentis, nomen Dei reli-

y *Gen.* 4. 4.
z *Gen.* 5. 22.
a *Gen.* 6. 9.
b *Gen.* 12. 7.
c *Gen.* 26. 2.
d *Gen.* 33. 20.

religiosè velit invocare. [e] *Moyses* fidelissimam e *Num.*
in Dei domo pietatis operam præstitit : [f] fide *12.7.*
sanguinis effusionem & pascha celebravit : f *Heb. 11. 24.*
[g] publicæ cladis deprecatione veniam igno- g *Num.*
scendi postulavit. Quem non tantæ pietatis *14. 19.*
cogitatio afficeret? [h] *David*, vir secundum h *Act. 13.*
cor Dei, promptè alacriterque divinæ volun- *22. & 1. Sam.*
tati obtemperavit. *Simeon*, *Zacharias* sacerdos *13.14.*
& *Elisabetha illius uxor*, *Cornelius Centurio*, synce-
ræ pietatis & justitiæ laudem divino testimo-
nio impetrarunt. Cui non ad æmulationem
tantæ gloriæ animus exardesceret? Quam ex-
cellenti divini Numinis cognitione instructus
fuit [i] *Barnabas*, Antiochenæ Ecclesiæ Doctor,
Spiritu S. plenus; *Apollos* [k] Scripturæ potens; i *Act. 14. 35.*
[l] *Paulus* per Christi revelationem edoctus; [m] *A-* k *Act. 18. 24.*
postoli largissimis Sp. S. donis instructi; Prophe- l *Col. 1. 12*
tæ afflatu Numinis eruditi! Quam fuit amans m *Act. 2. 4.*
reverensque Dei [n] *Abrahamus*, filium unigeni- n *Gen. 22.*
tum Deo victimam oblaturus; [o] *Obstetrices Æ-* *12.*
gyptiæ in jugulandis Isr. infantibus crudum o *Ex. 1. 17.*
Pharaonis imperium negligentes; [p] *Abdias*, A- p *1. Reg. 18.*
chabi Regis *Oeconomus*; [q] *Hananias* Princeps; q *Nehem. 7.2.*
[r] *Iobus* Deum timens, & à malo recedens, sim- r *Iob. 2.3.*
plex rectusque; *Maccabæi* fratres, nullis neque
territi minis, neque corrupti Regis blandi-
tiis, ut à Deo discederent; [s] *Maria* Christi ca- s *Mat. 26. 7.*
put unguento perfundens, pedesque ejus la-
crymis rigatos capillo detergens; [t] *Petrus* & t *Io. 21.*

Ioannes singulari servatorem Dominum amore prosequuti! Quam confidentes Deo *Iosua*, *Samson*, *Iephta*, *Ionathas*, *Asa*, *Iosaphatus*, ma-
u Dan. 3. gnis animis hostiles copias adorti; [u] *Socii Danie-*
x 1. Esd. 8. *lis* in æstuante camino divinæ opis securi; [x] *Esdras* præsidiarios Persarum Equites repudians;
y Neh. 4. [y] *Nehemias* nullius in ædificandâ urbe periculi
z Luc. 1. terrore consternatus; [z] *Maria* illibato pudore conceptum utero suo Mundi servatorem credens; [a] *Maria Magdalena*, [b] *Mulier Cana-*
a Luc. 7. b Mar. 7. *naea*, atque [c] *alia* molestissimo sanguinis fluxu
c Luc 8. 43. cruciata! quorum fiduciam nulla vis adversitatum potuit labefactare. Quam ardens propagandæ Religionis habuit studium [d] *Ia-*
d Gen. 35. 2. *cob*, familiâ suâ à soceri Labanis idololatriâ ex-
e Iud. 6. 25. piatâ; [e] *Gedeon* patris sacratam Baali aram demolitus; *Asa*, *Iehu*, *Iosias*, *Ezechias*: & illorum imitati pietatem *Constantinus M.* *Valentinianus II.* *Iustinianus II.* *Theodosius*, *Carolus M.* & nostrâ patrumque memoriâ religiosissimi per Europam Principes ac Doctores; qui aut generosæ feritatis bipennem; aut animosæ veritatis pennam in profanæ impietatis aras distrinxerunt. O religiosissimos mortales, quorum omnis actio, ratio, vitæ institutum nihil aliud fuit, quam constans ac perpetua divinæ laudis prædicatio! Qui omni labore studioque in eam semper cogitationem incubuerunt, ut cœlesti Numini suus in

terris

terris honor dignitaſque conſtaret.

Pietati affinis eſt *Charitas*: ut illa in colendo Deo religioſa; ſic iſta in diligendo proximo officioſa. Non alia eſt virtus, quæ hominem magis ad divinæ Nobilitatis ſimilitudinem efformat. Scivit hoc inter Ethnicos *Pythagoras*: qui rogatus, quomodo homines Deo redderentur conformes, [f] *Si aliis benefaciant*, reſpondit. Neque aliud eſt Deum imitari quàm prodeſſe omnibus, nocere nemini. Ille indigniſſimis miſericordiam ſuam impertit. Ille flagitioſiſſimis magnorum munerum facultatem tribuit. Ille ſuſpenſis ſcelerum pœnis, ut ad meliorem redeat mentem, reſipiſcendi ſpatium homini concedit. [g] Ille Solis lucem probis improbiſque, pluviam juſtis injuſtiſque de cœlo affundit. Ad cujus benignitatis imitationem tam contendit impigrè Chriſtianus, ut omne vitæ ſuæ ſtudium in omnium hominum Charitatem comparet. Novit ſancitum eſſe Chriſti lege, ut divini amoris exemplo [h] *mutuam aliis alii tribuant voluntatem*. Novit, [i] *ſine proximi charitate vanam & ſimulatam eſſe Dei dilectionem*. Novit, [k] *charitatem legis eſſe plenitudinem*: [l] *perfectionis vinculum*: [m] *operimentum peccatorum*. Nullam hîc metuas fucatæ orationis fraudem. Neque enim [n] *linguâ, ſed opere ac veritate*: ſed [o] *fraterno amore, ſimplicique corde*: *cum* [p] *conſcientia bona*,

Charitas.

f *Ælian. l.12.*

g *Mat.5.45.*

h *Io.13.34.*

i *1.Io.4.*

k *Ro.13.8.*

l *Col.3.14*

m *1.Pet.4.8.*

n *1.Io.3.18.*

o *1.Pet.1.22.*

p *1.Tim.1.5.*

& fide non ficta Christianus amat.

Benefaciens proximo. Itaque proximum pro virili parte juvat, promovet. Labentem erigit, dolentem solatur, errantem ducit, laborantem confirmat, benè de universis meretur. Quicquid ingenio, labore, studio, vigilantiâ perfici potest, semper pro aliorum commoditate liberalissimè suscipit. Nullam in juvando proximo molestiam formidat, nullum corporis periculum ad propugnandam bonorum salutem extimescit. Tum demum sequi se Ducem Christum putat, cum omnes suas opes in publicum bonum erogat: ut ille divinas nobiscum opes communicat. Neque hoc ita prorsus arduum: cum Christianus etiam in angustiis omnia benignitatis jura tueatur, ut non desideret magnarum opum abundantiam. Nunquam igitur beneficentiæ suæ fontem obstruit:

q *Act.* 20. 35. [q] majorem dati, quam accepti beneficii ratus beatitatem. Quâ bonitatis indole [r] *Abrahamus* Lothum patruelem hostium prædonum potestati eripuit, & in libertatem manu vindicavit. [s] *Lothus* Dei Angelos hospitio excepit. [t] *Moyses* offensi Numinis gratiam populo reconciliavit. Ægyptiæ [u] *Obstetrices* masculam Hebræorum stirpem conservarunt. [x] *Abdias* centũ Prophetas Iesabelis sævitiæ eripuit. [y] *Sareptana* vidua Eliam in partẽ sui commeatus accepit. [z] *Sunamitis* prætereuntem Eli-

r *Gen.* 14. 14.
s *Gen.* 19. 2.
t *Ex.* 32. 32.
u *Ex.* 1. 17.
x 1. *Reg.* 18. 4.
y 1. *Reg.* 17.
z 2. *Reg.* 4.

ſæum ad epulas invitavit. [a] *Rebecca* Abrahami ſervo potum miniſtravit. [b] *Iacob* Eſavo fratri dona liberalia dedit. [c] *David* Ionathanis liberos benignè ſuſtentavit. [d] *Berzellaius Gileadites* fugientem Davidem commeatu juvit : ut captivam Iudæorum plebem [e] *primores Ephraimitarum*. [f] *Nehemias* æs alienum populo remiſit. [g] *Magi* Chriſto nato munera obtulerunt. [h] *Paulus* ſuum pro fratribus devoveri caput optavit. [i] *Chriſtus*, ille miſerationum theſaurus, populo eſurienti cibum ſuppeditavit.

a *Gen.24. 18.* b *Gen.33. 11.* c *2.Sa.9. 7.* d *2. Sam. 19.32.* e *2.Par. 28.* f *Nehem. 5.10.* g *Mat.2. 11.* h *Ro.9.3.* i *Mat.15. 32.*

Pauperi.

Et ne fœnerari venarive putetur potius; quam dare beneficium : illis potiſſimum hominibus opitulatur, quos inopia impedit ad gratiam referendam. [k] Hoſpitem Chriſtum recipit, nudum operit, egentem ſatiat, infirmum viſitat. Fert miſeris, quam poteſt, opem. Præbet perfugium afflictis, tribuit miſericordiam perculſis, [l] *neceſſitatibus maximè Sanctorum opitulatur.* Nihil à ſuâ profeſſione putat alienius, nihil Deo adverſius; quam inhumanam in pauperes inhumanitatem: A quo vitio quam fuit remotus [m] *Boos*, omni deſtitutam ope Rutham benigniſſimè ſuſtentans! Quam averſus [n] *Iobus*, oculus cæci, pes claudi, pater pauperum! Quam alienus ille [o] *Samaritanus*; & [p] *Cornelius Centurio*; & [q] *Zacchæus publicanus*; [r] & univerſa ſub Apoſtolis Eccle-

k *Mat.25. 40.* l *Ro.12. 13.* m *Ruth. 2.8.* n *Iob 29. 15.* o *Luc.10. 33.* p *Act.10. 2.* q *Luc.19. 8.* r *Act.4. 32.*

ſiæ naſcentis Reſp. ! quæ devincta mutui amoris conſenſione omnes ſuas facultates in communem omnium uſum effudit.

Inimicis. Hoc verò eſt cumulatiſſimę Charitatis,non invidere ſuam cuique felicitatem, non ſuſpicioſe ſimplicium innocentiam arguere, non ſiniſtre alienam mentem interpretari, majorem cum pravitate ſuâ, quàm cum homine alio inimicitiam gerere. At cum non incenditur vexatus criminantium maledictis, cùm provocatus injuriis nullam ultionem molitur, cum inimicorum improbitatem magnitudine beneficiorum vincit, cum illorum ſaluti conſulit, à quibus per ſummum ſcelus oppugnatur: hoc prorſus divinæ eſt virtutis. Quis tam effuſæ inter Ethnicos homines fuit benignitatis, ut eſurienti inimico cibum, ſitienti potum dederit? Vt pro adverſariorum ſalute ad Deum vota fecerit? Vt omnia manſuetudinis officia in hoſtes ſuos contulerit? Atqui eâ fuit propenſiſſimi amoris indole [r] *Chriſtus Servator*: qui ſectores ſuos impensè amavit, Solymææ Vrbis fortunæ acerbiſſimè illacrymavit, pro ſuorum hoſtium ſalute caput vitamque devovit. Cujus exemplo [s] *Ioſephus* ſanguinariam fratrum improbitatem omnibus ſummæ benevolentiæ officiis remuneravit. [t] *David* Saulis adverſarii vitam defendit; [u] mortem luxit; convitiantem [x] *Semei* ab exitio prohibuit.

r Ro. 5.8.
s Gen. 45. 3.
t 1. Sam. 26. 9.
u 2. Sam. 1. 12.
x 2. Sam. 16.

y *Samuel*

[y] *Samuel* rejectum à Deo Saulem graviſſimè doluit. [z] *Stephanus* protomartyr à Iudæis parricidis; [a] *Paulus* Apoſtolus ab improbis deſertoribus, vindicis Dei pœnam deprecatus eſt.

y 1. Sam. 15 35. z Act. 7. 60. a 2. Tim. 4. 16.

Hæc ut erga Deum atque Homines juſtitiæ præſtet officia Chriſtianus, à *Moderatione Continentiaque* præſidium mutuatur: ne pudorem inverecundia, rationem amentia, bonam mentem improba libido pervertat. Ita verò totum ſe moderatur, ut corporis utatur ſervitio, animi imperio. Senſiones actioneſque externas juſti pudoris coërcet frœno, ne ultra honeſtatis limitem exeat effrœnis licentia. Oculis, auribus, linguæ fidam ſemper cuſtodiam apponit, ut in bonæ mentis maneant imperio: ſermone gravis, vultu pudicus, aure religioſus. In dictis omnibus factiſque non famæ magis; quam præſentis Dei ſuæque reverens conſcientiæ. Præcipuam Linguæ adhibet cautionem, providetque diligenter, ne evagata longius vanâ profuſaque garrulitate finem & modum loquendi tranſeat. Vt aquis objiciuntur littora & aggeres, ne ſe effundant: Ita ille prudentiæ ſepimentum apponit, ne liberius diffluat: [b] *de otioſo quoque verbo reddendam Deo rationem ratus.* [c] *Infinitam loquacitatem peccati feracem:* [d] *turpiculos ſermones à turpificati cordis prodire ſeminario* ſtatuit: ex oratione æſtimatis hominum moribus;

Moderatio & continentia.

Linguæ.

b *Mat. 12.38.* c *Prov. 10. 19.* d *Mat. 12.35.*

ut fictilia vasa tinnitu. Itaque religio est, ridiculis in aliquem facetiis ludere, scurrilibus jocis indulgere, obscœnâ dicacitate cavillari, de rebus vanis, alienis, turpibus sermonem instituere. [e] *Nullum ex ore malum verbum effutit; sed*
e Eph.4. 29. *si quid ad ædificationem fidei bonum, & audientibus fuerit gratiosum.* Omnem verò orationem prudentiæ sale adspergit, [f] *ut cogitet, quomodo affari*
f Col.4.6. *quemvis oporteat.*

Oculorũ. Eandem in gubernandis Oculis curam adhibet: ne vanâ vagâque volubilitate huc illuc otiose oberrent, & [g] *cum stultis in extremo ter-*
g Prov. 17.24. *ræ versentur.* [h] *Nequam vultu nihil putat esse pejus.*
h Eccl.13 [i] Oculum lucernam esse corporis statuit: *ex*
i Luc. 11. 34. *cujus rectitudine claram fundi lucem; ex pravitate ac malitiâ tenebras intendi.* Itaque ita semper luminum aciem moderatur, ut quæ recta sunt, intueantur: ne cum Evâ, cum priscis Dei filiis, cum Dinâ, cum Ægyptii Potipharis uxore, cum Davide, & illius filio Ammone animum à virtutis scopo deflectant. [k] A vanita-
k Ps.119. 37. tis spectaculo oculos avertit. Quod concupiscere non licet, hoc neque intueri fas putat.

Aurium. Neque minore industriâ ad Aurium custodiam advigilat: ne quis se illis obscœnæ vocis susurrus insinuet, qui noxium animo vulnus infligat. Non Athletæ olim follibus muniebant aures diligentius, ne ad ictum paterent:

ut

ut ille, ne pravis ſermonibus occupentur. Si portarum aditus nullo cuſtode ſeriſve obſtruantur, certum ab hoſtili violentiâ imminet periculum: Ita perniciosis ſermonibus libero ad aures acceſſu, in animum accipitur peccati malignitas, nullo facilè ſtudio præcavenda. [l] *Corrumpunt enim bonos mores prava colloquia.* Illiciunt in certam perniciem Sirenum cantus, humano ingenio in beſtialem fœditatem efferato. [m] Quid magis opus eſt, quam ſpinis aures ſepire, feraſque illis addere: ne malæ linguæ venenum intus hauriant, animo illecebrâ vocis obſcœnæ depravato? Ita ſui in toto corpore moderationem tenet, ut ſonum vocis libret modeſtia, in vultu refulgeat verecundia, aures religioſæ bonis tantum ſermonibus pateſcant.

l *1. Cor. 15. 33.*

m *Eccl. 24.*

Affectionum & Libidinũ.

Præcipua ad componendum Animi ſtatum advigilat induſtria: ne indomitæ atque effrænatæ cupiditates, excuſſo Rationis gubernaculo, inſolentius efferantur, raptæque præcipiti furoris impetu bonæ Mentis ſtatum evertant. Anchora vado impacta fluctuantem in mari ſiſtit navem, ne ventorum violentiâ in ſyrtes detorqueatur. Equorum exultantium ferocia frœnis lupatiſque compeſcitur. Beſtiæ immanes vinculorum retinaculis coërcentur. Ita ille effundentem ſe vehementius libidinem Rationis continet imperio: ne de-

jecto semel jugo evagata libero cursu in certam perniciem hominem adducat, acerbis odiis, immoderato amore, infinitis desideriis, metu lætitiave inconsultâ jactatum. [n] *Vt namque concepit concupiscentia, parit peccatum: quod consummatum generat mortem.* Qui [o] *verò Christi sunt, carnem crucifixerunt cum concupiscentiis & affectibus.* Non sequuntur sensus & [p] *cogitationem humani cordis, inde usque à puero in malum pronam. Non erigunt oculos* [q] *ad opes, quas consequi non possunt.* [r] *Amoverunt à corde iram, à carne malitiam.* [f] *Divinæ consortes naturæ fugiunt ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.* Hoc animi sunt robore, atque hac indole virtutis & continentiæ, ut respuant indecoram egregiis viris voluptatem: non efferantur improbâ spe: non dejiciantur degeneris animi metu. Quos non incendit iracundiæ acerbitas, non vexat misera honorum contentio, non urget opum profusa cupiditas, non inflat cæca suæ præstantiæ persuasio, nullis obscœnę veneris & vẽtris desideriis extabescunt. Divitiarũ modum ex eo metiuntur, quantum cuiq; satis est. Neq; parum videtur, quod satis est; neq; multum quod satis nõ est, intra naturę mẽsurã coërcitâ cupiditate.

n Iac. 1. 15.
o Gal. 5. 24.
p Gen. 8.
q Prov. 23. 5.
r Eccl. 11.
f 2. Pet. 1. 4.

Igitur non quærunt anxiè in terrâ thesauros, qui furto possint tolli, & vetustate consumi. Neque tam abundantem opum possessionem diligunt; quam usum moderatum. [t] Si affluunt

t Ps. 62.

affluunt largius, non apponunt illis cor. [u] *Cen-* u 1. Tim. 6.6.
sus verò longè maximus est pietas, cum animo suâ sorte
contento. Nihilo impensiore studio magni No-
minis popularem quęrunt auram: neq; suscep-
tis de honoris principatu inimicitiis [x] *alii alios* x Gal. 5. 26.
provocant, alii aliis invident: [y] *Nihil gerunt per con-*
tentionem, aut per inanem gloriam, sed ex modestiâ y Phil. 2. 3.
alium quisque se præstantiorem existimat. [z] *Quod al-* z Luc. 16. 15.
tũ videtur hominibus, abominationẽ esse apud Deum
statuunt. [a] *Qui se insolenter attollit, eum divinâ ma-* a Mat. 23. 12.
nu humiliari, & ab edito honoris fastigio dejici. Con-
tineri exiguis regionibus gloriæ splendorem,
& intra breve admodum tempus extingui.
Obscurari humanarum rerum memoriam,
tandemq; evanescere, ac oblivione sempiter-
nâ deleri. Vnicam in virtutis eminentiâ sitam
esse gloriam, quæ ad modestiam suique con-
temptionem homines componat: ut, cum sol
in alto est, minores jacit umbras, & gravidæ a-
ristæ prono fastigio se inclinant. Quo animi
robore iracundiam cohibent: quâ nihil fieri re-
ctè, nihil consideratè potest. [b] *Omnem amaru-*
lentiam & excandescentiam, & iram, & clamorem, b Eph. 4. 31.
& maledicentiam cum omni malitia à se removerunt.
[c] *Cum modestia & mansuetudine, cum animi lenita-*
te alii alios tolerant per charitatem. Si fortè effer- c Eph. 4. 2.
vescente animo irascantur, non peccant: [d] *ne-* d Eph. 4. 26.
que proferunt iram in solem tenebris conditum ab om-
ni acerbitate & ulciscendi libidine alieni. Et

quia

quia uberiore corporis paſtu animi plerumque luxuriant & inſoleſcunt; ut ager injecto fimo in herbas effunditur; gulæ ventriſque deſideria intra naturæ modum reſtringunt: [e] *mentis præcincti lumbis ſobrii.* Ita corpori ſubtractis luxuriæ alimentis facilè animo caſtimoniam præſtant: [f] *hanc eſſe Dei voluntatem edocti, ut abſtineant à fornicatione, ſciatque unuſquiſque poſſidere vas ſuum cum ſanctificatione ac honore.*

e *1.Pet. 1.13.*

f *1.Theſſ. 4.3.*

Illam Chriſtianorum hominum natio moderationem rationemque continentiæ obſervat, diſſolutam vivendi libertatem ſibi præcidens, libidinem bonæ mentis imperio coercens, affectus rationi obluctantes intra modeſtiæ gyrum revocans, cibi potioniſque cupiditatem naturæ modo, pecuniam recto uſu, dignitatem virtutis precio æſtimans. Suâ ſorte contenta non ambit ſolicitè popularis gratiæ auram, non quærit anxiè abundantes opes, non obtrectat malignè alienæ felicitati. In ſole & ſale ſatis habet omnium rerum, ſi in propitii Numinis gratiâ verſari ſe intelligat. Dubitatis, iſtâ in victu cultuque corporis continentiâ, in moderandis animi affectionibus integritate homines unquam extitiſſe? Quam igitur de [g] *Iobo* habetis opinionem? qui ſe cum oculis ſuis pepigiſſe fœdus teſtatur; ne illicito venuſtatis paſtu oblectaretur. Qualem de [h] *Davide?*

g *Iob.31. v.1.*

[h] *Davide* ? qui ſummo enixus ſtudio ori atque h *Pſ.* 39.
linguæ cuſtodiam appoſuit: ne quod intem- *1.*
peſtivâ dicendi licentiâ facinus admitteret.
Qualem de aliis Chriſtianis ? qui [i] mortui cum i *Col.* 3.5.
Chriſto mortificarunt impuritatem , molli-
tiem, cupiditatem malam , avaritiam. [k] Qui k *Col.* 3.8.
depoſuerunt iram , excandeſcentiam , mali-
tiam , maledicentiam , verborum turpitudi-
nem , ſumptis hominis novi exuviis, ad Dei i-
maginem reformati.

Magni eſt profectò Animi iracundiam co-
hibere , vindictæ cupiditatem reſtinguere ,
nullis turbatum injuriis de poſſeſſione mentis
exire. At illâ fuit animi magnitudine [l] *Abra-* l *Gen.* 13.
hamus , ſedem fortunarum ſuarum potius alio
tranſlaturus, quam ut cum patruele *Lotho* de
paſcuis in contentionem veniret. Fuit [m] *Moy-*
ſes: qui ſupra omnes homines mitiſſimus nul- m *Num.* 12.3.
lo fratris ſororiſque jurgio excanduit,pro illo-
rum etiam incolumitate vota Deo faciens.
Fuit [n] *David*,nullis *Simei* maledictis ad irã pro-
vocatus.Fuit [o] *Chriſtus*, miti corde;qui oppreſ- n 2.*Sam.* 16.
ſus & afflictus non aperuit os ſuũ vexatus acer- o *Eſa.* 53.
biſſimis contumeliis,ut ductus ad mactationẽ 7.
agnus , obmutuit. Summæ eſt Virtutis , pu-
dorem ac pudicitiam defendere , corpus pu-
rum atque inviolatum , mentem à libidinum
impetu caſtam atque integram præſtare. At
præſtitit illam caſtimoniam [p] *Ioſephus*, impor- p *Gen.* 39. 8.
tunæ

tunæ mulieris nefariam cupiditatem incolumi pudicitiâ refutans. Præstitit alter [q] *Iosephus*, Deiparæ sponsus, in diuturno vitæ contubernio, tam à sponsâ abstinens, quam si soror illius fuisset. Præstitit [r] *Vrias*, non regiò permotus jussu, ut, flagrante bello, conjugalis tori dulcedine frueretur. Vir fortissimus ita domitam habebat libidinem, ut respueret omnem voluptatem, & genialis tori blanditias, dum in armis Reip. salus disceptaret. Egregiæ est laudis, in victu cultuque corporis Continentiam usurpare, modicè modestèque vivere, nunquã genio ad luxum indulgere. At meruit illam laudem [s] *Daniel*, rejectis Regiæ mensæ dapibus, tenui leguminũ victu, & aquæ potu contentus. Meruit [t] *Baptistes*, absque ullo vini siceræve usu, sylvestri melle ac locustis famem depellens. Meruere complures utriusque fœderis Sancti: qui religiosis ad cultum Numinis compositi jejuniis, [u] non *in commessationibus ac ebrietatibus, non in cubilibus & protervuis, non in lite & invidia versati fuere: sed Christum induti, ad explendas cupiditates omnem luxuriosæ carnis curam à se removerunt.*

q Mat. 1.19.
r 2. Sam. 11.9.
s Da. 1.8.
t Mat. 3. 4.
u Ro. 13. 14.

Romani summis laudum encomiis extulere *M. Catonem, M. Curium, Cn. Scipionem, Cincinnatum, Fabritium, Paulum Aemylium, Fabios, Aelios*: quod extinctâ pecuniarum cupidine animum ab omni quæstu averterint, antecellentes

tes aliis virtute ac honoribus, censu pares unicuique pauperrimo. Christianorum verò proprium est, opes caducas contemnere; nihil avarè, nihil injustè, nihil incontinenter facere. [x] *Non parare sibi thesauros in terra, quos ærugo & tinea depascat, fures effodiant & furentur.* Quærere ante omnia regnum Dei, neglectisque fluxæ fortunæ bonis, spe divinæ benignitatis inniti. Cujus fiduciæ præsidio [y] *Iacobus*, profugus inopsque in solius gratiâ Numinis spes atque opes suas collocavit. Ex qua sanguinis abstinentiæque stirpe [z] *David*, in divinæ legis amorem, non in avaritiam inclinari cor suum petiit. Patris sequutus exemplum [a] *Filius*, deprecatus opum magnarum abundantiam, tantum vitæ modicè sustentandæ subsidia rogavit. Sed quis digno satis ore [b] *Christi* Domini Abstinentiam deprædicet? qui cumulatissimas opum divitias mundo elargitus, ipse non tantum habuit, ubi fessũ caput reclinaret. Quâ indole illius *Discipuli*, [c] aurum vestemque nullius concupivere; [d] oblatam à Mago pecuniam respuêre; cœlestibus cõtenti divitiis [e] in fame, siti, nuditate magni erectique semper fuêre.

x Mat. 6. 19.
y Gen. 28.
z Ps. 119. 31.
a Prov. 3. 8.
b Mat. 8. 20.
c Act. 20. 33.
d Act. 8. 19.
e 1. Cor. 4. 11.

Eximiâ celebrantur gloriâ *Valerius Poplicola, Camillus, Rutilius, Maximus, Africanus, Pythagoras, Phocion, Socrates, Agesilaus:* quorum alii fieri sibi honorum vacationem rogarunt; alii triumphos, dictaturas, statuas, summæ virtutis sapien-

ſapientiæque encomia repudiarunt. Quanto verò illis in coërcendâ gloriæ honorumque cupiditate moderatiores fuere Chriſtiani: qui omnem gloriæ ſplendorem in fluxæ claritatis contemptione ac deſpicientiâ collocarunt: pro magno nomine, ignobilem obſcuritatem; pro dignitatis eminentiâ, neglectam humilitatem; pro faſcibus & imperio, abjectam plebeiæ fortunæ conditionem amplexi. Quorum omnis magnitudo in ſpe ac ſilentio, honor in animi demiſſione, dignitatis excellentia in faſtidio oſtentatæ amplitudinis verſatur. Novimus [f] *pauperculos & contriti ſpiritus homunciones* cordi curæque eſſe magno Deo. Tenemus, [g] illum *potentes dejicere ex ſublimi honoris ſede, humiles efferre.* Habemus ante oculos normam divinæ virtutis, ſpecimen abſolutiſſimæ modeſtiæ, *Servatorem Ieſum*: [h] *qui cum eſſet in formâ Dei, non duxit rapinam, parem eſſe Deo.* Sed ipſe ſe inanivit, formâ ſervi ſumptâ, factus ſimilis hominibus, habitu compertus humano. O ſubmiſſionem tuam, *Chriſte Ieſu*, in altiſſimâ dignitate admirabilem! ô ſpiritum caducæ mortalitatis contemptorem; ſupra omnem ſuperbi honoris gradum, ſupra fragilis gloriæ faſtigium elate! Quàm velim me illâ divinæ moderationis affici aurulâ, injectoque Mundi faſtidio ſupra mortalem fortunam ad illuſtrem cœleſtis gloriæ verticem ſemper eniti!

f *Eſa.* 66.
g *Luc.* 1.
h *Phil.* 2. 6.

niti! Tu in obſcurâ patriâ, obſcuris ad vulgi opinionem natalibus, naſci voluiſti. Tu, à primo lucis intuitu, dejectus in præſepe, deſpectus à popularibus, neglectus ab omnibus, preſſus inopiâ, afflictus fugâ, tenui cum plebeiis parentibus, in exilio, conditione vixiſti: Tu contempto aulicorum faſtu, ſpretâ illuſtrium virorum familiaritate, repudiato Regii honoris ſolio, poſthabitâ gratiæ popularis aurâ, cum contemptiſſimis hominibus, cœli terrarumque potens, vitam ab omni vultu & elegantiâ remotiſſimam inſtituiſti. Tu Diſcipulos, ab infima delectos plebe, ambitionem fugere, humiliter de ſe ſentire, ingenii ſui opibus diffidere, deſpectâ dignitatum eminentiâ ad immortalem gloriam incumbere docuiſti. Tu paſſus inſignes contumelias, coopertus turpiſſimâ infamiâ, cæſus acerbiſſimis flagris, ſublatus in execrabilem crucem, depreſſus ad Inferni tenebras, tuo docuiſti exemplo, protritâ gloriæ honoriſque cupiditate, modeſtiæ gradibus in cœlum adſcendi.

Et adſcendit iſtis in cœlum gradibus *Moyſes*: qui renunciatâ divinæ ad Pharaonem legationis provinciâ, [i] *Quis*, inquit, *ego ſum, qui vadam ad Pharaonem, & educam Iſraëlem ab Aegypto?* Neque ſenſit de ſe præclarius *Gedeon*: cum deſignatus popularium ſuorum Imperator, [k] *Mea*, diceret, *inter Manaßeos familia eſt*

i *Exod. 3. 11.*

k *Iud. 6. 15.*

infima, & ego minimus sum in domo patris mei. Neque ille nobilissimi nominis *David*: qui ad jun-
l 1. Sam. 18. 18. gendas cum Regiâ Filiâ vocatus nuptias, [l] *Quis ego sum*, ait; *quæ est vita mea, aut cognatio patris in Israële, ut fiam gener Regis?* Quam in eminentissimi honoris solio retinuit moderationem,
m Ps. 131. seriò apud Deum professus, [m] *Quod non exaltatum fuerit cor suum, neque elati oculi*, neque sectatus fuerit ea quæ excedere ingenium suum videbantur. Non degeneravit ab illâ modestiæ indole Filius *Salomon*; cum Regium ca-
n 1. Reg. 3. 7. pessens gubernaculum [n] *puerum se parvulum* fateretur, qui ad tenendum rectitudinis cursum alieno ductu indigeret. Atque ut ille Re-
o Ier. 1. 6. gio; ita [o] *Ieremias* Prophetico se imparem muneri agnovit, *puerum se infantem* professus, qui
p Luc. 3. 16. loqui nesciret. Quanta verò divini [p] *Baptistæ* fuit demissio! non dignum se perhibenti, qui Messiæ Christo solvendis calveamentorum corrigiis servilem operam præstaret. Quanta lectissimi *Apostoli*! qui etsi à Doctore Christo, raptus in tertium cœlum, maximarum rerum cognitionem dotesque sapiendi dicen-
q 1. Cor. 15. 8. dique divinas accepisset; [q] *abortivum* se ta-
r Eph. 3. 8. men, & [r] *Sanctorum minimum* appellavit. Sed majorem illa in *Homine Militari* meretur admi-
s Mat. 8. 1. rationem: qui se non dignum dicebat, [s] *cu-*
t Luc. 18. 13. *jus tectum Dominus Christus subiret.* Et in [t] *Publicano*, ex conscientiâ debilitatis suæ non auso

in

in cœlum oculos attollere. Mulieres quoque tantæ laudis capit æmulatio: inter quas *Deipara virgo* non elata glorioſo Numinis fœtu, quem intra cuſtodiam ventris ſui vi divinâ conceperat, [u] *humilem ſe & pauperculam ancillam* nominavit. [x] *Cananæa Mulier* cum herili cane jacentes ſub menſâ micas petiit depaſcere. [y] *Ruth Moabitis*, Ieſſææ mater familiæ, infra ſervilem ancillularum turbam ſe abjecit. [z] *Abigail* à Davide in matrimonium expetita ad humile pedibus abluendis miniſterium ſe obtulit, tantæ dignitatis conjugio indignam ſe profeſſa. Ita in maximis animi fortunæque dotibus demiſſe humiliterque de ſe ſenſere Chriſtiani, non minorem penè in contemnendis, quam in commerendis honoribus gloriam conſequuti.

u *Luc. 1. 38.*
x *Mat. 15. 23.*
y *Ruth. 2. 13.*
z *1. Sam. 25. 41.*

Magnanimitas.

Quis crederet, in tam humili dejectione, tantam eſſe erecti animi Magnitudinem? quam non hoſtilis violentia debilitet, non fortunæ malignitas infringat, non rerum benè fluentium proſperitas peſſumdet, non inſtantis Tyranni vultus & mors ante oculos ipſa evertat. Fortia facere ac pati Chriſtianorum eſt. Æquo animo omnem fortunam gerunt: non perturbati rebus aſperis, non inſoleſcentes ſecundis. Mortem non interitum eſſe omnia tollentem & delentem; ſed quandam quaſi migrationem commutationemque vitæ

existimant. Quæ debita necessitati si divinæ gloriæ pietatisque commodo impendenda: ut appetunt eam cupidè; ita oppetunt fortiter. Nullis morborum cruciamentis, nullis carnificum tormentis à vitæ dignitate discedunt: in mediis flammarum rogis animo ex conscientiâ suæ rectitudinis gaudente. Caduca fortunæ bona non eo, quo vulgus mortalium, pretio æstimant: nihil magnopere mirati sectatique, quod finitum brevis ævi spatio parvi temporis fructum pollicetur. Non vehemens elatæ mentis tumor spiritusque arrogans, non barbara morum immanitas, non profunda magnarum dignitatum desideria, non magnifica secundarum rerum ostentatio laudem tenet fortitudinis. Ille verè magno generosoque est animo, qui non pendet à populari gratiâ & imperitæ plebis opinione. Non aucupatur vanos rumores & omnem tenuis gloriolæ umbram consectatur. Non effertur insolentius propter fortunæ abundantiam; non dejicitur infesto humanæ miseriæ casu. Qui omnia, quæ cadere in hominem possunt, despicit, & pro nihilo putat, versatusque perpetuò in cogitatione rerum cœlestium, infra se ducit, quod stulta mortalitas miratur.

Non quærit anxiè Christianus levicula fluxi honoris ornamenta; at veræ gloriæ, quæ

virtutis

virtutis eſt fructus, cupiditate vehementiſſi-
mè incenditur. Non jactat inſolenter, & o-
ſtentat in conſpectu hominum glorioſè ſuas
virtutes; at probari eas cœlitum judicio gau-
det. Modicus bonorum ſuorum æſtimator
humiliter de ſe ſentit; at fluxæ contemptor
mortalitatis animus ſupra caducarum rerum
curam attollitur, ſuæque memor originis cœ-
lum affectat. In ſummà humanæ fragilitatis
deſpicientiâ, generoſæ elationis eſt indoles,
nihil niſi divinum, niſi inclytum cogitans.
Sub temperatâ morum decentia magnus ere-
ctuſque habitat animus: qui divinæ familiæ
glorioſus cognatione, omnia vitæ conſilia ad
immortalem dignitatem refert. Dum à vanæ
laudis cupiditate ſe abducit; ad inclytæ virtu-
tis ſtudium diligentiſſimè incumbit. Dum ſe
ſuæ memor fragilitatis, demittit; ſupra mor-
talis fortunæ faſtigium ad beatam cœlitum
dignationem erigitur. Falleris opinione tua
delira Profanitas; ſi Chriſtianæ manſuetudinis
modeſtiæque laudem non pati generoſam a-
nimi magnitudinem, & veræ ſplendorem glo-
riæ putas. Non intelligis, divinam excelſæ
mentis elationem; ſi eam furoris audaciæque
impetu magis, quam virilis animi conſtantia
& moderatione metiris. Hoc eſt Chriſtianæ
temperationis; illud Giganteæ feritatis. An
verò minoris eſſe animi putas, effervescentem

iracundiam consilio & ratione reprimere; quam hostilem impetum sustinere? An excelsioris esse spiritus arbitraris, pro fragili nominis gloriâ, aut gravem corporis cruciatum, aut vitæ periculum subire; quam sibi ipsi imperare, & libidinem in potestate habere, ne mentē perturbet ab integritatis suæ statu deturbatam? Cur itaque præstantissimi quique inter Ethnicos viri tanto studio mansuetudinis & patientiæ laudem, quanto Martiæ fortitudinis gloriam ambiverunt? Cur illi sibi magnitudinis laudem adsciverunt, qui sui contemptum contemnerent, contumelias ęquo animo paterentur, affensas promptè condonarēt, humanitate convitia, beneficiis injuriam rependerent? Cur, ut quisque maximè parvi angustique est animi, ita facillimè à mentis constantiâ dimovetur, iram colligit, cupiditatibus succumbit, injuriam concitati furoris impetu persequitur?

In ferendâ fortunâ. Est ingentis profectò spiritus, utramq; fortunam moderatè pati: non insolescere rebus secundis, non deficere adversis. Nihil humanarum rerum aut intolerabile ad animū demittendum, aut nimis lætabile ad efferendum videri. In eâ Magnitudinis laude præ aliis Christiani excellunt: quos paratis in omnem casum animis neutra frangit fortuna: non elatos bonarum rerum proventu; non debilitatos mise-

riæ

riæ magnitudine: adversus omnia, quæ incidunt, summâ virtute consurgentes. Vt in mari Gubernator quamvis ferre doctus tempestatē contra ventos fluctusque adversos connititur: non raptum in turbines cœlum extimescit, nō concitati maris violentiam formidat: Ita illi fortunā omnem virtute superant. Res adversas fortiter; prosperas moderatè ferunt. Qualiscunque se casus offerat, ubique Christianę magnitudinis retinent dignitatem. Sciunt vitam fortunamq; hominum divino fato deberi. Inde prospera quæque, inde adversa fluere. Parendum prompto animo cœlesti jussioni. Ferendum, non culpandum, quod necesse sit.[a] *Cedere omnia piis hominibus in bonum.* [b] *Si patiantur cum Christo, gloriæ illius consortes fore in cælis.*[c] Nihil verò omnium in Mundo rerum accidere posse, quod eos à divini amoris fœdere, in Christo facto, sejungat. Hoc animo *Abrahamus* secundas adversasq; res sustinuit; nō sublatus divinâ fortunarum & dignitatis accessione; nō infractus exiliis, & mandatâ dilectissimi filii mactatione. Hoc *Iacobus* à patriâ domo inops profugit, auctusque rerum omnium copiis terram natalem, & complexus parentum repetiit, functusque fortiter omni fortunâ in Ægypto de statione vitæ demigravit. Hoc *Iosephus*, *Daniel*, *Esthera* tam miseram servitutis conditionem, quā summi honoris principatū sustinuerunt.

a *Rom.* 8. 28.
b 1. *Pet.* 4. 13.
c *Rom.* 8. 38.

Quam inſigni robore ſecundam excepit fortunam [f] *Gedeon*; cum domitis magno prælio hoſtibus oblatam à popularibus dominationem repudiaret! Quam fuit excellentis animi magnitudo in [g] *Apoſtolo*, ſaturare ac eſurire, abundare ac inopiam pati, omnia denique ferre ac præſtare gnaro, ſub auxilii divini præſidio! O magnos veréque nobiles viros! qui non effuſo nimis gaudio ſecunda apprehendêre; neque adverſa collabente animo detrectavêre. Scilicet [h] *Chriſti paſſi exemplum ſequuti & veſtigia*, [i] exhibuere ſe ipſos, *ut Dei miniſtros, in multâ patientiâ, in vexationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis*. In quo genere laudis magnum inprimis nomen obtinet exercitatiſſimus ille Dei miniſter, *Iobus*: cujus indomitam animi virtutem quâ proſequar admiratione, neſcio. Quam enim ſunt magni ſpiritus illa verba tua; cum uno die tot opibus, tot ſervis, tot liberis, tanto fortunæ deſtitutus apparatu, diceres! [k] *Si bona ſuſcepimus de manu Domini, cur mala non ſuſtineremus?* Quis tam robuſtæ inter Ethnicos fuit præſtantiæ, ut ex ſummis copiis ad ſummam detruſus inopiam, loqueretur! [l] *Nudus ex materni ventris cuſtodiâ ſum egreſſus, nudus hinc diſcedam. Quod dedit Dominus, hoc abſtulit.* Prorſus ut palmæ arboris ramus adverſus ſarcinę pondus erigitur, nullo in terram onere deflexus: Ita fortis Chriſtianorum

hominum

f Iud. 8. 23
g Phil. 4. 12. & 13.
h 1. Pet. 2. 21.
i 2. Cor. 6. 4.
k Iob. 2. 10.
l Iob. 1. 21

hominum animus, quo premitur à fortunâ gravius, eò eſt erectior, adverſus omnem calamitatis preſſum inconcuſſo robore renitens.

Ethnicorum hominum libris literiſque celebrantur *Ajax*, *Themiſtocles*, *Amilco Carthaginenſis*, *Theogenes Numantinus*, *Dioxippus Macedo*, *Cato Vticenſis*, *Brutus*, *Caßius*, *Antonius*: & ex muliebri ſexu, *Dido*, *Lucretia*, Aſdrubalis uxor *Sophoniſba*: quorum alii hauſto veneno mortem ſibi conſciverunt; alii ferro præcordia tranſverberarunt; alii flammis hauſtis ad lethum ſuâ ſponte properarunt. Sed quam illi magnæ fortitudinis merentur laudem, qui ex deſperatione ſalutis manus ſibi inferunt? Qui debilitata malis virtute, domitoque animi robore, vitam, ut ſarcinam intolerabilem, abjiciunt? Qui ſtationem deſerunt publicæ lucis, non ut dignitatem conſtantiamque retineant; ſed effugiant calamitatem? Ille fortis eſt magnuſque qui animo adverſus omnem miſeriæ incurſum confirmato ærumnoſæ vitę incommoda conſtanter ſuſtinet, neque detrectat impoſitum à fato jugum ſubire. Qui neque extimeſcit mortem muliebriter; neque injuſſu divino vaſa colligit, & de cuſtodiâ natalis auræ demigrat. Iſto animi robore Chriſti diſciplina ſuos alumnos armavit: quibus neque vita tædio eſt, neque mors timori. Non fugiunt de vitæ ſtatio-

In contemnendâ morte.

ne trepidè, quando creditum natura repetit; ſed exeunt fortiter. Nullâ fracti fortunæ malignitate de tenendâ miſeræ vitæ poſſeſſione indignantur. Nullis irretiti genialis & genitalis auræ illecebris mortem horreſcunt. Si conclamet vaſa cœleſtis Imp. & jubeat relinquere præſentem ſtationem, æquis ſeſe animis ad demigrandum componunt. Egregium iſtius fortitudinis ſpecimen illi priſci pietatis Antiſtites; à quibus colendi rectè Numinis rationem primum accepimus; præbuere: qui, conſtitutis & deſignatis domi rebus, ad mortem ſe, ut ad profectionem, præpararunt, accinctique ad faciendum iter, ab amici corporis contubernio, dictâ manentibus ſalute, diſceſſerunt. Quo animi propoſito [m] *Abrahamus*, [n] *Iſaacus*, [o] *Iacobus*, liberis de re familiari fatiſque conſequentium temporum inſtructis, expleti & ſaturati vitæ trahendæ deſiderio, membris ad moriendum collectis, ſpiritũ ediderunt. Pari conſtantiâ [p] *Moyſes* & [q] *Aaron* juſſi vitam mortalem deponere, mortem obierunt. Non infractiore ſpiritu [r] I*oſephus*, [ſ] *Samuel*, [t] *David*, aliique Religionis noſtræ ſanctiſſimi homines, vivendi finẽ fecere, corpore velut in ſomnum, diuturni laboris perfugiũ, reſoluto. Quid quererentur? quid metuerent propinquũ vitæ exitum? Sciunt, [u] *ſtatutum eſſe hominibus, ſemel mori*. Hac duci omnes neceſſitate,

m Gen. 25.8.
n Gen. 35. 29.
o Gen. 49. 23.
p Deut. 34.5.
q Num. 20.26.
r Gen. 50. 26.
ſ 1. Sam. 25.1.
t 1. Reg. 2.10.
u Hebr. 9. 27.

ſitate, hac natos lege, ut permiſſã à Naturâ vitę uſurã prętituto fati die dęponant. Non eſſe quenquã inter hominis, qui ab illâ mortalitatis conditione ſit immunis: [x] *quæ per unum hominem cum peccato in mundum univerſum manavit*. [y] *Si terreſtris hujus domicilii diſſolvatur habitatio, aliud à Deo ſupereſſe ædificium, non factum manu, æternum in cœlis*. [z] Si intereat caduci corporis fabrica, illam à Chriſto reformatũ iri, divinæ vi virtutis corpori claritatis ſuę conformatam. Mortẽ Ethnicis rerũ omnium extremum, ſibi eſſe vitę initium, laborum requiem, miſeriarũ finem, ſalutis portã, ſedem beatitatis æternam. Iucundum eſſe illud iter, quo confecto, nulla reliqua cura, nulla ſollicitudo futura ſit. Itaque cum Apoſtolo, [a] *cupiunt deſſolvi, & eſſe cum Chriſto*: nedum ut mortem animo perculſo extimeſcant.

x Ro.5.12.
y 2.Cor.5.1.
z Phil.3.21.
a Phil.1.21.

In tolerandis tormentis.

O generoſi capax ſpiritus Chriſtiana Nobilitas! quæ non æquo tantum animo mortem à Naturâ oblatam obiit; ſed acerbiſſimę quoque mortis cruciatum læta exultanſque ſuſtinuit: neq; immani Tyrannorũ rabie, neque dulciſſimę vitæ blandimentis à profeſſione pietatis depulſa. Quod ſatis dignum veſtrâ conſtantiâ reperiri encomium poteſt, *fortiſſimi Chriſti Martyres*, qui alacri atque invicto animo ad atrociſſimam mortem profecti eſtis, nullâ ſuppliciorum diritate conſternati? Vt nihil de priſcis ſub Imperatoriâ Romanæ

indolis

indolis Beſtiâ Laniſtis & ſectoribus dicam; quanto furoris impetu Antichriſtiana ſævities in renaſcentem nuper Eccleſiam exarſit! Conjurabat orbis terrarum ad abolendam Religionis noſtræ profeſſionem. Laborabat omni conatu ſuperſtitio, ut à tot annorum caligine emerſa in lucem Veritas extingueretur. Nullos aut tormentorum cruciatus, aut improbiſſimas ſcelerum artes excogitare potuit Diabolus, quas non in Eccleſiæ perniciem Antichriſtus contulit. Non *Pheræus Alexander*, non *Dionyſius Siculus*, non *Agrigentinus Phalaris*, non *Hanno Pœnus*, non *Nabis Chalcedonius*, non *Hipparchus Athenienſis*, non *Romanus Nero*, *Domitianus*, *Commodus*, & cetera Naturæ portenta majorem in ſuos cives ſævitiam adhibuerunt; quam in Chriſti fideles Capitolinus ille Iupiter omni dirirate atque immanitate teterrimus. Ducebantur religioſiſſimi homines in carceres, vinculis cuſtodiiſq; crudelium latronum conſtricti. Abripiebantur ad horribilem corporis cruciatum, ad verbera, ad neces, tauro Phalaridis, & Nicocreontis mortario acerbiores. Vexabantur contumeliis, evertebantur fortunis; nudi ab omni præſidio, miſeri, inopes, in ferro & fuga, cum liberis & conjugibus, verſabantur. Nullibi aut conſiſtendi locum, aut reſpirandi ſpatium inveniebant. Hic aliquis unco impacto in rogum detrudebatur.

Illic

Illic eliſis laqueo faucibus exſpirabat. Iſtic reſectis gladio cervicibus animam edebat. Ibi ſub undis mortem oppetebat. Alibi diſcerpto membratim corpore vitam perdebat. Erant qui ad arenam damnati ferarum dentibus laniabantur. Qui rotæ ictibus conterebantur. Qui in terram vivi defodiebantur. Qui in ergaſtulis, ad remos, in ſubterraneis cavernis, fame, ſiti, laboribus confecti omni ſupplicio vitam miſeriorem agebant. Tam efferata Carnificum ſævitia, tam dira tormentorum cruciamenta Chriſtianam virtutem frangere ac debilitare non potuerunt. Perferebant incredibili conſtantiâ atrociſſimos corporum laniatus. Contemnebant magnis animis inhumanæ crudelitatis ſupplicia. Semiuſtulatis corporibus, diſcerptis ferro membris, in flagrantis iracundiæ tormentis commeante ægrè ſpiritu divinas laudes celebrabant. O invictæ virtutis Heroas, qui deficiente tortorum conatu fruſtratâque ſævitiâ, in eadem ſemper conſtantiâ perſtitêre. Neque illa paucorum tantum virtus fuit. Infinita omnis generis multitudo palmarem tantæ fortitudinis gloriam conſequuta eſt. Neque primores tantum gentis iſto animi robore excelluerunt. Non ætatis infirmitas pueris, non ſexus imbecillitas mulieribus, non generis ordiniſque dignitas nobilibus, non armorum tractatio militibus

impedimento fuit, quo minus hujus victoriæ laurum impetrarent.

In acie conferenda.

Quę diſciplina Religioſos Martyres; ea Milites Chriſtianos ad parem animi magnitudinem mortiſq; contemptionem inſtruit: quando ſumere in manum arma, & conſerere aciem cum hoſte bellandi urget neceſſitas. Igitur ſi ferri præſidium publica requirat ſalus, ſummâ virtute adverſus latronum impetus pro aris & focis depugnant. Vt imminentem Reip. peſtem propellant, non ſtructas in campo acies, non diſtrictos in cædem gladios extimeſcunt. Non formidant ullum anxiè capitis periculum: certi ſine divinâ voluntate nullum ſibi illatum iri nocumentum. Non metuunt vitæ jacturam: quam diſcriptam in manu Dei ante fatalis horæ momentum præripi non poſſe tenent. Quid timerent armatas legiones? quas uno Deus nutu disjicere, & in fugam dare poſſit. Quid parcerent perituræ vitæ? quam debitam naturæ ſi patriæ impendant, in cœlo recuperant, ad perpetuitatem omnis ævi proferendam. Iactent ſuos Græci Miltiades, Themiſtocles, Alexandros; Romani Scipiones, Marcellos, Iulios; Pœni Hannibales; Germani Herminios, Gothi Attilas; Scythæ Tamirlanes; Turcæ Ottomanos. Non minus, ad tentandam bellorum aleam, & conſerendam cum armato hoſte aciem,

aciem, animi ſemper fuit Chriſtianis: qui ſub
præſidio bellipotentis Dei res in omnem me-
moriam memorabiles effecere. Quantâ vir-
tute [b] *Abrahamus* cum domeſticâ vernarum b *Gen. 14.*
manu victrices quatuor Regum adortus co- *14.*
pias, cæſis profligatiſque hoſtibus prædam de-
traxit! Quantâ [c] *Calebus* & [d] *Ioſua* territos po- c *Num.*
pulares ad ſubeundum cum hoſte certamen *13. 31.* d *Ioſ. 8.*
armarunt, congreſſos acie Reges profligarunt, *10.*
Cananæam ferro flammaq; pervagati in pote-
ſtatem redegerunt! Quantâ [e] *Gedeon* numero- e *Iud. 7.*
ſiſſimos Madianitarũ exercitus delevit; [f] *Sam-* f *Iud. 16.*
ſon vivens morienſq; Philiſtæos attrivit; [g] *Ieph-* g *Iud. 11.*
te Ammonitas; [h] Ezechias Aſſyrios, *Maccabæi* h *2. Par.*
Syros ceciderunt! Quam ingenti animo *David* *32.*
[i] Vrſum & Leonẽ confecit; [k] portentoſi cor- i *1. Sam.*
poris audaciæque Gigantem, puer virum, ar- *17. 36.* k *1. Sam.*
matum inermis proſtravit! Quam virili auda- *17. 15.*
cia [l] *Ionathan*, uno comitatus armigero, noctur- l *1. Sam.*
nâ irruptione Allophylorum caſtra turbavit, *24. 13.*
& in præcipitem fugam egit! Quam animoſo
ſpiritu reverſi à Babylone [m] Iudæi, duce *Nehe-* m *Neh. 2.*
miâ, ſimul fundandis mœnibus, & armandis in
hoſtem manibus, conjuratam in ipſorum
perniciem viciniam ſuſtinuerunt, repule-
runt, fugarunt! Quid dicam *Conſtanti-
num* cum *Maxentio*, *Theodoſium* cum *Eugenio*, *Ca-
rolum* M. cum Barbaris, alios Chriſtiani nomi-
nis principes cum irreligioſis conjuratarũ par-

tium

tium perduellibus non minus fortiter, quam feliciter congressos? Quid memorem *Belgarum sacros. Fœderis* arma? quibus publica Libertatis causa, contra furentes *Philipporum* impetus, nescio animone fortiore, an successu fortunatiore, defensa est.

Belgarum in armis virtus.

Hispani orbis terrarum imperium animis complexi, cum susceptum jam diu in Religionem & Libertatem odium saturare vellent, Belgium funestis animis atq; armis terrâ marique obsidebant, agris vastitatem, fortunis exitium, liberis civium corporibus vim, conscientiis servitutem adferebant, omnem regionem cæde atque incendio peragrabant. Et jam signum proposuerant, ut cæco violentiæ impetu in bonos incurrerent: cum paucissimi ex illo collecti naufragio magnis pro libertate animis propugnarent, hostium arma reprimerent, periclitanti patriæ saluti *Manum tutelarem* porrigerent. Maria terræque testantur quantâ animorum acritate, quantâ alacritate fortissimi viri adversus funestissimos Tyrannos dimicaverint. Hostes fatentur inviti, quam multis in locis magnas Iberorum copias profligaverint, fuderint, deleverint, urbes expugnaverint, classes disjecerint, in certam pro Rep. mortem ierint. Ne vetera refricem vobis vulnera, hæret infixus animis nuperæ cladis dolor: cum instructissima tot navium Clas-

sis,

ſis , tanti ſumptus Regii apparatus, arma, viri, commeatus , ſpes penè ac res veſtra omnis , ſine ullo victorum ſanguine in noſtras venirent manus. Quo ceſſit magnifica jactatę virtutis gloriatio , cum ad rutilantium procul ſignorum fulgorem panico territi metu fugam faceretis? Vbi erat ille domitor utriuſque Solis ſpiritus , cum , ſub primum dubii Martis conflictum , abjectis armis ſupplices manus protenderetis ? Alii præcipiti ex navibus ſaltu indignantem inter fluctus animam evomerent ? Alii lubricis impliciti vadis victorum clementiam , aut Dei Lapidis opem miſerabili lamentatione implorarent ? Dux transfuga , cum ſeminudo paucorum comitatu , piſcatoriâ inter tumultum elapſus cymbulâ , infauſtæ expeditionis nuncium ad Principem hoſtilium partium Perduellem referret ? Veniſtis, vidiſtis, fugiſtis. Vi victa vis eſt. Virtute ſuperata audacia. De cœlo adverſus communem Libertatis hoſtem eſt dimicatū. Venti & tempeſtates pugnam pro noſtrâ cauſâ capeſſerunt. Neque præbuiſſe ſatis magnum virtutis ſuæ documentum Belgæ videbantur , ſi à civium jugulis repulſâ Tyranni ſicâ domi deſiderent. Quinetiam illum velis ventiſque per vaſtum atque immenſum ſequuti Oceanum , omnes ferè Solis obeuntis & orientis, Aquilonis Auſtrique partes victricibus armis

 pera-

peragrarunt. Quam nunc imitata Propinquorum ſuorum fortitudinem Germania, ductu auſpicioque DIVINAE VIRGAE, Vulturio Reip. Imperatori aciem opponit, & diræ duræque ſervitutis impoſitum cervicibus jugum magnis animis demolitur.

Godſtavus, S. R.

Vt capitis periculum vitæque dimicationem promptè atque animosè in Martiæ virtutis campo adit Chriſtianus, cum armato hoſte manu ferroque collato: ita ſempiternis cum Diabolo armis contendit, ſub Chriſti Ducis præſidio, adverſus ſpirituales malitias fortiſſime decertans.

Militia ſpiritualis.

Miles Chriſtianus.

Stat pulchris Vir Chriſtiades animoſus in armis,
Præſidioque ferox Chriſti, cum Dite maligno
Conſerit audacem forti conamine Martem.
[n] *Baltheus invicti bullatus lumine Veri*
Fortiter adſtringit lumbos. Tum pectora Thorax
Juſtitiæ dubio Stygii mucronis ab ictu
Funereiſque tegit facibus. Vox nuncia Pacis
Sideriæ ſtabilit greſſum, & veſtigia fundat
Confirmata pedum Soleis. Manus altera Scutum
Pro tendit Fidei, validoque umbone ſagittas
Excipit ignitas Satanæ; rotat altera ſacri
Ancipitem Verbi Gladium, qui pectus & oſſa
Trajicit, & ſtricto penetrat mucrone medullas
Scrutatus penetralem animam. Mavortio celſo
Stat capiti Caſſis, diriſque impervia telis

n Eph. 6. 14.

Certam

Certam Christiadæ præstat post fata Salutem.
Tum crebros Gemitus, & verba precantia supplex
Linguâ animoque ciet, tensisque ad sidera palmis
Numinis auxilium petitur, ne Marte sinistro
Succumbat, valido non par congressus Averno.
Sic Heros sua Christiades collectus in arma,
Exercet Mavortis opus, Stygioque Tyranno
Congressus validas movet in certamina vires.
Trux Erebi cunctas scelerum consurgat in artes
[o] Ingluvie stimulante Lupus: ferus infremat altâ o 1. Pet. 5.
Voce Leo, tentetque aditus, omnemque peragret
Fraude locum, rabido quærens quem devoret ore:
Concitet immanes furias, atque æstuet imis
Styx impulsa vadis, tumidamque exundet in iram
Cerberus: ille tamen tantis interritus ausis
Stat confertque aciem, nullisque infringitur Orci
Viribus, & Stygio perfossus concidit ictu.
Tantum sancta Fides, & tutæ fœdera pacis
Cum Christo sociata valent: [p] quæ nulla superbæ p Rom. 8. 38.
Disjunget Mortis feritas; non dira malignæ
Evertet sortis rabies; non cerea flecti
In faciles culpas, rebusque elata secundis
Luxuries; non ætheriæ vis Martia Gentis
Spirituumque acies validæ; non impia Mundi
Imperia, & sævus ferro rutilante Tyrannus,
Carnificumque truces oculi; non crastina tollet
Aut præsens rerum facies. Non omnia quamvis
Conjurent Elementa simul, cœlique profundum
In mare subsidant, & fœdo Terra tumultu

Concita Tartarius intra rapiatur hiatus,
Non unquam tanti nexus solvetur Amoris.

Tanta est Christianorum hominum Virtus, tanta dignitatis amplitudo! cui soli omnis veræ Nobilitatis splendor, omnia gloriæ honorumque insignia debentur. Cætera mortalium bona caduca sunt, fluxa, angusta; puerilibus simillima crepundiis, quæ speciem tantum atque umbram boni habent. Sola Christianæ Nobilitatis ornamenta immortalia sunt, ampla, divina: nulli vetustatis imperio, nulli fatorum malignitati obnoxia. Illa hominem divinæ participem Vnctionis reddunt. Illa propinquâ cum Deo cognatione jungunt. Illa nos in terris versantes in divinam familiam traducunt, & in cœlitum honore ac numero collocant. Non alius veræ Nobilitatis decus atque amplitudinem gloriari potest; quam qui ad Christianas incumbit virtutes, despectisque caducarum rerum bonis, mentem in cœlestium opum meditatione defigit.

Sed quos ego Viros, quas Virtutes quam tenui oratione prosequor? Et jam eò me progressum video, ubi ingentium rerum altitudine, tanquam in profundo atque immenso mari, omnis & dicendi ratio, & ingenii mei facultas obruitur. Neque parum vestrâ, *Nobilissime Iuvenes*, abusus in audiendo patientiâ videor: quod tam vos diu sermone meo detinuerim,

nuerim, fortè à negotiis graviorum rerum avocatos, die jam in vesperam inclinante. Sed tanta est Christianæ Nobilitatis amplitudo, ut exiguo orationis ambitu describi non potuerit. De vestrâ verò humanitate mihi polliceor, quod tanti moram temporis facilè sitis veteri necessitudini condonaturi. Excepit ea verba *B. Schvvartz.*, & respondens pro omnibus, magnum sese tum operæ meæ, tum Fortunæ hujus diei gratiam debere profitetur, quæ ipsos ad jucundam de Nobilitate colloquutionem sociasset. Tum dictâ salute, testatique memorem prolixe gratiam, domum quisque suam discedunt. Ego in Musæum meum abibam, ut *Opulentiæ indolem* mecum animo meo expenderem.

CAP. XVI.

De Divitiarum ubertate ac splendore.

[a] ALexander M. profligato ad Issum Dario, cum Regia immensæ opulentiæ cepisset castra, obstupefactus tanto copiarum apparatu, *Hoc verò est*, inquit, *Regem esse*. Pauper Macedo, qui præter Spem nihil secum in Persiam attulerat, hîc supra spem suam amplissimis cumulatus divitiis, præ Persarum Regum amplitudine tenuem Macedonum fortunam, asperosque Hæmi campos, & Pellæa a *Plut. Al.*

contractæ paupertatis imperia indignantibus oculis despexit. Quæ Persicarum opum abundantia tum maximè in Europæ venit conspectum; cum post turpissimam in campis Adrastis DC. M. fugam, C. LXXX. M. talentorum thesaurum victor Macedo in potestatem accepisset. Possem vereri, ne mihi talia dicenti hominum accedat fides; nisi relictum à *Davide* R. thesaurum Darianis opibus longe majorem fuisse divina veritas testaretur. Infinitis tamen modis successoris Filii copiæ paternas fortunas exuperarunt. Annuus illi, [c] præter negotiantium vectigalia, Regulorumque tributa, (quorum summa nullâ circumscribi supputatione potest,) DC. LVI. auri talentorum fuit census. Thesaurus X. M. talentorum auri, totidemque argenti. Quid manantem auro Pactolum; aureosque *Midas* effusissima in suarum rerum laudem Græcia decantat? Isto Rege tanta fuit in Israëlitide auri argentique copia, ut illorum & lapidum æqua fuerit vulgo æstimatio. Incredibiles propemodum [d] *Cyri* R. fuerunt opes: quæ, domitis Babyloniis & Lydis, extra auri pondo XXXIV. M. quingenis argenti talentorum M. censæ, si nostratis pecuniæ calculo æstimentur, ad quadringentos coronatorum milliones putantur excurrere. Quis putaret [e] *Sardanapalum* quavis muliere corruptiorem,

Davidis Thes. decuplo major Darii opibus, Budæi supputatione.

c 1. Reg. 10.

d Plin. l. 33. c. 3.

Talent. Ægypt. capit pondo 80.

e Herodotus.

ruptiorem, inter ſcortorum greges muliebri laſciviâ eminentem, purpuram colo trahentem, penſa inter virgines partientem, repoſitâ pecuniarum congerie fortiſſimum & moderatiſſimum Regem æquaturum? At ille Syrorum talentorum auri x. milliones, præter inæſtimabilem argenteæ gazæ ſupellectilem in omnem fortunæ caſum ſepoſuerat. Quas opes victus ab *Arbacto* ſecum ipſo flammis abſumpſit, virili morte vitam finiens effœminatam. Quantæ *Crœſi*, quantæ *Midæ* Regum fuerunt opes! quarum illæ magnam divitiarum abundantiam uſitatâ loquentium conſuetudine denotant; iſtæ vulgi fabulis occaſionem dederunt, quod in aurum tranſirent, quæcunque manibus Rex attingeret. Sed hîc incerta eſt divitiarum æſtimatio: De [e] *Dario Longimano* ex hiſtoriæ conſtat fide, quod ex annuo provinciarum tributo XIV. auri, D. LX. argenti talentorum millia acceperit: præter alia omnia, quæ Africa pendebat & Europa. Quantum illi juſto Domino, tantum penè prædatori hoſti *Ptolemæo Euergetæ* Aſia contribuit: [f] quam ille diripiens XL. M. tal. argenti tranſtulit. Non ſuccubuit his damnis opulentiſſima terrarum orbis Regio: Sed tanquam ex largiſſimis auri venis immensâ opum vi ſcaturiente, uni ali-

e *Herod.*

f *Hier. in Dan. c. 12.*

quando *Syllæ*, mulctæ nomine, xx. talentorum millia; Antonio xx. talentorum myriades; Gallis cx. M. auri pondo, argenti quinquies decies c. M. persolvit. Et quis hoc de Asiâ miretur? cùm una Ægyptus, arctissimis terræ patens limitibus, g VII. tal. M. & XL. M. uberrimam messem quotannis dederit. In quâ *Protheus* Rex CCCC. tal. millia moriens reliquit: *Cleopatra* unionem HS. centies, hoc est, septuagenis librarum Flandricarum millibus, nongentis & septendecim æstimatam, in execrabilem ventris ingluviem immisit: prisci Reges sumptuosissimis Pyramidum structuris immensæ opulentiæ documentum dederunt. Quis in hoc opulentiæ certamine *Persei* Macedonis non attingat memoriam? Illum non tam Philippi patris memoria, & Macedonicus invictæ opinionis exercitus; quam alendis per decem annos innumeris copiis in Romanum bellum repositi sumptus concitarunt. Quo piaculo *Antiochi* Syriæ Regis prodigiosos opum cumulos prætercam? Ille tantis abundavit divitiis, ut gregarii in castris milites argenteis ad culinam instrumentis uterentur, aureis scutis hastisque eniterent, aureos pedibus clavos subjicerent, & proculcarent materiam, cujus impotenti desiderio cæteræ gentes in furias ferrumque amentes feruntur. Quem stupendi apparatus exercitum cum

g *Septem coronatorum milliones & D.*

Hannibali

Hannibali oſtentaſſet, rogaſſetque, [h] *Num* h Plut. Han.
hæc Romanis futura eſſent ſatis: Etiam, inquit ille;
etſi avari ſint admodum.

Sed quid Regum Regnorumque ſingulorum opes in numerum refero? quas Romæ uno intuitu videre licet univerſas: eò terrarum omnium ſpoliis, tanquam in profundiſſimum gurgitem ac voraginem comportatis. Illuſtre tantæ direptionis exemplum [i] *Papyrius* ille *Curſor* præbet: qui, victis Samnitibus, ærarium vicies centum millibus argenti, triginta millibus auri locupletavit. Præter alios, [k] *Scipiones* Africæ domitores: quorum prior, præter tot ex auro Coronas, armillas, gemmas, veſtes, ſimulacra, Elephantos, Boves, Currus, profuſas in militem largitiones, pondo CXXXIII. M; alter, ex everſâ Carthagine, quater millies CCCC. & LXX. M. argenti pondo Romam advexit. Non infimum Macedonicę opulentiæ documentum [l] *Q. Flaminius* exhibet. Ille, profligato *Philippo*, infecti argenti XVIII. M. CC. LXX, ſignati LXXXIV. M, auri III. M. DCCXIV pondo, Philipporum XIV. M. DXIV coronas aureas, CXIV. vaſa, clypeos ex auro atque argento innumeros præ ſe tulit. Quam parum exhauſta fuerit hac ſpoliatione Macedonia, [m] *P. Aemilius* documentum prębet. Ille debellato *Perſeo Philippi* F. tantam inde avexit prædam, ut ad Cæſaris tempora,

Romana opulentia.

i Sabel. l. 7. En. 4.

k Appianus. Plin. l. 33. 11.

l Livius.

m Plut. in Paulo.

 plus

plus minus centum annos, tributum Romani nullum pependerint. Si *Cn. Pompeii*, si *I. Cæsaris*, & *Vespasiani* tueamur prædas, fatendum sit, hactenus opulentiæ quædam jacta semina, sub illis in uberrimã divitiarũ messem erupisse. [n] *Pompeius*, superato *Mithridate*, præter argenteas illius filiique *Pharnacis* statuas, ejusdemque metalli currus, tabulas lusorias è gemmis duabus, lunam auream, lectos argenteos XXX, aureos III, Montem aureum variis ferarum fruticumque generibus oppletum, Musas gemmis incisas, auri argentique signati [o] XX. M. talentorum transtulit, Romanæ urbis ærario ex quinquagies decies centenis talentorum millibus, ad octuagies & quinquagies decies C. millia excrescente. Magno major [p] *Cæsar*, præter immensi sumptus epulas & donationes, LXV. M. talentorum; plus triplo ejus, quod Pompeius; quatuor triumphis, ex diversis orbis regionibus, in Vrbem apportavit. Non fuit minor divitiarum ostentatione [q] *Vespasiani* de Iudæis triumphus: quo est tantum auri Romam delatum, ut ejus pondo dimidio, quam pridem, pretio veniret.

n *Plut. Pomp.*

o *Hoc est, centies millies centena millia.*

p *Appianus.*

q *Iosephus l.7.c.13.*

Tot robusta divesque spoliis Roma, ex annuo vectigalium tantum provinciarum tributo, CL. ad minimum milliones possedit. O immanem opum granditatem! O cumulum divi-

Vide Lips. Magn. Rom.

divitiarum cœli propè faſtigio adæquatum! Crederem ego Romæ potius olim; quam in Phrygiâ *Midam* vixiſſe, qui ſuo ibi contactu omnia inaurarit. Cujus fortè fuit indolis *Iulius ille Cæſar*: qui aliquando ſingula magni Exercitus militibus prædia viritim dedit: Coſſ. L. Paulo, ne contra ſe ſtaret, D. talenta: duplo penè plus Curioni: à triumpho, gregariis tantum militibus, prædæ nomine, XV. milliones; populo viritim minam unam; præter frumenti X. modios, ac totidem olei libras. Videretur ille nihil aliis ad largiendum reliquiſſe, præter cœlum & cœnum: niſi patre profuſior filius, unâ quandoque largitione, quam in Philippenſi contra Libertatem prælio promiſerat, ſingulis LIX. legionum militibus quinque millia drachmarum perſolviſſet; quæ ſumma CL. milliones, cenſis tantum CLXX. capitum millibus, excedit. Atque hæc ante principatum ex patrimonio Iuliano dedit. Quod in Imperio effudit, tantum eſt, ut revocari ægrè ad calculum poſſit. Quid dicam à *Caligula* vicies ſepties millies HS, *hoc eſt*, LXVI. *milliones*, *&* L. M. *aureorum*, non toto vertente anno, abſumpta? Quid nepotinos Neronis ſumptus perſequar? Quid infinitas Claudii, Galbæ, Commodi, Severi computabo largitiones? quarum

quarum vis ſupra hominum aſſurgeret fidem; niſi Romam inexhauſtum fuiſſe opulentiæ ſeminarium conſtaret. Neque minoris penè opulentiæ fuit nova Roma, illa Conſtantinopolis: cujus princeps [r] *Baſilius*, jam inclinato Græcorum imperio, ducenta M. talentûm auri, hoc eſt, *mille & ducentos milliones* in ſolis theſauris habuit. Reliquam pecuniam, cujus nulla colligi ratio poterat, in vaſtas terræ ſpecus defoderat.

r Zonaras.

Privatorum opulentia.

Sed magnæ quoque *Privatorum* fuerunt opes, ſparſis in multos divitiis, ne illas in ſola Regum Principumque abiiſſe atria putetur. Princeps in hoc Opulentiæ proſcenium progrediatur *L. Sylla*: cujus divitias non minore verborum compendio complecti univerſas poſſum; quam ſi cum [ſ] *Plinio* de illo dicam, quod *Craſſo fuerit opulentior*. At quam audivit vulgo dives *Craſſus*? Ille cum HS. bis millies in agris tantum poſſideret; hoc eſt, *quinquagies centena aureorum millia*; negabat quemquam eſſe divitem, [t] niſi qui alere ſuis fructibus Exercitum ſex Legionum, cum magnis equitum peditumque auxiliis poſſet. O egregias, vereque regias opes! Quas tamen *Claudii* principis [u] liberti, *Pallas, Calliſtus* & *Narciſſus*; quantum ad agrorum reditus; ſuperarunt: qui ter quaterve millieſve HS. poſſederunt. Auſim illis in os loqui, quod patritius

ſ Lib. 33. c. 10.

t Cic. parad.

u Dion in Cl. Tac. ann. 12.

quidam

quidam *Syllæ* aliquando adſuſurravit : *Quî vir eſſe bonus potes, quod, cum nihil à patre relictum ſit, tantum poſſideas?* Potuit tamen eſſe bonus partis ſuâ induſtriâ opibus [x] *T. Cicero*: qui duodeviginti Regii cenſus prædia, cum ſumptuoſiſſimâ *Craßi* domo, poſſedit. Potuit [y] *Seneca*: qui ter millies HS, hoc eſt, ſeptuagies quinquies centena aureorum M. in bonis habuit. Quam fuit dives [z] *Lucullus*! qui ad parandam in Mithridaticum bellum Claſſem decreta à Senatu tria tal. M. repudiavit, ſuis ſumptibus tantæ molis facinus exequutus. Quam ille ſub Caligulâ [a] *Poppæus*! in cujus fundis flumina magna oriebantur & cadebant. Ille *L.* [b] *Domitius*! qui quadraginta octo M. jugerum militibus, præter Centuriones & Tribunos, de ſuo promiſit. Ille [c] *Pythius Bithynicus*! qui platanum & vitem auream Dario R. donavit, Xerxis exercitum epulo excepit, ſtipendium quoque quinque menſium pollicitus, ſi uni ex quinque filiis militiæ vacatio daretur. Ille [d] *Pythodorus* Pompeii amicus! millies millium tal. opes poſſidens: Quas venundatas à Cæſare redemit, relicto filiis patrimonio non minore. In his, tanquam tactus de cœlo, ſileo ſtupeoque copiis: ut *Cimonis*, *Critiæ*, *Plinii*, *Aeſopi Tragœdi*, *Apicii*, *Cæcilii Claudii*, *Surenes Parthæ*, &, ſi Diis placet, *Phrynes* Græcæ, & *Floræ* Meretricis Romanæ

[x] *Salluſt. in Cic.*
[y] *Tac. an. 14.*
[z] *Io. Servil.*
[a] *Sen. de Tranq. c. 11.*
[b] *Cæſ. r. Civ.*
[c] *Plinius.*
[d] *Strabo l. 14.*

manæ immanem opulentiam non attingam. Vt Triptolemus olim curru orbem terrarum circumvectus, frugum, quaqua incederet, sparsisse semina dicitur: Ita fortè aurum sevit Pluto.

Cum in hac priscæ opulentiæ cogitatione versarer, tantam fortunæ miratus largitatem; salutatum me accedunt præstantissimi Iuvenes, *Dn. Suffridus à Saeckma*, & *Dn. Fredericus ab Hillama*, LL. DD. suâ parentumque amplissimâ dignitate, meritis, doctrinâ insignes. Ille electus agrariâ suffragatione in *Prætorem Dantemerd.* iste egregiâ virtute scientiaque dignus, qui mature Remp. capessat. Quos ut ad me adeuntes vidi, datâ benignè manu, precatusque amicam venientibus salutem,

Et benè, inquam, *apud memores veteris stat gratia facti.* Laudo vestram in me fidem, laudo benevolentiam: quos neque temporis diuturnitas, neq; fori judiciorumq; strepitus, neque usitata felicium Iuvenum studia impediunt; quo minus veterem præceptorem in hoc Vrbis recessu, & Musarum silentio invisatis. Tibi verò, *Dn. Saeckma*, quem es paulo antè adeptus, honoris gradum gratulor. Illum tibi patriæque benè vertere, teque optatum Amoris sociandi consiliis exitum contingere, velit Deus. Tibi, *D. Hillama*, precor, ut

per

per ſignata *tui Parentis*, ſummi quondam viri, veſtigia ſecundis ad Remp. auſpiciis accedas: quo te tua virtus, & tacita bonorum vota vocant. Equidem opportuni, optati, auſpicati venitis hoc tempore, ut ex veſtro ſermone relaxem pauliſper animum, moleſtiſſimâ laborum contentione tantum non confectum. Neque ſe, *dicebant illi*, aliâ de cauſâ ad me veniſſe quam ut exſoluti quotidianis fori moleſtiis, vulgiq; obſtrepentis turbâ, aliquid mecum fabularentur. Non poſſe quicquã accidere ipſis gratius; quam, obrepente hominum cauſarumque tractandarum tædio, in jucundis mecum colloquiis acquieſcere. Rogare, ut proferrem, ſi quid literatæ eruditionis, pro vetere ſtudiorum inſtituto, conceptum animo meditarer. Singularem percepturos voluptatem, ubi aliquid ex Muſarum deprompſero adytis, quod ſaturatas oppletaſque litigioſâ cauſarum diſputatione aures oblectet. Ego quidem, *inquam*, nunc à Muſarum habitaculis exulo, apud Plutonem hodie diverſatus: qui me cum *Midâ*, *Crœſo*, *Craſſo* aureis accepit folliculis, ærugini vehementius intentum. Vidi illic aureos Picorum montes, Pelopis & Tantali talenta, Pactoli opes, Herculis quæſtus, Ægyptiorum & Perſarum Regum conſtructas & coacervatas in immenſum cumulum divitias. Vidi omnes Divi-

tum

tum immensæ opulentiæ thesauros: quos ab Hyperboreis montibus Gryphes, & Dracones, servatis excubiarum vicibus, asservabant. De conficiendis opibus, de locupletando ærario, de condendis pecuniis, de complendo avaritiæ sinu, multus erat nobis & solus sermo. Virtutis & sapientiæ nulla erat in nummariæ rei negotiis mentio. Stupeo etiamnum, neque mirari possum satis priscorum temporum opulentiam, propitio Dite largam rerum omnium copiam, soluto sinu, profundente.

Nostrorum temporum Copia.

Hîc *Saeckma*: Ego quidem Naturam rerum non ita esse effætam exhaustamque puto, ut non paria veteri ævo, imò & plura possit præstare. Quam enim hodie immensis opum copiis Turcarum in Asiâ sustinetur Dominatio, in ccc. M. perpetuæ militiæ exercitum, sine ullâ rei nummariæ difficultate, ærario sufficiente! Quam ingentem pendit pecuniam Regi suo Persia! cujus objectâ mole Ottomannorum ferocientium impetus intra Euphratis ripas coërcetur. Quantis Sinarum Rex thesauris abundat, cxx. annui tributi millionum dives! Quis nescit obiti Solis opulentiam! cujus ferox præsidio Hispanus, collectis in Armageddo Antichristianæ militiæ copiis, jam in alterum sæculum funestis, Religionem & Libertatem armis oppugnavit.

Cujus

Cujus nuper fructum aliquem decerpens *Heinius* noſter, octies millies HS. cum inſtructiſſimâ navium claſſe in Belgium apportavit. Quantam pecuniæ ſummam ſi Romanis olim annuo tributo illa patens & potens pependit Gallia; an tantum jam præſtare non poſſit? Noſtra verò Belgica tam exiguis incluſa terminis: hinc Oceani fluctibus; illinc hoſtium obſeſſa armis, præter immenſum in claſſem atque aggeres ſumptum, [e] tot millionum, atque ultra, pecuniam, in ſolum caſtrenſis militiæ bellum quotannis impendit. Cujus parva portio *Friſia* noſtra, vix iter diei patens unius, magnâ parte aut demerſo ſolo paluſtris, aut arenis infrugifera, millies HS, hoc eſt, *milliones duos, & dimidium*, in militum confert ſtipendium.

[e] *xx. mill.*

Idem prorſus ego ſentio, *ajebat Hillama*, non minus jam largâ maximarum opum terrâ, ac olim, cum aut Perſarum, aut Romanorum armis dives rerum omnium copia pareret. Magnæ hominum noſtris temporibus ſunt opes, immenſæ à ſubditis contribuuntur pecuniæ: quæ ſi in unum cogerentur acervum, facilè priſcæ ætatis opulentiam æquarent. Illæ verò antequã in publicam veniant cuſtodiam, multorum capturis atque aucupiis depaſcuntur. Igitur ut magna flumina in plures derivata foſſas, interceptis hîc illic aquis, languido

fluunt cursu: Ita Reip. census multorum delibatus digitis imminuitur, accisusque magnâ sui parte in ærarium defertur. Satis, ut ego quidem puto, futura esset magna ærarii nostri ubertas, & sufficeret ad sustentandam terrâ marique militiam; nisi magnam vectigalium partem nummariæ in urbibus atque agris feles, & domesticæ egestatis lacunæ exhaurirent.

Sed neque Ego, *inquam*, aut restrictam magis solido, aut exhaustam Naturam arguo; ex intimis terræ visceribus copiâ rerum omnium plenis rivis scaturiente. Nolim tamen; qui novitiorum hodie mos est, ita nostrorum temporum bona laudari, ut vetera præ illis despiciantur. Iactamus ingentes Novi orbis divitias, quod omnem priscæ memoriæ superent opulentiam. At quid illæ sunt ad *Iulii Cæsaris*, ad *Augusti*, ad aliorum Principum largitiones: quarum unam Indiani multorum annorum reditus nequeant sustinere? Prædicamus Gallorum, Hispanorum, Belgarum immensos in bella sumptus. At quantuli illi sunt si Romanorum in *sexcenta quadraginta* terrà marique ordinariorum militum millia impensas respiciamus? Celebramus in Magistratus, in Templa & Scholas, in Officiorum curatores, in Pauperes, immodicam pecuniarum effusionem. At quantum Vrbani & Provinciales Romanorum

Magi-

Magiſtratus, & tot exterarum Gentium Legati abſumpſerunt! Quam infinito ſumptu perpetuus ille ac publicus tenuiculæ plebis paſtus, in *trecenta & viginti* M. capita collato gratis frumento, vino, oleo, carne, conſtitit! Efferimus magna Emporiorum noſtrorum vectigalia, agri ubertatem, grandes annonæ proventus. At quantus ille fuit f Africæ atque Ægypti! quæ ſolæ populum Romanum, *vicies centenorum millium hominum*, frumento aluerunt. Quantus Byzantii, deflorato jam Græcorum imperio! cujus urbis annuæ ex foris & portoriis penſiones g ad XX. M. aureorum veterum in ſingulos dies accedebant. Gloriamur villarum noſtrarum ſplendorem, magnitudinem, copiam. At quantulæ illæ ſunt, quamque paupertinæ, ſi ad Romanas reſpiciamus! quæ vaſtis terrarum diffuſę ſpatiis immenſos pecorum greges, familiam bellicoſis majorem nationibus paſcebant. Quarum ædificia magnarum urbium laxitatem, annui reditus regnorum tributa vincebant. Neque contenti tantâ agrorum laxitate, cum magnorum fluminum ortus atque obitus continuis arationibus obſediſſent, maria inſanis ſtructionum molibus occupabant.

f *Ioſephus in Or. ad Agrip.*

g *Itin. Benjam.*

h *Contracta piſces æquora ſentiunt*
Iactis in altum molibus. Huc frequens

h *Hor. O. 1. l. 3.*

 Cæmen-

Cæmenta demittit Redemptor
Cum famulis, Dominuſque terræ
Faſtidioſus.

Hui! hoc demum eſt Ruſticum eſſe, acclamabat *Hillama*. Quam largas & laxas poſſeſſiones ſi habuiſſet *Alcibiades*, fruſtra illum ad tabulam adductum Geographicam monuiſſet *Socrates* : [i] *Ne inſolentius ſeſe de prædiis ſuis efferret, quæ nullum in orbis delineatione aut locum mererentur, aut nomen.* Romana enim poſteriorum temporum opulentia non jugerum modo; ut audio; ſed provinciarum ſpatiis fundos ſuos deſcripſit. Quod ſi ita eſt, facilè *Vopiſco* credam : qui plebeias privatorum hominum villas quingentis cultas ſervis, duo vaccarum millia, equas mille, ovium x, caprarum xv. M. aluiſſe ſcribit. Quas dum cogito Romanorum civium copias, ſuccurrit mihi Plautinum illud : [k] *Divitiæ rarò cum virtute conjunctæ.* Quis enim ad virtutem ſerio incumbat inter tot malorum irritamenta? Quis cœlum cogitet, tanto in terris ſecundarum rerum felix proventu? Itaque, quod de victoriis ſuis *Metellus* dixit : *Neſcire ſe, an illæ majori Romanis eſſent commodo; an damno, civibus ex abundanti rerum copiâ ad ſuperbiam & luxuriam prolapſis* : hoc ego de Divitiis : Neſcio, profintne magis hominibus magnæ divitiæ ; an potius obſint.

[i] *Ælian. l. 3. v. H.*

[k] *Aſin. 2.*

Exci-

Excipiebat ea verba Saeckma. Ego verò magnam humanæ felicitatis partem in familiaris rei copiis atque abundantia ſitam eſſe arbitror: quæ & parandæ virtutis adminicula, & exercendæ ſubſidia præſtat. Sine quâ neque tueri ſuam integritatem Reſp. neque tenere aliquem dignitatis gradum magnæ virtutis indoles, neque conſervare ſplendorem nominis honeſtas, neque frui vitâ incolumi humanitas poteſt. Errare mihi videtur, qui dicit; [m] *Nullis præcluſam eſſe virtutem: omnibus patere, omnes admittere, omnes invitare: non eligere dominum, non cenſum: nudo homine contentam eſſe.* Si nudum Virtus hominem admittit, cur tantis facultatum diſpendiis virtus acquiritur? Cur tantus ad incertum potiundæ ſapientiæ caſum ſumptus inſumitur? Cur plebeiæ inopiæ ad prærupta Muſarum habitacula aditus plerumque obſtruitur? In contemptu jacerent illa præſtantia Deorum bona, ſi cuivis ex paupertatis ordine mendicabulo ſine pretio gratis paterent. Itaque non labore magis; quam pecuniis veneunt: irrito laboris conatu, ſi deficiente corporis paſtu animus langueat, ſi ventri male ſit, ſi cum fame luctandum. Nunquam quiſquam aut arduas de virtute cogitationes ſuſcipit; aut feliciter in ſapientiæ verſatur ſtudiis, quem turpis & acerba domi egeſtas excruciat. Frangitur, deficitque ingenium aſſi-

Divitiarum laudatio.

Sine illis non paratur virtus.

m *Sen. in Ep.*

duo paupertatis onere gravatum. Vacuum à ſollicitis curis animum requirunt ſapientiæ ſtudia. Inter domeſticæ inopiæ quiritatus & lamenta creſcere ac in altum exire virtus non poteſt. Fruſtrà flammam à recondito cineribus igne exſpectas, ſi nutriendo foco pabulum deſit. Vano conatu alas movet graculus, funiculo pedibus illaqueatis. Ita irretita rei familiaris inopiâ virtus eniteſcere, lucemque de ſe fundere nequit. Cui ſuppetit domeſtica tolerandis ſtudiorum ſumptibus copia, magnum ſanè ad parandam virtutem ac ſapientiam à fortunâ pręſidium accepit. Emit utilem librorum ſupellectilem, applicat ſe ad doctorum hominum familiaritatem, in peregrinas regiones, tanquam ad mercatum literatæ virtutis

n Laert. l.7. proficiſcitur. Non veretur [n] *auream Antiſthenis virgam*, quæ inopem æris à Muſarum adyto

o Ibid. depellat. Non irrepit cum [o] *Zenone* per poſticum in ſcholam *Polemonis*, ut mendicatæ eruditionis cavillo perſtringatur. Non petit ſtipem cum *Diogene*, non haurit aquam nocturnis horis cum *Cleanthe*, non victitat fabis cum *Telemacho*, non incedit nudis pedibus cum *Socrate*.

Neque exercetur. Vt paratur; ita exercetur difficulter ſine pecuniæ præſidio virtus: ad præclara impar facinora; ut qui vinculis adſtricti commovere ſe non poſſunt. Dives rerum copia ſoluto dif-

to difficultatum nexu liberè prolixeque publicum privatumque negotium obit. Si nummariam Resp. opem postulat, gravem ære sinum solvit. Si egestas tolerandæ vitæ subsidium petit, largâ manu stipem porrigit. Si conferenda in benè meritos præmia, res domi ampla benefaciendi copiam præstat. Si dare amicis operam oporteat, fontes liberalitatis inexhausti fluunt. Si referre beneficio gratiam velis, est, Divûm gratiâ, unde sumatur. Quantum suæ gloriæ cumulum perdidisset *Cyrus, Alexander, Scipio, Lucullus, Augustus, Vespasianus, Severus, Agesilaus, Alphonsus* Rex, *Sigismundus* Imp. si nullis ad largiendum instructi opibus fuissent! Quam multa exercendæ virtutis seges & materia præcideretur, si nullam benefaciendi merendique facultatem largiores divitiæ darent! Itaque non immeritò sordidum *Xenocratis* ingenium *Alexander* perstrinxit: quod remissis sibi L. talentis, nullam tantâ pecuniâ juvandorum amicorum rationem haberet. [p] *Si ipsi non opus est pecuniâ*, dicebat Rex, *num verò amicum nullum habet, cui eâ sit opus. Mihi quidem vix Darii opes in sublevandis amicorum necessitatibus suffecerunt.*

[p] Plut. Apoph.

Quam Virtutis; eam Dignitatis parandæ tuendæque facultatem Divitiæ possident. Equidem

Neque venit, & servatur dignitas.

[q] *Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat*
Res anguſta domi.

q Horatius.

Rarò in conſpicui honoris faſtigium multis obſeſſa difficultatibus aſſurgit Inopia. Dîs rerum copia omnes adverſitates vi ac virtute perfringit, gratiam beneficiis parit, invidiam virtute vincit, ſecundâ benevolentium aurâ ad ſublimem dignitatis ſedem provehitur.

------[r] *Dat cenſus honores,*
Cenſus amicitias: pauper ubique jacet.
[ſ] *Si quadringentis ſex ſeptem millia deſunt;*
Eſt animus tibi, ſunt mores, eſt lingua fideſque;
Plebs eris.------

r Ovid. 1. Faſt.

ſ Horat.

Non eſt ea vulgaris calculi ſuffragatio. Romani honorum gradus cenſu diſtinguebant. A cenſu Senatorem & militem legebant, tenuioris rei civibus ab omni munerum functione excluſis. Proletarios & Capitecenſos, qui aut exiguis, aut nullis facultatibus pollebant, ad nauticos tantum uſus, & muniendæ Vrbis pręſidia relegabant. Sapientiſſimi homines rem quemque familiarem alligare Reip. volebant; amoris in patriam obſidem & firmamentum. Itaque [t] *Auguſtus* Senatorum egeſtatem largis muneribus ſublevavit. [u] *Tiberius* cedere tantæ dignitatis loco indigentes coëgit. Quos [x] *Nero*, præter iracundiæ ſuæ indolem, annuo ex ærario ſtipendio juvit. Roſciâ quoque & Ottonis

t Suet. Aug. c. 14

u Tac. l. 2.

x Suet. c. 10. in Ner.

tonis Theatrali cautum fuit lege, ut in Spectaculis honorata quatuordecim graduum ſedes ſolis ditioribus pateret: [y] quibus quadringentorum ſeſtertiorum, inde à majoribus, cenſus eſſet. Eundem opulentiæ honorem Carthaginenſes exhibuerunt: non aliis ad Reip. accitis functionem; quam qui largis fortunæ muneribus abundarent: ſive ſplendorem ampliſſimi ordinis tenuitate rei familiaris obſcurari; ſive indigos omnium rerum nunquam rectè magiſtratum gerere crederent.

y *Iuv. Sat.* 3.

Neque bella geruntur.

Quę pacis ornamenta; ea quoque Bellorum ſunt ſubſidia, pecuniis ſtatu Civitatis firmato, ut nervorum vinculis artus humani corporis continentur. Quos ſi incidas, compages univerſa ſolvitur, & diffluentibus à ſe membris labem facit. Sapientium virorum hic eſt cenſus & oratio. Cicero, [z] *vectigalia Reip. nervos*; Mutianus, apud Tacitum, [a] *pecuniam belli firmamentum* dicit. Cæſar, *principatum parari & conſervari Militum & Nummorum* copiis, teſtatur. Sed [b] *ferro quoque validiorem eſſe inter civiles diſſenſiones pecuniam*, Paulinus affirmat. Quâ cum deſtitueretur *Philopœmenes*, magni dux exercitus, *Quintius* Romanorum Imp. cavillabatur in eum; [c] *quod ventrem non haberet, à manibus pedibuſque ſatis inſtructus*: lepido dicterio inopem exercitum, & ſtrigoſum viri corpus perſtringens. Igitur *Demades*, cum urgeretur ab Athe-

z *Pro Pomp.*
a *Lib.* 18.
b *Tac. l.* 18.
c *Plut. in Philip.*

nienſibus, ut in mare duceret naves; *Pecuniis egeo*, reſpondit. *De pane cogitare vos oportet prius; quam vela ventis committamus.* Quæ nummariæ rei difficultas *Hannibalem* ex Italiâ detraxit, cum lacrymis querentem; [e] *quod denegato pecuniæ præſidio à victoriæ curſu revocaretur.* Nihil enim gerere magnæ rei Imperator poteſt, ſi argenteis in hoſtem haſtis pugnare nequeat. Detrectat pugnam miles, non ſolutis ſtipendiis dubiâ fide vacillans, & duci ſæpè ſuo magis quam hoſti infenſus. Neque raro aut diſſoluti ſunt exercitus alimenti penuriâ, aut ex neceſſitate inito de ſummâ re certamine, res malè geſta eſt. Quoties auxiliaria pecuniarum ſubſidia hoſtium conſilia opeſque ſubverterunt! Quoties aut Ducum Militumque fidem, aut Vrbium Caſtrorumque propugnacula expugnarunt! Quod ut malo ſuo [f] *Ageſilaus*; ita ſuo bono [g] *Philippus* Macedo eſt expertus: ille queſtus, quod triginta ſagittariorum Perſicorum M. ſine ullo armorum conflictu, ex Aſiâ pelleretur; iſte gloriatus, quod omnes ſibi urbium arciumq; aditus paterent, quas ſubire onuſtus auro aſinus poſſet.

e *Liv. l. 30.*

f *Plut. Ageſ.*

g *Plut. in Regum Apoph.*

Neque quicquam rerum rectè adminiſtratur.

Quid? quod omnis humanæ vitæ ratio in pecuniæ præſidio conſiſtat. Quæ homines arant, navigant, ędificant, illius fiunt auxilio. Illa tegendo corpori veſtem, alendo cibum, muniendo domum largitur. Illa in adverſis perfugium,

fugium, in ſecundis ornamentum præſtat. Domi foriſque quicquid aut naturæ neceſſitas, aut voluptatis ſuavitas, aut honeſtatis ratio exigit, ſtratâ quaſi *Solis menſâ*, ſuppeditat. Miramur urbium atque ædificiorum magnificentiam, aggerum moles, foſſarum ductus, caſtrorum munitiones? Pecuniis elaborantur. Laudamus hortorum viridaria, ſylvarum umbracula, agrorum elegantem culturam? Pecuniis omnia debemus. O ingens humani generis bonum pecunia, [h] ψυχὴ δηλοῖσι βροτοῖσι! Tui nobis amorem parentes à primâ pueritiâ inſeverunt, & infuſa teneris cupiditas cum ætate nobiſcum crevit. Omnis populus, in alia diſcors, in tui ſtudium cultumque conſentit. Te ſibi ſuiſque optant. Te volunt cupidè omnes, te colunt obnixè omnes. Pro te in ferrum mortemque præcipites ruunt, maria tranſmittunt, per ignes & ſaxa currunt, nullum vitę periculum formidant, nullam laboris acerbitatem declinant.

h *Heſiod. in* Εργ.

Ζεὺς δ᾽ αὐτὸς νέμει ὄλβον ὀλύμπιος ἀνθρώποισι.

Divitiarum vituperatio.

Cum in illis Græci Poëtæ verbis ſiluiſſet *S:* nimis profuſam videri ſibi illam Divitiarum laudationem *H.* dicebat; certiuſque, egregium dicentis arguere ingenium; quam pecunias, partem bonorum omnium viliſſimam,

pro

pro vero celebrare. Vulgo tantam haberi virtutem, quantum eam extollere poſſit copia ubertaſque dicendi. Sibi aliam eſſe mentem; neque poſſe, pronis aliorum ſtudiis, vilem de ſepulchro lapidem pro Deo venerari. Rogare Amicum, ut benignè accipiat, quod in pleriſque aliis ipſi ὁμόψυχος, in ſtudio cultuque pecuniæ uberiore diſſentiat. Quâ enim in Bonorum parte, *dicebat*, Opes ponerem: quæ in fortunæ poſitæ arbitrio levi momento huc atque illuc aguntur. Affluunt ſubitò, repentè dilabuntur: nullo in loco, nullâ in perſonâ ſtabilibus nixæ radicibus conſiſtunt. Dicit hoc Græco ore Comicus noſter:

Fluxa ſunt.

Τῶν γὰρ ἀγαθῶν τὸν πλοῦτον ὕστατον τίθει·
Ἀβεβαιότατον γάρ ἐστιν ὧν κεκτήμεθα.

Miſeri mortales! omnia iſta, quæ vobis caducitatis veſtræ eripiunt memoriam, quæ centum clavibus aſſervatis, quæ ex alieno rapta ſanguine veſtro defenditis, quas propter conſertis in mutuam cædem ſignis concurritis, maria cruentatis, urbes quaſſatis, pacem quietemque vobis aliiſque rumpitis, vitæ famæq; diſcrimen ſubitis, commodatò à fortunâ habetis, ſtatim ad alium tranſitura dominum, cum rotam & vultum levis dea verterit. Cum quæſitis terrâ marique opibus diuturna vobis promittitis gaudia, illas aut hoſtis, aut hoſtilis animi

nimi possessor invadit. Iactatis magnificas ædium structuras, & imposita marmoreis columnis atria. Intra momentum temporis incendio deflagrant. Effertis agrorum multa jugera, quæ non milvus solido die oberret: Marium exundantium eluvie absorbentur. Prædicatis positas in fœnore pecunias: Furto fallaciisque præripiuntur. Timemus à grandine calamitatem, à ventis stragem, à frigore atque æstu uredinem. Metuimus à debitoribus fraudem, à raptoribus injuriam, à bestiis violentiam. Quoties aliquem fortuna inter divitias alternâ vice versat! Quoties quam facili impulsu constructæ in immensum cumulum pecuniæ dissipantur, & ad extremam recidit inopiam, qui statim maximis ornatus fortunis stare contra omnem fortunæ impetum videbatur! Magnus ille Romanæ potentiæ *Triumvir*, cum transeuntem aliò vidisset fortunam, & nihil sibi relictum præter jus mortis; neque hoc quidem nisi cito occuparet: [i] *Hoc habeo*, inquit, *ex omnibus, quæ dedit*. Ita multis sæpè hominibus ne plumbeus peculii nummus relinquitur, quo restim sibi emant, & pereant. Magnorum Regum Principumque ea fuit fortuna: qui ex patrimonio tanquam ex naufragio expulsi nudi, nihil præter vitalem animæ spiritum retinuerunt, illum quoque alienâ misericordiâ trahendum. Pilæ loco fortuna utitur Divitiis,

i *Sen. l. 6 Benef.*

brevi

brevi negotio huc illuc impulsis. Non facilius verna hortorum amœnitas deflorescit: nō mutabilior est scenæ apparatus; quam opum magnarum possessio: quæ cum maximè splendent, franguntur, & in nihilum recidunt. Quis rem tam incertam, tam fragilem in aliquo bonorum numero haberet?

Et vanæ. Quam verò est commentitia futilisque sub tantâ fragilitate vanitas! quam puerilis ineptia! Quid habere te in Divitiis dices; quam subventanea dormientium somnia, aut ludicra crepundia, quibus ætatis teneræ fatuitas se oblectat! Pueris pusillis

k Plaut. in Rud.

[k] *Ensiculus est aureolus primum literatus: (tera est:*
Post altrinsecus est securicula anceps: item aurea li-
Post situlula argentea, & duæ connexæ maniculæ,
Et sucula, & bulla aurea est:

& sexcenta alia, quæ parentum mollities & indulgentia ludicro pusionum gregi quotidie excogitat. Quid inter illos & nos interest; nisi quod carius in lautâ domus supellectili atque instrumento ineptimus? Illi ludicra omnia in pretio habent, & parvo emptas ære pupulas, aut astragalos supra parentum fratrumque æstimant necessitudinem. Nos argenteos aureosve nummulos unice unum plurimi pendimus, cognato propinquorum sanguine remissius æstimato. Illi repertos in littore calculos, trochulos, globulos magni faciunt. Nos varii coloris

coloris tabulas, pictas auro argentoque vestes, ex vitro metallove rariore vasa, ex marmore aut ebore signa pluris censemus. Illi congestis constructisque temere cespitibus domos & castella ædificant. Nos circa grandiores structionum moles & occupata cæmentis mille pedum spatia insanimus. Cùm vario colore parietes exornamus, cùm auro ferrum argentumve perfundimus, cum vestem purpurâ tingimus, cum cariosum lignum sericis stragulis obtegimus, quid aliud, quam stultis ineptiis oculis imponimus, & puerilium lusionum delirio protervimus? Ipsi nos cum magnas auri atque argenti copias congessimus, ludicris exculti ornamentis, sub bracteatæ felicitatis tenui membranâ miseram egestatem abscondimus. Quis enim divitem illum dicat, qui, quæ habet, debet? Debet autem, quantumcumque habet, fortunæ: quæ tam facilè suum repetit depositum, quam facilè credidit; exutosque omni pueritiæ cultu spectantium ludibriis exponit. [1] *Iulius Cæsar* cum in ære alieno multisque nummis esset, *millies*; hoc est, *vicies quinquies centenis millibus* aureorum; sibi opus dicebat, ut nihil deberet. Magis obstricti sunt fortunæ divites: qui ut nihil debeant, re ac spe suâ omni opus est, ære alieno cum censu semper crescente. Quis res tam ludicras, tam lubricas, tam puerilium plenas ineptiarum; quæ

1 *Appianus.*

quæ ne quidem noſtræ ſunt, à fortunâ commodatò datas; in præcipuo bonorum cenſu ponat?

Ex malo ſunt. Illas verò quiſquã bonas dicat, quæ ex malo potius ſunt; quam ex bono! Ex peſſimo ſcelerum fonte pleræque manant Divitiæ, malis artibus quæſitæ, malis conſervatæ. Quam homines induſtriæ ſpeciem iniquitati ſuæ prætendunt? Illos opum magnarum cumulos, quos tanquam publicæ privatæque ſalutis Palladium venerantur, vis, fraus, impietas coacervavit. Sacrilegiis, rapinis, furto, ſceleratis fraudationum machinis aucta plurimorum res eſt. Pauci admodum bonis artibus ad grandes pecunias veniunt. Circumſpice illam Divitum Epulonum turbam, & invenies, qui in miſerorum civium verſati ſpoliatione turpi judiciorum quæſtu ſe paverunt, prædones juris, prævaricatores legum, hoſtes æquitatis. Deprehendes qui inſtitutis domi mundinis Remp. venalem habuerunt. Videbis qui compilato ærario familiaris rei lacunas expleverunt. Quidam auro patriam vendidit. Aliquis improbâ vitâ rapiniſque opes accumulavit. Alius intentâ lite impulſiſque actione ſimplicibus fortunas amplificavit. Multi exhauſtis iniquo fœnore civibus, ſuppoſitis teſtamentis, fraudato creditore, flagitioſis obſequiis, perjurio, vi, dolove partas pecunias habent. Vix in illo grege

quiſquam

quiſquam eſt, qui non flagitioſis artibus operam rei dederit, Religione quoque ad quæſtum traducta, fide atque amicitiâ ad lucrum revocatâ. Hîc acerba *Artaxerxes* à provinciis tributa exigit. Illic *Nebucadnezar* aliquis, aut *Antiochus Brennuſve* templum atque aras deprædatur. Iſtic *Dionyſius* aureum Apollini pallium eripit. Ibi *Alexander* ingenti navium claſſe militumque copiis; *Pirata* unâ navi prædas agit. Alibi *Themiſtocles* Vi ac Suaſione comitatus pecuniam Andriis extorquet. Alicubi *Sylla* ditiores Romanos proſcribit: *Cæſar* ærarium expilat; *Nero* ab aleâ de feneſtrâ proſpiciens opulentum Equiti patrimonium vitamque detrahit; vix alias feliciore veneris jactu victor. Eſt, ubi *Curio* linguâ venali proſtat; *Herodes* Davidis ſepulchrum deprædatur; *Phryne* ac *Flora* meretricio corporis quæſtu ingentem pecuniam conſtruunt; Romanus Papa vendito cœlo atque altaribus terrarum orbem exhaurit; Cum *Veſpaſiano* undiquaque veniens lucri odor gratus eſt. Nihil in pretio, præter pretium, habetur. An tam ex improbo ſeminario Divitias in bonorum cenſu ponemus? An opes peſſimis ſcelerum artibus conſtructas coacervataſque bonas dicemus? Si non generant ferocem Aquilam Columbæ imbelles; ſi in ſpinis non proveniunt uvæ; ſi ex turpi non naſcitur honeſtum: ex malo nequitia-

rum fonte bonum non promanat. Ita verò admixta sunt sceleribus lucra, ita innexi flagitiosis artibus quæstus, ut sejungi ab illis non possint.

Et faciunt malos. Quantò minus faciant aliquem bonum, quę bona non sunt, ex malo nata, malorum penè omnium causæ? Injice aureos equo strigoso frœnos; nihilo illis reddetur melior. Adde pulchrum rudi Gubernatori navigium; non ideo clavum in puppi moderabitur rectius. Neque hominem in majore virtutis ponit dignatione fortuna splendidior. Quin ea, quæ concepit comprehenditque animus naturæ semina, res domi copiosior evertit: ut spinæ adolescentem segetem intercepto vigore elidunt, ne grandescere, & fructũ ferre aliquem possit. Quam illa uberem vitiorum materiam præbet! Quas sceleri faces subministrat! quam multas peccandi illecebras & malorum irritamenta offert! Vt ligno ignis; ut cibo corporis vita: ita improbitas suggesto pecuniarum pabulo alitur. Elanguescit statim illa conciditque incisis copiæ nervis: ut homo moritur, jugulo præsecto, aut præcordiis lethaliter sauciatis. Teneat abundantes opes ad exercitationem sceleris effrænata improbitas, Quis furentes cupiditatum impetus refutabit? Quis armatam opum præsidio licentiam cohibebit? Quantam furioso datus in manum gladius,

dius, quantam concreditæ pueris faces, perniciem dabunt? Attollit insolenter animos superbia. Faciet licenter rapinas avaritia. Indulgebit petulanter voluptati luxuria. Inferet confidenter injuriam audacia. Nullum tam erit nefarium facinus, quo se non obstringet confirmata pecuniarum subsidio nequitia.

At grandem homini utilitatem, ingens tolerandæ vitæ commodum afferunt Divitiæ. *Et incommodæ sunt.* Fateor sanè, si ad libidinem vivere magis placeat; quam ad naturam, quæ paucis contenta immodicum fortunæ apparatum non desiderat. Mergunt navem, non regunt enormia gubernacula: Ita ingentes divitiæ magis oneri sunt; quam emolumento. Is plurimum habet, qui minimum concupiscit. Quem usum tibi pręstat, quod multum habeas in arcâ, quod multum jaceat in horreis, quod multum pascas, multum fœneres? Cum exiguum ad benè vivendum sufficiat, quid prosit magnarum opum abundantia? Quicquid usum excedit, pondus est inutile, minus commodum ferenti, quam molestum. Imponimus nobis ipsis jactatâ magnarum opum utilitate: quæ non magis ad juvandam vitam prosunt, quam ad eundum calceamenta supra mensuram. Non deducunt ægroto corpori malitiosas febres, non animo curas. Non proferunt in plures annos vitam, extremo fatalis horæ gemitu non ad

unum momentum suspenso. Quod cum venit, nihil ex tantâ rerum copiâ brevem Dominum in funus sequitur, præter lugubrem næniarum apparatum. [m] *Saladinus* Ægypti Rex cum in fatali lecto supremũ necessitatis ictum exspectaret, funerale linteũ ad hastam suspensũ circumferri per urbem jussit, additâ præconis voce: *Hoc est quod Saladinus ex omni terrarum prædâ secum ad Acherontem feret*. Nudi in hanc lucem venimus, nudi exibimus, nudi Stygiã paludem trajiciemus. Non danace quidem opus est, quem in naulum Charonti offeramus.

m *Polyd. l.14.*

Fortunam non corrigunt.

O parvæ admodum utilitatis Divitias! quæ nullum adversus morbos mortemque præsidium, nullum adversus Fortunam auxilium præstare possunt. Dicat [n] *Sardanapalus*, quam à thesauris suis opem operamve habuerit, cum victus ab *Arbacto* intra Regiarum opum acervos cum pellicibus conflagraret. Dicat [o] *Crœsus*, cum pyræ impositus serò doleret, quod, spretâ *Solonis* monitione, nimiam in auro fiduciam collocasset. Dicat [p] *Policrates*, cum affixus cruci suam felicitatem damnaret. Dicat [q] *Crassus*, cum victus captusque à Parthis aurum tam infaustæ militiæ causam execraretur. Quam in auro parum sit opis [r] *Midas* expertus est, cum conversis in aurum cibis, acerbæ famis cruciatum quereretur. Expertus est Cyprius ille [s] *Ptolemæus*, cum publicatus à Romanis,

n *Iustinus.*
o *Herod. l. 1.*
p *Strabo l.4.*
q *Plutar.*
r *Ovid. l. 2. Met.*
s *Val. M. l.9.c.4.*

manis, impositâ in navibus pecuniâ, in altum proficisceretur, frustratoque auxilio domum rediret: non tam Rex divitis Insulæ; quam mancipium suarum divitiarum. Quam tibi parum, [t] *Pompei*, detracta terrarum orbi profuere spolia, cum sicam in te Regius minister stringeret? Quam tibi, [u] *Cæsar*, conculcatâ Patria Generoque, maximarum opum possessio utilitatem attulit, cum ante Magni statuam confossus libertatis pugione victima caderes? An potuit [x] *Attabalipa* coacervato in immensum cumulum auro ab immanissimis Hispanis suspendium redimere? An potuit [y] *Babylonius Caliphas*, ab Halaone Tartaro mediis pecuniarum gemmarumque impositus acervis, sine cibo vitam tolerare?

t *Plut. Pomp.*
u *Plut. in Cæs.*
x *Lips. in Const.*
y *Sab. l. 7. En. 9.*

Adjice quotidianas sollicitudines, quæ & parandæ pecuniæ studio, & augendæ desiderio, & amittendæ metu divites excruciant. Non levat Pecunia sitim; sed accendit. Non tollit curas; sed arcessit. Non imminuit necessitates, sed auget. Fallitur quisquis quietum à pecuniis otium & tranquillitatem exspectat. Illæ ut parantur molestè: ita quantum accrescunt; tantum decrescit securitas, gaudium, omnis tranquillæ vitæ jucunditas. Expertus est hoc suo incommodo [z] *Anacreon* Lyricus: qui cum auri talentum à *Policrate* accepisset; paulo post hoc illi restituit, *Odisse se mu-*

Sollitudines afferunt.
z *Stob. ser. 91.*

nus, dicens, *quod cogeret vigilare.* Adde quoque ad privatas difficultates Publicam perniciem: magnis imperiis & civitatibus ex largâ opum copiâ in exitium protractis. Multi Reges & nationes regna per opulentiam amiserunt, quæ per virtutem inopes ceperant. Id adeò haud mirandum est. Vbi enim in pretio sunt opes, virtus contemnitur, Sapientiæ studia despectui sunt: Fides à commerciis, probitas à moribus, religio, justitia, verecundia ab hominum animis profligatur. Locum honoris pecunia obsidet. Illâ dignitatem, honestatem, æquitatem homines metiuntur, vero rerum pretio sublato. Illi magistratus, Rempublicam, divina & humana omnia vendunt. Ad lucrum religionem profitentur, ad lucrum pii impiique sunt. Virtus, quamdiu mercedem præbet, colitur. Gratis probum esse tædet. Ita, quo magis crescunt opes, & uberior fit Reip. fortuna, illa ad exitium accedit propius. Aurum bella & certamina inter mortales excitat. Aurum famæ, vitæ, saluti hominum insidias ponit, pudicitiam expugnat, amicitiarum & civitatum proditiones facit.

Et Reip. exitium.

[a] *Aurum per medios ire satellites,*
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo. ---

a *Horat.*

[b] *Aurum materia est laborum, periculum possidentium, enervatio virtutis, malus dominus, proditor servus.*

b *Aug. Ep. 140.*

ſervus. Quorſum, ſtulti mortales, in primâ bonorum parte Divitias ponitis: quæ neque publicè civitatis felicitatem, neque privatim vitæ tranquillitatem præſtant: oneri magis mole ſuâ; quam commodo.

Cum Ego in tantam jocularis controverſiæ cauſam Diſceptator, & honorarius tanquam Arbiter ab Vtroque poſtularer, Divitias, *dicebam*, inter bonum malumque medias ex Vſu æſtimari. Qui ſi rectus ſit, ad parandam felicitatem præſidio eſſe; ſin pravus, poſſidentium vitio damnoſas. Vt ferrum militiæ inſtrumentum jure conſilioque rectum aras & focos defendit, hoſtium impetum propulſat, improbitatis audaciam coërcet: ſecus, in capita fortunaſque hominum effrœni furoris licentiâ diſtringitur: Ita Divitias rectæ Rationis gubernatas frœno fructum homini ingentem conferre; impotenti permiſſas libidini exitium dare, æquitatem ſubvertere, publicam privatamque ſalutem peſſum dare. Non impedire bonas artes, non inferre virtuti noxiam, ſi intra bonæ mentis imperium contineantur. Quo abjecto, cæco cupiditatum effuſas impetu in hominum rerumque perniciem graſſari. Datas eſſe humanis rebus in inſtrumenta & auxilia, ad bonas malaſque artes exercendas, poſſeſſorum arbitrio in alterutram

partem deflexo. Vsum verò illarum ex indole moribusque Domini sui æstimari. A stultis in exitium; à sapientibus in capessendæ felicitatis subsidium adhiberi. Itaque non quærendas anxiè Divitias; neque si veniant ultrò, morosè rejiciendas esse. Illud sordidæ avaritiæ; hoc imbecillæ parvitatis crimen impingere. Divitem verò esse, non qui multa possideat; sed qui parum desideret; ad naturam vivens, non ad opinionem. Itaque precandum cum c *Salomone*, ne aut magnis ditati opibus animos efferamus; aut paupertatis incommodo ad sordidi quæstus aucupia inclinemur.

c 2. Par. 1.

Vt verò, quid de Divitiis sentiendum sit, rectius cognoscatur, nunc me Naturam moresque illarum descripturum. Rogare, ut benignè sumerent, si fortè longiusculo sermone moram atque impedimentum intulero.

CAP. XVII.

De Divitum bonorum & Sapientium naturâ & moribus.

Opum varia Natura.

VIni hoc est ingenium, ut liberalius ab hominibus sumpto alii bacchentur; alii furiant; quidam pueriliter ineptiant; aliqui perfusis vegetatisque suavi humore spiritibus, ad decentem hilaritatem incalescant. Ea prorsus Divitiarum est ratio, cum diversâ possiden-

tium

tium indole in alios atque alios mores transeuntium. Apud sapientes modestè serviunt; apud stultos superbè imperant: hîc gubernaculo bonæ mentis obtemperantes; illic infinitâ rerum omnium licentiâ redundantes. In bonorum positæ custodiâ publicæ privatæque necessitati subveniunt; in malorum, virtuti adversantur, bonos mores & leges pessumdant, luxuriæ, insolentiæ, avaritiæ alimentum præbent. Illi ad excolenda honestatis studia; isti ad explendas cupiditatum libidines divitiis utuntur. Non aliter ac torrentes aquæ subjecti soli referunt colorem, ipsæ nullo colore imbutæ: Ita Divitiæ sibi dissimiles ex Dominorum suorum indole moribusque habitum & naturam assumunt.

Quò magis stultam veteris Disciplinæ Sapientiam demiror, quod opes rejecerit tanquam moram atque impedimentum virtuti ingenioque excolendo. Cujus sectæ [a] *Aristippus*, cum aurum servo ferenti molestum in itinere videret, *Abjice quod nimium est*, inquit, *& fer quantum potes*. Illo morbo insaniit furiosius [b] *Crates*: qui demersis in mare pecuniis, *Vos*, ait, *perire præstat; quam ut peream ego*. Paulò minus deliravit [c] *Anaxagoras*, cum captus sapientiæ amore relictum paternâ hæreditate patrimonium inter cives & familiares divideret: ut expeditius ab omni fortunæ cultu ad Philoso-

Philosophi opum contemptores.

[a] *Laert. l.2.c.8.*

[b] *Philostratus.*

[c] *Sabel. l. 2.c.1.*

d *A. Gell.* phiam accederet. Quo fuit animo [d] *Democritus* ille Abderites: qui ampliſſimas opes fratribus reliquit, ipſe, ſumpto ſibi exiguo viatico, ad exercenda ſapientiæ ſtudia peregrè profectus. e *Coel. l. 7. c. 10.* [e] *Philoxenus* verò Poëta, veritus ne à pecuniâ caperetur, relictis in Siciliâ opibus, fugâ ſalutem quæſivit. Μὰ τοὺς θεοὺς, εἶπεν, ἐμὲ ταῦτα τὰ ἀγαθὰ οὐκ ἀπολεῖ, ἀλλ᾽ ἐγὼ ταῦτα. Et cum dictis, relictâ ſociis ſorte, ab opulentiæ contubernio enavigavit. *Diogenes* verò tantus divitiarum fuit contemptor, ut Sole contentus & ſale Regis magni munera contempſerit, & à muſculo benè vivendi mutuatus documentum, pro amplis ædibus, in verſatili dolio habitandi ſumpſerit diverſorium. O ſtultæ ſapientiæ delira capita! Quid rem pretioſiſſimam ex malè utentium vitio damnatis, abjicitis, ex omni bonorum numero exterminatis? Vultis vites cum Lycurgo incidere, quod multi bibito vino bibiti ipſi fuerant? Vultis cum Democrito lucem vobis oculorum adimere, quod mentem aliquando ad objectas rerum ſpecies deflectant? Vultis nullam pro patriâ manum armare, quod in patriam arma multi ſumpſerint? Vultis aqua atque igni vobis interdicere, quod magnam ſæpè hominibus cladem intulerint? f *Plut. in Moral.* [f] *Prometheus* cum de cœlo ignem abſtuliſſet, eumque primò viſum Satyrus complecti atque oſculari

vellet,

vellet, *Heus*, inquit, *ni caves Hirce, profectò mentum tibi dolebit.* Hoc monitore vobis opus esset, qui optima quæque mortalium bona damnosa esse doceret, si in malum usum vertantur. Scivit hoc [g] *Aristippus*, cum delectatus aliquando insigni unguento, *Malè sit*, inquit, *malis cynædis, qui rem tam bellam adeò diffamarunt.* Sæpè, quę bona sunt, malè audiunt abutentium culpâ, nihilo minoris ideò æstimanda: nisi mundo solem, homini rationem, corporibus nostris manus pedesque velimus eripere.

[g] *Laert. l. 2.*

Frustrà palmaria gloriatur facta Miles, qui desidens in otio atque umbraculis nunquam in solem & pulverē egreditur, & ab arenâ procul aciem & discrimina declinat: Ita invictum à pecuniis animum prisci jactarunt Philosophi: qui relicto pecuniæ commercio nullum cum cupiditatibus suis bellum gessere. Quo majorem mihi virtutis laudem *Scipio*; quam *Alexander* meritus videtur: quod in captę virginis contubernio hostis, juvenis, imperator, famam & pudorem pręstitit incolumem: quam diffidens sibi Macedo in conspectum admittere timuit. Stultum erat, pecunias, ut sarcinam molestam, abjicere; quæ publico privatoque usui esse potuissent. Timidi pusillique fuit animi, abdicare se magnarum opum possessione; quas ratione consilioque regere debuissent, ne aut ndecores possessori suo, aut noxiæ aliis essent.

In

In copioſo Divitiarum affluxu quanto plus erat facultatis; tanto minus eſſe cupiditatis oportebat. In ampliſſimis fortunis præſcriptionem moderationemque honeſtatis tenuiſſent. Non ſe pecuniis; ſed pecunias rectis uſibus addixiſſent. Cum re lautâ auctaque eſſent, in animo; non in patrimonio divitias poſuiſſent. Ita ſanè opulentia excolendæ virtutis ſapientiæque adjumentum; non impedimentum fuiſſet.

Divitiæ ex poſſidentium ingeniis æſtimantur.

Igitur omnis Divitum ærugo ex poſſeſſore ſuo æſtimationem habet: ita magnum parvumque habent pretium, ut eſt animus uſuſque eorum, quorum illa cuſtodiis & præſidio tenetur. Polypus omnium rerum, quibus adſiſtit propius; Chamæleon omnium colorum ſpeciem repræſentat. Divitiæ ad mores indolemque ſui ſe Domini accommodant, bonæ malæve, ut ab illo uſurpantur. Atque ut Philoſophus miſſâ linguâ victimæ rem ſimul optimam & peſſimam miſit: Ita illæ ex poſſidentium uſu aut dignitatem magnam, aut indignitatem habent. O ſi in bonorum ſemper venirent manus Divitiæ, quantum humanis rebus commodum darent! Quanto virtuti ad res præclarè gerendas præſidio eſſent! Quam magnis ſapientium induſtria difficultatibus vacaret! Iſto adminiculo præclara ingenia ad præſtantes honores gloriamque conſurgerent,

rent, Reſp. in beato tranquillitatis ſtatu acquieſceret, optimus quiſque, quantum à pecuniâ virium, tantum à virtute laudis haberet. Nunc Fortunæ favore plerumque ad ſtultos improboſque devolutæ quantam mortalibus cladem afferunt! Quantum Reip. diſcrimen, lari familiari damnum, virtutis ſapientiæque ſtudio perniciem movent! Abductis ad luxum hominibus omnem virilis animi nervum incidunt. Efferunt inſolenti ſuperbiâ, efferant præcipiti audaciâ mortalium mentes: ut ſuæ oblitæ fragilitatis contra jura & leges facere audeant omnia & pati. Nihil opulentæ improbitati arduum eſt. Innocentiam pecuniis obſeſſam opprimit. Sapientiam atque integritatem argenteis haſtis à Rep. excludit. Fidem, manus, linguas hominum in obſequium ſuæ nequitiæ mercede conducit. Omnia humani generis incommoda ex hoc malignitatis fonte redundant. Prorſus ut aurum trementi impoſitum manui unà tremit: ut in fidibus nervi ſic ſonant, ut à digitis impelluntur: ita afficiuntur Divitiæ à poſſidentium animis, indolem moreſque à Contubernio trahentes.

Vide mihi illas apud Sapientem virum diverſatas: quam hîc benè habitant! quam inſignem modeſtiæ, integritatis, frugalitatis indolem præ ſe ferunt! quam cupidè, quam ala- *Sapiens divitum moderatio.*

criter

eriter bonæ mentis imperio deſerviunt! Nullas hîc cum Virtute inimicitias gerunt. Non inflant ullâ mentem ſuperbiâ, non inflammant nefariâ peccandi libidine. Nullum ſibi in leges jus, in Dominum ſuum poteſtatem arrogant. Non habent illum; ſed habentur. Ille circumfuſus auri cumulo, & Craſſi Syllæve complexus patrimonium nihilo ſibi magis ſumit; quam ſi pauperculis domi rebus, in pannis & inopiâ, horrido vitam pane oblectaret. Pone illum in regio Salomonis ſolio, offerant ſubditi Reges ditia ſoluto ſinu munera, adjice omnem benignæ fortunæ cultum: Non ideò major ſibi aut melior videbitur, quam parum umbram ſui corporis ex opum magnitudine videt excreviſſe. Quantum adjectum ſentit opibus, tantum detrahit cupiditati. Animo, non pecuniis felicitatem metitur. Illas etſi apud ſe, extra ſe tamen poſitas incertis fortunæ caſibus verſari novit; quę ſi abeant, nihil auferre, niſi ſemet ipſas. At bonæ Mentis poſſeſſionem nullum triſtioris fortunę recipere incurſum. Itaque magnis clarus opibus, cum affluunt fortunę munera, tum maximè fluxam mortalium rerum conditionem meditatur. Cogitat quot immineant caſus, quam ſit incerta rerum feliciter euntium proſperitas, quam brevi magnæ opes dilabantur, quã multi ex maximis fortunis in egeſtatem reciderint.

Atque

Atque ut contemnere ingenti animo difficiles potest divitias, tantus sub herbaceo tugurio, quantus sub lacunari aureo; mavult tamen habere illas ad vitæ usum, quam egere. Mavult luculento sui laris foco pasci; quam lutulento in foro compitisque manum ad stipem porrigere. O virum verè magnum, cui quam favet prospera fortuna, tam eum fovet propitia virtus! Qui habere potest, & carere potest: non cupit absentes, capit etiã præsentes! Vultis exhibeam vobis tantæ moderationis in aliquo mortali specimen? Exhibuit Patriarcha [h] *Iacobus:* qui neque dejecit animum in fugâ versatus ac inopiâ: neque extulit in copiarum abundantiâ: æquam in asperis prosperisque rebus mentem præstans. Exhibuit [i] *Iobus*, nullo neq; corruptus luxu, rebus integris; neque fractus luctu perditis. Quam sapiente imperio magnas rexit divitias [k] *Abrahamus*, [l] *Iosephus*, [m] *Booz*, [n] *Berzellaus*, [o] *Salomon*: qui, ex Apostoli præcepto, [p] *non sublime sapuerunt, neque sperarunt in incertis divitiis; sed in Deo vivo: qui præstat omnia ad fruendum abunde.* Suffragatur divinæ sapientiæ humana: cujus mysta [q] *Bias* beatum dicebat, qui opes ex animi sententiâ assequeretur; sed beatiorem, qui ne desideraret quidem. Prudens quoque divitiarum gubernator fuit [r] *Alcamenes Teleori* F. qui objurgatus à quodam, quod in magnis opibus frugaliter viveret, *Decet*, inquit, *eum*, *qui*

h *Gen.* 28. & 30.
i *Iob.* 1.
k *Gen.* 13.
l *Gen.* 41.
m *Ruth.* 2
n 2. *Sam.* 19.
o 1. *Reg.* 10.
p 1. *Tim.* 6. 17.
q *Stob. de Div.*
r *Plut. in Luc.*

qui multa poſſidet, pro ratione, non pro libidine vivere.

Vſus rectus in beneficentia.

Præter hanc in ampliſſimis fortunis animi moderationem & modeſtiam, hoc præcipuum habet opulenta ſapientium hominum virtus; ut bonis ſuis benè utatur, boniſque liberaliter ſubveniat. Fluunt domi perennes beneficiorum fontes: qui quò manant largius, eò uberiorem ſuæ copiæ fructum percipere videntur. Neque enim alio nomine pretioſas putat opes; quam ſi largiendi uſu deſinant poſſideri. Itaque in omnem benefaciendi occaſionem invigilat, cum *Ptolemæo* & *Artaxerxe* Regibus ſtatuens, [ſ] τοῦ πλουτεῖν τὸ πλουτίζειν εἶναι βασιλικώτερον. Et cum divino Apoſtolo: [t] *Beatius eſſe dare; quam accipere.* Confert largas ad beneficentiam pecunias, ſublevat publicam facultatibus ſuis penuriam, dat prolixam amicis operam, præſtat ſubſidium miſeris, præbet perfugium afflictis, tribuit miſericordiam proſtratis, juvat beneficiis quamplurimos, benè de univerſis meretur. Atque ut benefacit largiter: ita ut rectè, ac in loco collocet beneficium, diligenter attendit. Aperit rem familiarem munifica benignitas; ſed neque ita eam reſerat, ut omnibus pateat ex æquo. Cum verò tribuit merenti virtuti beneficium, facili tribuit manu: non dubitat, non differt obſoleſcente inter manus gratiâ. Neque

ſ *Plut. in Reg. Apoph.*
t *Act. 10.*

que tam à Phariſaicâ oſtentatione; quam à recto judicio honeſtaque benevolentiâ tantæ largitatis beneficium proficiſcitur.

Magna mihi hîc memorandi eſſet copia, quàm benignâ prolixâque naturâ multi ſuas in aliorum utilitatem opes converterint; niſi quantum ſeſe clariſſimæ liberalitatis lux diffundit, tantum me à dicendi facultate ingenioque deſtitutum agnoſcerem. Quis enim *Cyri*, Perſarum Regis, digno laudis encomio prædicet benignitatem? qui Regni potitus opibus nullum in juvandis amicis beneficentiæ genus prætermiſit: [u] *non in pecuniis, ſed in amicis poßidere ſe theſauros ſuos*, dictitans. Quis [x] *Alexandri*? qui rogatus, ubi theſauros ſuos haberet, *Amicos oſtendit*: in quos ex Macedoniâ diſcedens Regia vectigalia, *Spe ſolum ſibi ſervatâ*; Aſię domitor Perſicas gazas effudit: plura largiturus, ſi cum pluribus Mundis plures amicos accepiſſet. Quem æmulatus in omni laudis genere [y] *Cæſar*, non alium in finem quæſiviſſe videtur opes; quam ut eas in amicos erogaret: [z] *dando, ſublevando magnam inter ſuos gloriam adeptus*. Par in [a] *Nepote Auguſto* munificentiæ fuit indoles, tum in omnes, tum inprimis in præclara doctorum ingenia clauſâ nunquam benignitate. Neque minor in [b] *Veſpaſiano*: qui non paſſus ſummi Ordinis amplitudinem in anguſtiis ſordibuſque vivere, cenſum Senato-

u *Xenoph. Cyrop.*
x *Plutar. Curtius.*
y *Plut. in I. Cæſ.*
z *Sall. Iug.*
a *Sueton. in Aug.*
b *Sueton. in Veſp.*

rium explevit, Consularium inopiam liberali stipendio sublevavit, civitates terræmotu aut incendiis afflictas reparavit, doctis de fisco salaria constituit. Cujus Filius *Titus*, tantę virtutis opumque successor, in cœnâ recordatus, quod nullo quemquam beneficio affecisset, [c] *Vah*, inquit, *amici, diem perdidi*. Quam ne admitteret culpam [d] *Severus*, Amicos, quod nihil peterent, sæpè objurgabat, *ipsorum ignaviâ malum se nomen in ære relinqui alieno questus*. Quæ ille apud amicos; ea sub Augusto [e] *M. Agrippa* apud populum pretia posuit: cujus ille inopiam oleo & sale, & sparsis largiter in theatro pecuniis sustentavit. Quâ liberalitate magnam Atheniensium gratiam [f] *Cimon Miltiadis* F. collegit: qui non pauperes tantum ad cœnam admittebat; sed, detractis hortorum sepimentis, omnes in publicum usum fructus exposuit. Non dico *Nervam*, *Antoninum Philosophum*, & *Pium*, *Probum*, *Constantinum M*, *Henricum* I, *Sigismundum*, *Maximilianum* Impp. *Alphonsum Arragonium*, *Amuratem Turcam*, omnes quasi communes generis humani Mercurios, ex [g] *Constantini Chlori* sententiâ ratos, *Rectius à privatis publicas pecunias teneri; quam intra ærarii latebras sine aliquo usu flagellari.*

c *Idem.*

d *Lamprid in Severo.*

e *Dion. in Aug.*

f *Plut. in Cim.*

g *Cuspinianus.*

Et jam transire ab hoc laudis genere volebam; cum à sacrâ paginâ eximiæ liberalitatis

oborta

oborta mihi lux oculos calamumque perſtringeret. Quid enim benigniſſimam [h] *Iacobi* naturam ſilentio prætercam? qui emerſus ex inopiâ nactuſque divino beneficio rem auctam, ampliſſima de peculio ſuo munera *Eſavo* fratri donavit. Quid publicam [i] *Iſraëlitarum* liberalitatem? qui juſſi a Moſe, in ſacrarum veſtium & tabernaculi opus, ſpontanea conferre donaria, pleno, quod dicitur, modio contulerunt, ut profuſa ſupra menſuram largitas edicto fuerit reſtringenda. Quid [k] *Davidis* Regis? qui, fuſis Amalechitis, & divitem adeptus prædam, ſenioribus & amicis per Iudæam ſpolia tranſmiſit. Quam [l] *Ionathanis* quoque poſteris benignitatem præſtitit, *Mephiboſetho* ad regii convictus familiaritatem admiſſo. Quàm ille in veteris amici filium; tam in ipſum beneficus fuit [m] *Barzillaius* Gileadites, magnâ virtute fortuniſque vir: qui inopem profugi Regis Exercitum largo commeatu juvit. Sed ecce clarum ſummæ beneficentiæ ſpecimen [n] *Iobum*: qui natus ex ipsâ miſerationis ſtirpe, pater pauperum, nullam unquã, experte dapum ſuarum pupillo, buccellam ſumpſit. In quam gloriæ ſocietatem Perſarum quoque [o] *Magi* venerunt: qui præviâ portentoſi ſideris face ad DEI HOMINIS ducti incunabula, larga illi in vitæ & viæ auxilium munera obtulerunt.

h *Gen.* 33. 10.
i *Exod.* 36. 6.
k 1. *Sam.* 30. 36.
l 2. *Sam.* 9. 7.
m 2. *Sam.* 17. 27.
n *Iob.* 25. & 31.
o *Mat.* 2. 11.

In magnificentia. Quæ in conferendis rectè beneficiis Largitas, si extra communem usum sumptu grandiore prodeat, Splendoris & Magnificentiæ indolem assumit. Fugiunt illæ humilis animi fortunæque diversorium, largiter & libenter magnis in rebus solitæ profundi. Itaque excelso tantum loco apud summi fastigii sortem habitant, quæ par sit magnis sumptibus cum dignitate faciendis. Illic benemerendi si veniat ad manum occasio, pleno, ut dicitur, horreo, non restinctâ copiâ, non restrictâ benignitate proferuntur. In faciendâ largitione, in statuendis ædificiis, in præbendis epulis, in publicorum munerum editione, non ad parcæ frugalitatis modum; sed ad dignitatem & splendorem omnia revocant. De quâ largitatis magnitudine magnum præ aliis nomen *Alexander* obtinet: non immerito gloriatus, quod omnes homines, ut potentiâ; ita beneficentiæ magnitudine superaret. Cum daret Civitatem cuidam, atque ille non convenire suæ fortunæ tantum munus diceret, respondit: [p] *Non quid te accipere; sed quid me dare oporteat, cogitandum mihi est.* [q] *Perillo* L. donato talentis; cum x. tantum posceret; *Tibi*, inquit, *tantillum capere, satis est; non mihi, tantillum dare.* [r] *Anaxarcho* quæstorem dare jusserat, quantum exigeret: qui cum C. posceret Tal. atque hoc Quæstor miraretur, *Rectè*, ait, *facit, sciens amicum*

p *Sen. de benef.*
q *Plut. in Apoph.*
r *Ibid.*

cum se habere, qui, quod velit dare, possit, & quod possit, dare velit. O dignam orbis terrarum imperio Magnitudinem, quam ipse orbis suo capere complexu non potuit! Quâ largæ liberalitatis indole [s] *Regina Sabæ* c. auri Tal. & gemmarum aromatumque magnam copiam *Salomoni* donavit: [t] *Cyrus* & [u] *Artaxerxes* restaurandis Iudæorum sacris magnas opes impenderunt. [x] *Ahasverus* in sacro Estheræ connubiali, præter Regias magni apparatus epulas, eximia amicis dona dedit: [y] *Nehemias* æs alienum popularibus condonavit. At verò quantula est omnium hominum munificentia præ unius Christi Servatoris largitate? qui cælestes nobiscum opes communicavit, & Electorum hominum Ecclesiam suo sanguine ab inferni cruciatu redemit: pro morte vitam, pro exitio salutem, pro æternis animi corporisque pœnis divinæ beatitudinis hæreditatem donavit. Quod cum cogito non possum continere me, quin cum Regio exclamem Prophetâ: [z] *Magna est super cœlos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua.*

s 1. Reg. 10. 10.
t Esd. 1.
u Esd. 7.
x Esth. 2. 18.
y Neh. 5. 10.
z Ps. 108. 5.

Quid itaque veterum dicam Donativa, in Missilia, in Congiaria, in Lautia, in Ludos & Spectacula magnificentiam? Quid referam *M. Scauri, C. Curionis, Pompeii, Augusti, Vespasiani* in urbe Româ Theatra? Quid commemorem *Artemisiæ* & *Augusti* Mausoleum, *Severi*

Septizonium, *Aelii* Hadriani molem, *Amasis*, *Zoroastæ*, *Simandii*, Ægyptiorum Regum, Sepulchra? Quid in medium afferam *Titi*, *Agrippæ*, *Septimii Severi*, *Gordiani*, *Diocletiani*, *Domitiani*, *Aureliani* Thermas? Quid laudem Euphratem à *Semiramide*, Hellespontum à *Xerxe*, Araxem ab *Alexandro*, Rhenum à *Iulio Cæsare*, Danubium à *Nervâ* ponte stratũ? Quid prædicem Nilum à *Sesostre*, Euphratem & Gnidem à *Cyro*, Halyn à *Crœso* in immensæ altitudinis fossas deductum vadoque transitum: Athon montem à *Xerxe* perfossum, inductoq; freto navigabilem factum: à *P. Servilio*, ad Isauricum Ciliciȩ, à *Cæsare*, ad Vxellodurum Cadurcorum, Flumina in alios cursus à fontibus suis deflexa? Quid verbis extollam *Appii Claudii, M. Titi, C. Servilii, Agrippæ, Octaviani, Domitiani* Aquæductus, vicinis fluviis infinito in Vrbem sumptu derivatis? Quid oratione efferam *Ogdoi* Regis, ad arcendam Nili exundaȩionem, stupendi operis aggeres; Tyrum ab *Alexandro* injectâ mari mole continenti junctam, Hierosolymam à *Tito* portentosâ munitione circumventam; Helvetios à *Cæsare*, muro undeviginti passuum millium inclusos, Tartaros à Chinâ multorum milliariorũ muro sejunctos? Quid admiratione prosequar factas in Templa, in Xenodochia, in Vias publicas, in Vrbiũ munitiones, in Navalia, in Peristylia,

ristylia, in Porticus & Xysta impensas? Quę etsi in omne ævum clarissimum magnificę opulentiæ præbeant documentum; cuncta tamen contractæ paupertatis angustias sordesque aliquis dixerit, si in Divinæ benignitatis Divitias seriâ cogitatione descendat.

Nunc ad *Improbæ indolis Divitias* orationem deflectam.

CAP. XVIII.

De Divitum Improborum Moribus.

EPictetus conspicatus aliquem moribus improbis, & confidente linguâ, impigro tamen studio Philosophię dare operam, Deûm hominumque obtestatus fidem, *O homo*, exclamabat, *vide, quo mittas*: [a] *num purgatũ vas sit*. Nam *si ad arrogantiam illa immiseris, corrumpentur, & contracto acore in marcidam vappam exolescent*. Hoc improbis magnarum opum sectatoribus meritò quisquam acclamet: *O homo, vide, ubi pecuniam deponas. Nam si eam pravo ingenio nequitiaque construxeris, in malos versa usus damnum ingens dabit*. Vt vinum labem trahit à vase impuro: Ita referunt possidentium indolem pecuniæ, in publicam privatamque paratæ perniciem, si illa contaminata vitiorum sordibus obsolescat. O malè creditæ malo Domino pecuniæ, quam erit ex vobis magnum

Divitiæ malis credita nocent.

a Gell. l. 17. c. 19.

virtuti atque innocentiæ malum! Quantam vos rebus humanis cladem afferetis, cum copias audaciæ auxiliares præſtabitis! Quis improborum hominum licentiam cohibebit, cum à vobis nervos & firmamenta exercendæ nequitiæ impetraverint? Quis erit bonis artibus in Rep. locus? quæ ſapientiæ dignitas? quod benemerentium præmium; ſi quod vult improborum opulentia, hoc poteſt: & quod poteſt, audet: & quod audet, nemo valet impedire. Nullum erit à legibus innocentiæ præſidium. Nullus ad honores induſtriæ patebit aditus. Quicquid libebit avaritiæ in rapinis, ſuperbiæ in contumeliis, luxuriæ in voluptatibus, ſine ullâ moleſtiâ licebit. Non traditæ paricidis ſicæ, non affuſum incendiis oleum, non concitati ventorum violentiâ marium æſtus plus afferent nocumenti; quam pecuniæ cuſtodiâ præſidiiſque improborum obſeſſæ.

Sumite nunc ſalubre ſapientiæ pharmacum, & tanquam adverſus venenum antidoto vos munite: ne, dum opulentis nequitiæ ſubimus contubernium, labem à peſtiferâ ærugine lethalem trahatis. In illo contaminatorum hominum turpi grege *Nabal* & *Epulo* improbus opum turpiter partarũ fiduciâ nefariis ſe ſceleribus obſtringent, *Phanias*, domeſtico ferox theſauro, Deos homineſq; contemnet,

Midas

Midas captus mente in aurum omnia vertet, *Alphius* fœnerator redactam Idibus pecuniam Kalendis ſollicitè ponet, *Nero* nepotinis ſumptibus Imperii patrimonium decoquet, Copia malè acervata; malè ſervata gravem humanis rebus noxam dabit. Ecce vobis poſitas in Improborum poteſtate atque arbitrio pecunias, quam illæ exitialem nocendi vim habent! Quam ab illis magnum Reip. exitium impendet! Nullum eſt tanti ſceleris facinus quod deſignare non audeant. Nihil tam ſanctum, quod non violent: tam munitum clauſumve, quod non perfringant: tam ęquum ac rectum, quod non pervertant. Si facienda vis; promptæ ſunt. Si paranda ſeditio; paratæ. Si opprimenda injuriis innocentia; expeditæ. Si evertenda bonorum induſtria; ultrò ſe offerunt. Illæ omnem in Rep. poteſtatem atque imperium obſident; leges rogant, abrogant; fœdera ſanciunt, reſcindunt; ſententias ferunt, retractant. Iura pretio, æquitatem libidine ſuâ metiuntur. Quicquid concitata furoris impetu ſuadet audacia, nullis repreſſæ difficultatibus perficiunt. Obſtat publicarum ſanctionum authoritas? Eam auxiliaribus opum copiis infirmant. Adverſatur potior ſuffragiorum Tribus? Eam aureo Iovis imbre expugnant. Ambit debiti honoris gradum eximia Virtus? Aditum illi omnem, emptâ mercede

Rep., occludunt. Quicquid eſt in mundo amplum inclytumque, pecuniarum ope paratur. Illæ venalium de grege Cappadocem *Coclitum* inſerunt proſapiæ. Illæ vilem de circo maximo Cerdonem in quartodecimo honoris locant gradu. Illæ ignavos & ignaros ventres Reip. apponunt gubernaculo. Illę genus, formam, dignitatem, ſapientiam, cœlum Deumque pretio nundinantur, virtutem elidunt, fidem ac probitatem de medio tollunt, divina atque humana omnia pro arbitrio verſant.

[b] *Anton. ſer. de divit.* De his interrogatus [b] *Chilon*, quid eſſent; *Theſaurus*, inquit, *malorum, calamitatis viaticum, improbitatis ſuppeditatio. Itaque neque in domo, neque in civitate opulentâ locum eſſe virtuti*, [c] *Diogenes* dixit. Cui aſſenſus [d] *Plato*, Nunquam quemquam in magnis divitiis navaſſe bonis artibus operam aſſerit. Neque alia ſervatoris Domini mens fuit, [e] cum *Camelum facilius aciculæ ſubiturum foramen* ait; *quam ut pravo ingenio dives ſervetur*. Rarum quippe eſt, non corrumpi Divitiarum contubernio: & affluentibus hinc inde divitiis, vitiorum fomitibus, animum ſervare inconcuſſum. Quo enim pecuniarum penetrat cupido, neque diſciplina, neque artes bonę, neque ingenium ullum ſatis pollet, bonorum quoque animis diuturnâ opulentiæ conſuetudine ſuccumbentibus. Erat eximiis inclyta

[c] *Stob. ſer. 91.*
[d] *de Leg.*
[e] *Mar. 10.*

Divitiarum contemptus Reſp. firmavit.

clyta

clyta viris viribuſque Roma; cum *M. Curius* ligneo de catillo rapas edens Samnitium divitias contemneret. Cum *Fabricius* Pyrrhi aurum & regnum repudiaret; *Fabius* ad Ptolomæum Legatus accepta privatim à Rege munera in ærarium deferret; *Paulus* pauper nihil ex Macedonicâ prædâ, præter gloriam decerperet; *Cornelia* Gracchorum mater in bene educatis liberis ornamenta ſua poneret; *Attilius* ab agreſti ſtivâ ad eburneum ſummi imperii Scipionem vocaretur; magni Principes in divite imperio pauperes; quam in paupere divites: & imperare locupletibus; quam eſſe locupletes malebant. Eadem, extincto virtutis ſpiritu, in omnem ſe præceps effudit proterviam, cùm Pœnorum & Macedonum ſpoliis, atque Aſiaticis opibus, Principes ditarentur. Vigebant in Eccleſiâ veræ pietatis ſtudia, cum illa tenui contenta victu nullo parandorum opum ſtudio curaque raperetur. Quæ ubi ſemel in Chriſtianorum mentibus inſedit, aurumque in pretio haberi cęptum eſt, ardens illa colendi Numinis cupiditas paulatim refrixit, virtutis ſtudium elanguit, priſci cultus integritas labem accepit, Religio magis ad profitendam, quam perficiendam virtutem valuit. De *Mandrabulo* fertur, quod reperto ingentis pretii theſauro, in documentũ pietatis, primò auream Iovi ovem poſuerit, deinde argenteam,

Et virtutem.

genteam, tertio æream: donec extinctâ pietatis memoriâ, omni se Deorum religione exolveret. Ita Christiana Ecclesia, postquam affluentibus omnium rerum ditata est copiis, sensim à primâ fidei vitæque simplicitate descivit, cum crescentibus fortunis virtute decrescente. Maximis olim præditi fuerunt opibus Ægyptii, Lydi, Syri, Persę, Iones, Sodomitę, Campani, soli divitis ubere in ambiguum Liberi cum Cerere certamen suspenso: At illi quantò à divitiis munitiores; tanto animis & virtute minutiores fuere. Non sub Hymettiis *Crassi* columnis, sub aureo *Metelli* lacunari, sub pictis *Antiochi* tabernaculis, sub Attalicis aulæis, in Albanis & Seplasiis luxuriosæ abundantiæ castris, in divitum Epulonum palatiis; sed in paupere Romuli casâ, in sterili atque æstuoso Pupiniæ solo, in rusticis Curionum & Cincinnatorum tuguriis, sub Diogenis dolio, præcipuè ad contempta Christi cunabula magna virtus habitabat. Plerumque quibus res domi difficiles asperæque ad gloriam incitamento, illis divitiæ oneri miseriæque fuere. Quo magis Belgicæ nostræ vereor: ne dum melior lætiorque in dies adspirat fortuna, dum imperium crescit, & in hosticas ditiones, ipsamque adeò Indiam transcendimus, dives rerum copia magis capiat nos; quam nos illas.

Præcipuæ

Præcipuæ in opulentâ improbitate partes sunt Superbiæ: quæ fortunæ fiduciâ plus sibi semper assumit; quam fas est. Plerumque enim ubi aliquid pecuniis accesserit, illico animi hominum sublati sunt: alios despiciunt, se ipsos magni pendunt, verbis & gestu arrogantiam significant. Quibus idem contingit, quod Alexandri Bucephalo: qui nudus admittebat in tergum equisonem; regiis ornatus phaleris neminem nisi Regem. Ita cum auro homines superbiam assumunt, suique æstimatores immodici omnibus insolentię gradibus exultant. *Comes est opulentiæ superbia.* Grandis omnino animus est, qui inter divitias isto malo non tenetur: & cum multis affluit fortunæ muneribus, submissius se gerit. Plerique rem nacti efferunt se insolenter, magnaque immodici ambitione extra se, ac humanitatis modum abripiuntur. Circumspicite in nostrâ Civitate humillimæ fortunæ homines, qui nuper à paternæ angustiæ sordibus emersi pudendis artibus ad divitias venerunt. Volitant in foro & plateis splendido fortunæ cultu suæ conditionis modum supergressi. In consessu primum locum, in colloquiis dicendi prærogativam, in omni actione præcipuas sibi partes arrogant. Iactant se magnificè, & amplas domi res, positas in fœnore pecunias, nomina descripta in tabulis, fundos & domos, tanquam sua pueri *Improbi Divites superbi sunt.*

crepundia,

crepundia, ſuperbè oſtentāt. Splendido opere ædificia moliuntur, ex auro, argento, ſignis atque aulæis cænacula exornant, in uxorium & puerilem mundum magnas impenſas faciunt. Se ſolos ſapienter, ſe fortunatos, & albæ gallinæ filios dici ac haberi volunt. Suas res carè æſtimari, verba tanquam Areopagi aut Amphictyonū reſponſa coli poſtulant. Tenuioris fortunæ homo ſi quid dicat, pro ludo & delectamento habent. Nō comicus Thraſo gloriari de ſe inſolentius, non Campani ſupercilii arrogantia invehi potuit ſuperbius; ac illi ſubitis atque inſperatis pecuniis ferociunt. Vt qui moleſtam diu ſitim ſuſtinuerunt, cum datâ bibendi copiâ ingurgitant ſe vino largius, inani elati lætitiâ exultant & bacchantur: Ita illi modò egentes, repentè tanquam ſomno facti divites miris inſolentiæ modis efferuntur. Atque ut ricini paulò ante exucci, mox bibito affatim ſanguine diſtenduntur: Ita ſe diffundit turgeſcitque in tumorem plebeia egeſtas, ſi quando aureo Iovis imbre, præter opinionem, irrigetur. Cave illam facto verbove offendas. Periculoſum eſt, hominem opibus elatum oratione laceſſere. Non patitur ſe ullâ juris diſceptatione vinci, non reſtringi legum authoritate. Vi atque armis; non arbitri judicio cauſam diſceptat. Si quam leviculâ de causâ iram in adverſarium

conci-

concipit, plumbeâ in animo mole hæret, non reconciliatâ gratiâ, nisi culpæ veniam rogato cumulatè satisfiat.

Clarum opes tantæ elationis dederunt specimen in *Benhadado* & *Sennacheribo*, illiusque Legato *Rabsace*, Syriæ; in *Pharaonibus* Ægypti; in *Nabuchodonosore*, *Balsasare*, *Dario*, Chaldeæ Regibus: quos illæ in domicilio collocatos superbiæ supra divinam dignationem extulerunt: à quâ quantum abessent, ad extremas redacti angustias, suis malis didicere. Illarum fiduciâ *Alexander*, victo Dario impar suæ fortunæ, filium, civem, hominem se esse negavit: *Domitianus* Imp. Dominum & Deum nominari se jussit: *Maximinus* manus & pedes Senatoribus osculo libandos porrexit: *Caius* Princeps Iovis maximi nomine statuas sibi erexit: [f] *Sabor*, Persarum Rex, fratrem se Solis & Lunæ nominavit. O stultos mortales, quos opum abundantia mundo majores fecit; unius aut febriculæ incursio, aut sicæ punctio universo Mundi mundo spoliavit! Sed tam est insolens Divitiarum contubernium, ut ne piissimi quidem Reges, [g] *David* & [h] *Ezechias*, præcavere fastum potuerint: ille superbum instituens populi censum; iste Babylonio legato thesauros suos ostentans. [i] *Hamanis* Syri memoria licentiore accusatione & lætiore vultu perstringitur: quem suæ opes edito

f *Plin. l. 6.*
g *2. Sam. 24. 15.*
h *2. Par. 32. 24.*
i *Esth. 7. 10.*

edito ſupra alios faſtigio in cœlum & crucem ſuſtulerunt. Mitius [k] *Hadrianus* Imp. Liberti ſui inflatum divitiis animum caſtigavit: quē cum medium inter Senatores ambulantem videret, miſit qui colapho hominem cederet: indignum arbitratus ut *honorem illis præriperet, quorum eſſe poſſet ſervus*. Quantum igitur Capitolinus ille *Iupiter* mundo debet ludibrium! quem immanis divitiarum affluxus egreſſum humanitatis faſtigium ſupra cœlos extulit; victor Agnus furtivi honoris dejectum ſolio brevi infra omnes mortuos relegabit.

k *Spartianus in Hadr.*

Et ſtulti.

Superbiæ comes eſt Stultitia: de quâ malè ſemper magnæ opes audiverunt. Quippe rarò inter Divitias ſapientiæ locus eſt, Pallade Plutonis contubernium averſante. Iſte humi affixus eruto terris auro incubat; illa cœlum ſpeculata melioris ingenii aurâ paſcitur. Iſte fluxæ fortunæ caducas opes; illa immortales, nullis obnoxias fatorum arbitriis, quærit. Stultos facit, quos nimium Pluto fovet. Pallas à fortunâ neglectis bonæ mentis poſſeſſionem impertit. Pauperes inopiæ damna ingenii plerumque bonis rependunt. Divites quanto magis fortunæ; tanto minus animi opibus valent. Adipati corporis vaſtum abdomen, & onuſtus cibis venter prægravat unà animum,

[l] *Atque affligit humi divinæ particulam auræ.*

l *Hor. 2. ſer. 2.*

Ita menti ut plurimum obſunt ampliſſimæ fortunæ,

fortunæ, raroque ejusdem consortes sunt hospitii grandis opulentia, & præstans sapientia. Ex eo est, quod Plutonem captum luminibus *Aristophanes* finxit: cum in magnâ fortunæ laxitate cæcutire homines, & destitui mentis oculo videret. Quos Diogenes *oves vellere aureo*; Xenophon *fordes inargentatas*; Socrates *pecuniosa mancipia*, & viles Equos pretiosis ornatos phaleris nominavit.

Si enim locupletum Epulonum vitam propius inspicias, si sermones, si mores actionesque consideres, quam sunt dementes, quam fatui, quam ridiculi! Felicitatem suam ponunt in opibus: quarum tam est incerta, tam lubrica possessio! Quid est eo stultius? Gloriantur de fundis & cæmentis, quæ fortunæ debent, post ductum bis terve spiritum ad incognitum, aut ingratum hæredem transferenda. Quid est eo insipientius? Confidunt numis plusquam Numini: qui neque à curis requiem, neque à morbis sanitatem, neque à periculis immunitatem, neque in miseriis solatium præstare possunt. Quid est eo insanius? Quid obvelas turpes asini aures, *Mida*? quas si tui tibi familiares exprobrare non audent, junci tractam è terrâ libertatis vocem propalarunt. Quid spretâ sapientiæ monitione beatis te oblectas somniis, *Crœse*? Questus ille in pyrâ miserabilis tuæ inter opes fatuitatis clarum ad

posteros præbet documentum. Quid jactas Deorum in te mentem habitare, *Xerxes*, participe cœlestium consiliorum, consorte ætheriorum luminum? Recordare injectas Hellesponto compedes, & inflicta verbera: agnosce scriptam ad Athon montem Epistolam tuam: [m] *O divine Atho, qui nubes attingis vertice, nolite operi meo præbere difficilem. Ni faxis, excidam te, ac in mare projiciam.* Pro lapis Iupiter! Ad quantam redegit hominem insaniam fortunarum abundantia. Illâ rationis deliratione *Crassus*, jam decurso penè vitæ spatio serotinus, in Parthicum bellum iit; periit. Illâ [n] *Nabal*, securus impendentium malorum, gravem Davidi contumeliam fecit, defecit. Illâ [o] *dives Ganeo*, spretis *Lazari* lamentis, fœda voluptatum sacra obiit; in infernum abiit. Ita, quantò quisquam à fortunæ bonis est instructior; tanto plerumque mentis minus habet.

m *Plut. de non irasc.*

n *1. Sam. 25.*

o *Luc. 16. 19.*

Et avari.

Præcipuas indolis contaminatæ vires in Avaris hominibus exerunt Divitiæ: quæ nullâ satiabiles copiâ, quo gravius excrescunt, eò magis grandescere desiderant. Ita namque fervet lucri cupidine homo avarus, ut

Non Tartessiacis illum satiaret arenis
Tempestas pretiosa Tagi: non stagna rubentis
Aurea Pactoli; totumque exhauserit Hermum,
Ardebit majore siti.

Congeratur in illâ Charybdi, quicquid olim

Crœsus

Crœſus Craſſuſque, quicquid Syllæ & Claudii Principis Liberti poſſederunt: Egreſſa omnem fortunæ modum auri montes conſtruxerit, Perſarum atque Ægyptiorum theſauros teneat; aureo terram pavimento cum Nerone, ſcobe & ramentis aureis cum Heliogabalo tegat: ut non habeat tantum divitias; ſed calcet: Accedant ab Erythræo mari baccæ, ab Indis gemmæ, à Tyro purpura, à Corintho ſigna & ſtatuæ, à Seribus delicata vellera, & quicquid magni pretii aut ars, aut natura in lucem extulit: plura cupere ab his diſcet. Quo major rerum eſt copia, eò inflammatur habendi deſiderium ardentius. Aliarum rerum cupiditas finita eſt; pecuniæ, ubi deſinant, non habent. Feræ beſtiæ, quando eſt opus, rapiunt: Vrſi & Lupi ſaturati prædam relinquunt: Avaritia nullum cupiendi, nullum capiendi modum habet, prædâ tantum irritandæ fami accumulatâ. Atque ut ſcabioſæ puerorum manus frictu ſemper opus habent: Ita perpetuo urgetur habendi pruritu. Quod Hydropis vitium eſt, ut bibendo plus magis ſemper ſitiat, & in mediis aquis aquam deſideret: hoc iſtius voraginis, ut nullâ ſatiabilis copiâ inter abundantes opes vehementiore opum deſiderio exardeſcat: Quod neque cum annis quidem & tempore, quod depaſcit omnia, deferveſcit, cum ſenio & virium decremento ha-

bendi cupidine accreſcente. Quò minus ad vivendum ſupereſt ſpatii; eò plus in ſtruendis opibus ſenilis induſtria advigilat. O miſeri mortales, quibus dum abundat vita, egent vitę benè agendæ præſidiis: dum illis affluunt, vitâ indigent, tam eo, quod habent, carentes, quam quod non habent. Quale portentum cum elatum funere *Demoſthenes* videret, p *Iſte*, inquit, *cum vitam non vitalem vixerit, aliis vitam reliquit.* (*βίος Græcis vitam ſignificat & victum:*) Qui ex Platonis præcepto ita demum benè vixiſſet, *ſi non tam ſtuduiſſet* q *poſſeſſioni augendæ; quam cupiditati minuendæ.*

p Stob. ſer. 10.

q Ibid.

Sed fruſtrà obtures os hianti in prædam laro: quam ut conſequatur, nihil tam eſt ſanctum ac ſolemne, quod non violet, nihil tam clauſum & munitum, quod non perfringat. Nam

r ------*quæ reverentia legum,*
Quis metus aut pudor eſt ſemper properantis avari?

r Iuv. Sat. 14.

Nihil ille præter unam pecuniam ſacrum habet. In eâ vitam & felicitatem ponit. Hæc illi decus, hæc Deus eſt. Hac pietatem, amicitiam, fidem, æquitatem, divina atque humana metitur. In illius ſtudium omnes induſtriæ vires, omnem corporis animique conatum confert: manum habens, ut de *Cleone Ariſtophanes* loquitur, ἐν Αἰτωλῶν, mentem ἐν Κλωπιδῶν:

πιδῶν: *ut petat ſemper omnia, & furetur omnia.* Atque etſi

-------funeſta pecunia templo

Nondũ habitat, nullas nummorum ereximus aras;

Illius tamen multum apud mortales reverenda eſt majeſtas, intra ſecretos pectorum receſſus religioſo cultu recepta. Illic defixo pecuniæ delubro, ô homines, quantam vobis excitatis tempeſtatem! Quam gravem moleſtiam, curam, ſollicitudinem, periculum vitæ veſtræ imponitis! Quod fretum, qui euripus tot motus, tantas, tam varias fluctuum habet agitationes; ac animus pecuniæ cupiditate obſeſſus? Vt Virgiliana cerva,

Quam procul incautam nemora inter Creſſia fixit

Paſtor agens telis:-----

-----Illa fugâ ſylvas ſaltuſque peragrat

Dictæos:------

Cauſa tantæ inquietudinis, --- *hæret lateri fatalis arundo*: Ita intus æſtuat animus, ita dubiâ ſemper jactatur ſollicitudine, dum inhiat imminetque prædæ Vulturius, non ducto ſemel tranquillè per otium ſpiritu. Quam ubi tanquam Draco circumplexus tenet, aureoſque jam folliculos incubat, adeo miſer parcè duriterque vivit, ac ſi ex infimo paupertatis ordine non Laconicum domi nummum haberet. Sentus, ſquallidus, teter, obſitus pannis, confectus macie perpetuo nihil ſibi eſſe queritur.

Domum inhabitat, in qua neque fumi, neque nidoris nebula ſit verenda: pluribus obſtructam clavibus, quam quâ *Acriſius* ſenex ſuæ *Danaës* pudicitiam ſervabat. Vnde ſi quâ de tigillo fumus exeat, aut aranea eximatur, eradicari ſe clamitat. Ne fame juguletur, vix atrum ad deſiderium naturæ panem vorat. Alienæ ſemper intentus ærugini res ſuas intra ciſtarum clauſtra recludit: adulteris ſimilis, qui alienas uxores amant, ſuas negligunt. De quali homine rogatus ſervus, quid ageret Dominus? [f] *Cum adſunt*, inquit, *bona, quærit mala.* O ſtultum! qui ut moriatur locuples, egente vivit fato. Quem huic opes uſum atque opem præſtant, qui inter opes inops calamitoſam ſemper degit vitam, & cum Tantalo

Quærit aquas in aquis? ------

Vt Sol à noſtro digreſſus orbe nullum nobis adfert commodum & delectationem: ut in prærupto faſtigio nati fructus nulli cuiquam ſunt uſui: Sic illi divitiæ neque utilitatem adferunt aliquam, neque voluptatem. Atq; ut in ſe ipſum; ita in omnes, dum vivit, malus eſt, nō aquam ignemve cuiquam aut unguium præſegmina libenti animo donans. Ipſam fortè famem, ſi roges, nō utendam dabit. Mille citius illi ex oculis lacrymas; quam unum de bulgâ nummulum elicias. Cui dum perpetuo timet, omnia ſuſpicatur metuitque, nulli facilè credens,

[f] *Plut.*

dens, non ipsi Fidei, si Iovem lapidem juret. Itaque non amat ille quemquam, neque amatur à quoquam, sibi quoque ipse odiosus. De quo Bias dicere solebat, [t] *quod non possideret facultates; sed à facultatibus possideretur.* t Laert. l. 4. c. 7.

Vah vilia servilis ingenii mancipia! quæ suis addicta & obstricta pecuniis, eas non ut vivant, habent; sed vivunt, ut habeant, & habeantur. Ex quâ sordium stirpe natus [x] *Euclio* aquam lavandis manibus effundi plorabat, x Plaut. Aulul. capillorum præsegmina in tonstrinis quærebat, non aperire saccum ausus, ne spiritus evolaret: non egredi domo, nequis ollæ suæ animam subtraheret. Quam cum pervestigaret, etiam tertiam manum servi, quæ nusquam erat gentium, volebat excutere, ex thesauro suo mentem, spem & spiritum trahens. [y] Ejusdem ille commatis fuit, qui in extremis y Athen. l. 4. c. 18. laborans, paulò ante quam spiritum ederet, multos aureos nummos deglutiit. Alius sago aurum insuit, eoque se induit, mandans ut in eo se habitu sepelirent. [z] Aliquis, cum jam age- z Pog. in fac. ret animum, in ipso mortis limine pelvim afferri cum nummis jussit, à quibus vitæ retinendæ petens præsidium, subinde murmurabat: *Eheu, quibus vos relinquam?* Horum sunt de familiâ Feles illæ fastigiatis capitum apicibus nummariæ, *Rehabeamus* tertius à Davide Iudæorum Rex; *Darius* Institor; *Pisistratus*,

& illius filius *Hipparchus*, Athenienſium; *Dionyſius* Siciliæ Tyranni; *Demetrius Poliorcetes Antigonus* Macedoniæ, *Antiochus Epiphanes* Syriæ Rr., *Verres* Prætor, *Commodus*, *Peſcenninus Niger*, *Nicephorus Phocas*, *Perennius* Impp. & reliqua prædatricum Harpyiarum cohors, quæ ad Remp. tanquam ad auream meſſem ſtrictâ in civium fortunas falce, cum [a] *Stratocle* ac *Dermoclide* acceſſerunt. Quantum illorum avaritiam Cives; tantum *Perſis* Macedonici, *Demetrii Nicanoris*, *Tiberii*, *Mauritii*, *Heraclii* culparunt Milites, debito ab illis ſtipendio fraudati. [b] *Iuſtiniani* verò Imp. & [c] *Clementis* VII. P. eò eſt deteſtatilior avaritia, quod conſtituta bonarum artium Pp. ſalaria, & ſuum Muſis paſtum ſacrilegâ rapacitate detraxerint. Eò ſceleratior [d] *Tiberii* fuit fames in necem locupletum amicorum eſuriens: ex quibus *Cn. Lentulum*, à quo ſcriptus fuerat hæres, quod longius vivere videretur, veneno ſuſtulit. Neſcio ſanè, an majore arſerit avaritiâ *Tiberius* in poſſidendis pecuniis; an verò in peſſundandis *Nero*, *Caligula* & *Caracalla*. [e] *Nero* elargiens alicui officium, dicere ſolebat: *Scis, quibus opus habeo. Hoc agamus, ne quiſquam quicquam habeat.* [f] *Caligula* exhauſtus prodigalitate, miro calumniarum, auctionum, vectigalium, ſacrilegiorum genere Imperium expilavit. *Caracalla* de effuſis largitionibus à matre reprehenſus, vibrato

a *Plut. in Polit.*
b *Zonaras.*
c *Iovius in Colum.*
d *Sueton.*
e *Sueton.*
f *Dion.*

brato

brato gladio, *Quamdiu hunc*, inquit, *habebimus, pecunia non deerit*. Illa odium meretur indoles; sed *Pertinacis*, & *Galbæ* Impp. & *Alberici Pragensis Episcopi* risu digna est. [g] *Pertinax* lactucas & carduos dimidiatos convivis apposuit. [h] *Galba* apposita lautiore cœnâ, cum edere liberaliter familiares videret, anxiè ingemiscebat. Sed [i] *Albericus* rogatus, *Quem audiret sonum molestius? Maxillarum*, inquit, *ossa frangentium*. Quis non diceret, illas hiante atque imminente avaritiâ Furias similem cum [k] *Hattone*, Episcopo Moguntino, pœnam meruisse: quem mures totum devorarunt, cum magnâ copiâ pauperes in caveâ inclusos igne absumeret: gloriatus, quod magno sublevandæ annonæ commodo frumentarios mures extinxisset.

g *Herodianus.*
h *Sueton.*
i *Bonfin. l. 2. c. 3.*
k *Munsterus l. 3.*

Et prodigi.

Quam anxiè opes Avarus petit; tam eas strenuè perdit Prodigus: ille fundandæ; iste fundendæ pecuniæ studio insaniens. Non habitare hîc dicas pecunias; sed fugere: brevem dominum celeri prætervectas pede; ut cursim de Nilo bibunt canes. Ita omnis impatientes sunt moræ, ut haberi desinant, antequam habeantur, dilapsæque inter manus nullum sui vestigium relinquant. Danaidum te videre Dolium putes: ita quicquid ingeritur, statim egeritur, fundo largitionis pertuso. Hominum fidem, quam hîc profusis vivitur sumptibus!

quantâ homines luxuriâ lasciviâque diffluunt! quam grandes pecunias in profundissimarum libidinum gurgitem mittunt! Dies noctesque bibunt, græcantur, adjungunt amicos, pascunt parasitos, obsonant pollucibiliter, effarciunt se, sumunt, consumunt, edunt atque eduntur, perdunt, quæ sunt, quæ non sunt, omnia. Ille gulæ natus atque abdomini patrimonium suũ helluatur. Iste profusâ largitione rem conficit. Hic in corporis cultum censum omnem impendit. Alius fritillo atque aleâ facultates suas decoquit. Sunt, qui in scorta, in venaticos canes, in ludorum apparatus, in prodigiosas structionum moles insanos sumptus faciunt. Nullum hîc usum habet alium pecunia; quam ut perdat, & pereat: edat dominum suum, & ab illo edatur. Este sanè effusissimi Nepotes, explete profundam ingluviem, dilapidate argentum, dissipate possessiones, lacerate facultates vestras, pecuniam, quando est illa oneri, tanquam amaram sarcinam rejicite. *Amphiaraum* terra absorpsit; vos terram, prædia, domos, patrimonium absorbete. Rem nacti estis: agite, ne longo confecta situ computrescat, & fœdâ ærugine deformetur.

Sed ecce Hominem in illo Ganeonum cœtu cum fumidi nidoris ollâ, fœdâ sordidum illuvie, turpem, obscœnum, ad omnem libidinẽ,

ut

ut videtur, ſenſus & mentem verſantem. *Philoxenus* eſt, illud gulę mancipium, ut video: mucum ferculis ſolitus injicere, ut ſolus illis ſine ſocio frueretur. Ollam, captus illius odore, in cauponâ per filium emit. Qui cum magno eam venire pretio diceret, [l] *Eò*, inquit, *erit charior, quo carius emetur*: dignus, qui ex voto ſuo Gruis habeat collũ, ut longiore cibi deſcenſu magis oblectaretur. Quis verò ille eſt, confractis rebus ad reſtim circumſpiciens, propendente aqualiculo, fluentibus buccis? [m] *Apitius* eſt, niſi fallor, popinæ inſtruendæ profeſſor: qui cum HS. millies, hoc eſt, *vicies quinquies centena aureorum millia*, conſumpſiſſet, factaque bonorum ſuorum computatione HS. centies ſupereſſet, velut in ultimâ victurus fame, veneno vitam finivit. Digna ingluvies, quæ ſic pereat, illius pertæſa vitæ, quæ ſubtractis profuſiſſimæ luxuriæ fomentis agi nequeat! Quid iſte inter mortuorum quærit ſepulchra, lapidibus in acervum congeſtis? [n] *Cteſippus* eſt Chabriæ F. qui effuſo per luxum patrimonio paterni quoque ſepulchri lapides prodegit: cineres patrios venundaturus, ſi invenire emptorem potuiſſet: fortè ne Medis quicquam relinqueret. [o] *Demetrius Poliorcetes*, & [p] *Antiochus Epiphanes* ex Macedonico capitis apice cognoſcuntur. Ille annuum mille & ducentorum tal. cenſum in

l *Ael. l. 10. v. hiſt.*

m *Senec.*

n *Diphilus.*

o *Ælian. l. 9.*

p *Polyb. l. 31.*

in luxuriam contulit; iste sumptuosissimo apparatu, mille quingentis convivatus tricliniis hospites croceo & nardino unguento pavimenta perfudit, argentum quoque in publicas vias pro delectamento projiciens. Quibus si

q Stob. ser. 14. *Socrates* adfuisset, [q] *Malè pereatis*, dixisset,

r Plut. in Ant. *qui Gratias virgines, ut Scorta, prostituistis.* [r] *Antonium* Triumvirum ganearum nidor, & vinum redolens vomitio prodit: tantum opum decoctorē, ut Asiaticam CC. Tal. millium prædam unius anni tempore absumpserit. Qui cum hostem in Asiâ non haberet, quo cum armis contenderet, à Cleopatrâ luxuriæ victus est certamine, cum Vnionem, æstimatum HS. centies, vino dissolutum absorberet: paratâ quoque alterum ejusdem pretii ab aure detractum in similem convertere nequitiam; nisi victoriam illi arbiter certaminis Plancus adjudicasset. Sed victum ab Ægyptiâ muliere Antonium egregiè postea ulti sunt Romanæ principes luxuriæ, *Caligula, Nero, Vitellius, Domitianus, Commodus, Heliogabalus*: quorum vastam ingluviem rerum satiare Natura non potuit. Audite igitur, quantas in illis nequitiæ

s Sueton. suæ vires pecunia exercuerit. [s] *Caligula* ingentis pretii uniones aceto liquefactos absorpsit: aureum Iovis imitatus imbrem, per multos dies pecuniam in plebem sparsit, de Cedro Liburnicas, gemmatis puppibus, fabricavit.

Quem

Quem nepos [t] *Nero* non alio laudavit nomine; quam quod immenſarum opum relictum à Tiberio theſaurum intra annum decoxiſſet: cum ipſe aureo piſcatus reti nullam bis veſtem indueret, quadragenis in punctum HS. aleam luderet, quingenties & quinquagies centena aureorum millia donationibus effunderet. Non degeneravit [u] *Vitellius*: cujus luxurię impar fuiſſet imperium, niſi mature gulam illi mors compreſſiſſet. Palmam tamen tantæ victoriæ habet [x] *Heliogabalus*: qui pro oleo balſamum in lucernis exhibuit, aquâ roſaceâ piſcinas implevit, pomis gemmas miſcuit, ſexcenta ſtruthionum capita unâ cœnâ exhibuit, navale certamen in Euripo vini pleno dedit, naves ſæpè pretioſis onuſtas mercibus per ludum demerſit, auri ſcobe porticum inſtravit. O Tartariæ vaſtitatis ingluviem! ô peſtem atque perniciem opum deteſtabilem! Quæ unquam charybdis tantum haurire gurgitem potuit, quantas illa portenta divitias dilapidarunt!

t *Suetonius.*
u *Ioſ. l. 5. c. 13.*
x *Lampr.*

Veterum profuſio in ſtructiones.

Non minus luxurioſæ indolis experimentum in Viſcerationibus, in Ludorum Venationumque apparatu, in Ædificationibus, in aliis vaniſſimæ oſtentationis rebus Pecuniæ dederunt: quarum incredibilem in prodigioſiſſimas priſcæ luxurię Pyramidum ſtructuras profuſionem operæ fuerit pretium delibare.

Ægyptio-

Ægyptiorum Regum insaniit circa hæc opera luxuries: sive, ut otiosam plebem à studio novarum rerum prohiberent; sive, ut his divitiarum tanquam sempiternis monumentis potentiæ suæ perpetuam in hominum animis memoriam relinquerent. Vix aliâ in re magis prodige ac prodigiosè suas otiosa pecunia vires ostentavit, supra umbrarum mensuram fastigiatâ molis celsitudine, ut procul adspicientibus præruptarum nubium speciem præberet: non humanis manibus; sed vi divinâ, ut Gigantæo robore, in tantam excrevisse altitudinem visa. Primus ita luxuriantis opulentiæ specimen *Chemnis* Rex præbuit: cujus opus ultra octo eductum jugera, circa radicem viginti octo jugerum mensuram patebat: in quo perficiundo trecentorum sexaginta millium manus viginti annis laborarunt. Cujus ut imperium ita profusionis nactus indolem successor filius *Chabræus*, in perennem fluxum scaturientibus auri venis, ejusdem magnitudinis atque artificii molem erexit. Tanti priorum Regum sumptus, tot labefactatæ opes non inhibere *Micerinum* potuere, quo minus ejusdem penè vastitatis opus statueret: par aut forte amplius futurum prioribus, nisi præcox fati necessitas insanos luxuriæ conatus suo interventu evertisset. Et ulterius ivit proterviens inter opes profusio. Neque enim contenti huc

huc uſque luxuriæ habenas laxaſſe, ſinguli ſingulis uxoribus ſuis pari vaſtitate atque impendio pyramidem conſtruxere. Tertiam tamen y *Rhodope* meretrix ex vulgati corporis quæſtu ædificaſſe dicitur. Crederet aliquis tam nobilem inſaniam quemquam poſt iſtos Reges æmulari fuiſſe auſum? At vincere etiam conati ſunt illi poſt *Sabacum* Regem XII-viri: qui ut imperii ſocietate devincti fuerant; ita communi ſepulturâ ut conjungerentur, Pyramidem quatuor à fundamentis ſtadia complexam, admirabili ſculpturæ artificio poſuerunt.

y *Plin. Sec.*

Similis penè ſtructuræ ſunt *Obeliſci*: quos montium exciſos venis, à quadratâ radice, ad metæ figuram, in excelſam conſurgentes proceritatem, radiique inſtar gracileſcentes, eadem inſaniâ opulens in luxuriam Ægyptus conſtituit. Cujus gloriæ palmam prima reportavit *Semiramis*: quæ Obeliſcum centum quinquaginta pedum altitudinem, viginti quatuor circa latitudinem porrectum, ex Armeniæ montibus, per immenſa locorum intervalla viarumque difficultates, innumeris curribus Babylonem devexit. Thebæ quoque iſto luxurioſæ vetuſtatis monumento claruere: quod à XX. hominum millibus incredibili labore montibus exciſum Rex ſurrecturus filium ſuum cacumini alligavit: ut periculi magnitudine

tudine artificum diligentiam excitaret. Similes ingentium Obeliſcorum moles *Ptolomæus Philadelphus* Alexandriæ, & in Ægypto *Pheron* Rex Heliopoli conſtituit: cum oculorum vitium caſtæ mulieris urinâ curare juſſus, fruſtra ſumptis etiam ab uxore propriâ remediis, poſt innumera tentatæ caſtitatis experimenta, in hortulanæ mulieris lotio aciem oculorum recepiſſet. Hæc ingentium Obelorum ſaxa victrix Roma; ut luxurioſæ quoque opulentiæ famam ſibi apud poſteros vendicaret; evulſa ſuis ſedibus, incredibili labore ſumptuque in Italiam tranſtulit: ubi aut accenſis per tenebras facibus nocturnos nautarum curſus direxerunt; aut celebria Vrbis loca & ſepulchra Cæſarum vaſtæ magnitudinis potentiæque gloriâ illuſtrarunt. Neſcio profecto, mirarine magis debeam, an quod tantæ ſtructuræ opera profuſa hominum luxuria ſuſceperit; an quod immenſa pecuniæ vis ſumptu circumſcripſerit, renaſcentibus quotidie auri venis nullâ prodigalitate exhauſtis.

Volebam quoque in portentoſæ prodigalitatis Labyrinthos, in Sepulchra & Mauſolea, in Romanorum Thermas & Theatra factos à priſcis ſumptus deſcribere, cum in pariete *Diogenes* ex dolio ſuo viſus fortuitò manum ad ſtipem porrigere, *Paupertatis* mihi memoriam injiceret: ut *ejus quoque mores atque indolem* in con-

ſpectu

ſpectu ponerem. Itaque converſus ad Amicos, Si inopiam, *dicebam*, eo tolerare animo poteſtis, quo vos copiam tolerare ſcio, neque dedignamini doliare Diogenis ſubire mecum diverſorium, & Cynicum ſalem lingere, Paupertatis quoque naturam vobis ſignificabo.

Tum illi : Nos ſapere cum Diogene malumus; quam egere. Laxè habitare ac vivere ſolitis difficile fuerit Cynicas pati anguſtias, & abjecto priſtinæ fortunæ cultu ad peram & baculum venire. Mirari malumus in parvo habitaculo magnum habitatorem; quam imitari: & dare egenti ſtipem; quam ad januas & canales in ſaccum & ſacrum aliquid rogare. Miſerè vivunt homines, qui cum eſſe cupiunt, quod edant, non habent, quęſitumque aliundè ægrè inveniunt.

Ita loquuti, actis pro collato familiariter ſermone gratiis, dictaq; amiciſſimis verbis ſalute, ad ſua diſceſſere.

Ego me ad *veſtigandam Paupertatis indolem* referebam.

CAP. XIX.

De Paupertate: Vbi obiter commendatio Vrbis Leovverdiensis.

Leovverdiæ commendatio.

LEovverdia Friſiæ eſt Metropolis, nullius idoneæ rei egens, viris copiiſque opulenta, ix Virorum Procerum, & Provincialis Senatus, & Præfecti Principis ſedes ampliſſima. Læta Vrbi ſubjecta ſunt paſcua: quæ in ingentem porrecta planitiem largè latéque oculos ſpargunt, nuſquam coërcito viſu, niſi ubi villarum nemora frondoſos vertices ſurrigunt. Liquidum erat cœlum, cum Divæ Matris egreſſus portâ illuc deambulatum exirem à Regiâ viâ itinere in Septentrionem deflexo. Parvo à portâ intervallo, in conſpectu Vrbis, *Hierocomium* jacet leproſis curandis: quo ad ſiniſtram relicto, in editiorem campi tumulum, tuberante in modicum tumorem terrâ, conceſſeram: unde præcelſa Vrbis tecta, & turrita pagorum prædiorumque faſtigia, in orbem obeuntibus viciniam oculis, magno numero proſpiciebantur. Læta cœli facies, ut primo vere ſolet annus diſcuſſis nubibus eniteſcere, & novo gramine turgeſcens humus, & grata locorum, quaqua errabant oculi, ſemota arbitriis amœnitas, ad mirificam me delectationem revocabant. Vix tota Friſiâ, ut mihi quidem

dem videtur, jucundior eſt ad aſpectum ſitus: hinc pratis diſtinctâ colorum varietate arridentibus; illinc arvis copiosâ frugum & leguminum meſſe luxuriantibus; iſtinc hortis & ſeminariis jucundâ frondium viriditate vernantibus; totis campis, quâ oculis atque auribus aër patebat, dulci alaudarum, coturnicum, frigillorum, motacillarum, ſturnorum, & ad auſtrinam Vrbis partem, luſciniarum garritu perſtrepentibus. Quibus immixtę gariæ, querquedulæ, vanelli, pardali, mire ſuavem ex diſſimili voce concentum efficiunt. Quem Naturæ ludum cum diffuſo in voluptatem animo cogitarem, O Friſiæ melioris agrum, *dicebam*, & uſu uberem, & ſpecie ornatum! Quid ad ſummam felicitatem tibi deeſt; niſi quod felicitatem tuam ipſe non ſentis? In conſpectu verſabatur aperta camporum planities, nullis, quam ſe ferre procul oculi poterant, aut ſublata collibus tumens, aut demerſa in profundum hians. Paſſim toto tractu cultiſſima Nobilium & Ruſticorum jacent prædia, denſis aggerum incluſa ſepimentis: in quibus conſitæ crebris ordinibus fraxini ulmive utile frangendis ventorum flabris præſidium, & exercendo corpori ambulacrum præbent. Interius varii generis fructiferæ coluntur arbores: quarum an præſtantem magis indolem; an decentem laudes ordinem; aliis alveolato ſcacca-

toque ordine, aliis in quincuncem directis; nescias. Quæ cum paulò longius absunt, cærulam opacarum nubium procul visentibus faciem referunt; propiores teneris adhuc frondibus herbaceâ vernant viriditate. Ex illis pulcherrimo adspectu crebra Templorum Turriumque eminent fastigia: ita pagis vicisque inter se connexis, ut universa Frisia, continuatis longè lateque ædificiis, unius magnæ urbis imaginem præ se ferat. Intra primum ab urbe lapidem *quinquaginta*, atque eo amplius, turrita numeres culmina, quæ in orbem quaqua versum, capitatorum instar apicum, Reginam Frisiæ *Leovverdiam* coronant. Quicquid intus agri colitur, sive arvus ille sit, sive pascuus, tantæ est ubertatis, ut de frugum pecorumq; proventu Panem cum Cerere instituisse certamen putetur. Triceno ut plurimum fœnore, sæpè quino amplius, & aliquando quadrageno, messem reddit, novalibus quandoque unius alteriusve anni fructu ad assem redemtis. Butyrum & caseum tam abundante copiâ, quasi non ex vaccino ubere, sed perenni lactis fonte provenirent. Neque insolens est, unam in campo vaccam sex congiorum mensuram singulos in dies implere. Non facilè alibi in fruges & gramina solum exuberat largius.

Magnam verò inprimis commoditatem afferunt illi torrentium & incilium aquarũ perpetui

petui fluxus, quę mediocrium capaces navium facilem in omnem regionis partem vecturam præſtant: non minori ad copiam rerum omnium emolumento, quam ad voluptatem uſui. Nundinalis fortè ſeptimanæ dies erat; & navium ultrò citroque commeantium jucundo adſpectu afficiebar: quarum aliæ velis ventiſque ferebantur; aliæ in adverſos fluctus conto protrudebantur: tantà copiâ, ut denſis ordinibus caſtrenſia toto alveo tentoria volare putaretur. Non minori curruum equorumque volitantium opere pedeſtres fervebant ſemitę: quaſi omnis excita ſuis ſedibus Friſia ad Leovverdienſem mercatum exiiſſet. Quis non miretur, per unum pagum quingentos eodem die ab urbe currus exiiſſe? Viri fœminæque feriatâ in veſte, multoque bullati argento, pictis quadrigis vehebantur: quas nitido corpore juncti jugo equi trahebant. Dabat animos ære, Batavoque aut vernaculo nectare gravis ſinus. Quo ferox exultanſque ſtimulo Ruſticus urget in curſum quadrupedes, magnâ apud ſuos in gloriâ futurus, ſi antecedentium prævertere veſtigia poſſit. Multi inſignibus in equis ferebantur: quos præter ſuperbas ære aut orichalco phaleras ſpadix pomaceuſve color commendabat. Pone nubilis ſedebat virgo, ſerico capitis reticulo aureis in ambitu bullis bracteato, tunicâ coccineâ, cum crebris

ad oram laciniis & ſegmentis, argenteâ magni ponderis zonâ, monilibuſque ex eadem materiâ dextrâ ſiniſtrâque ad terram fluentibus. Et ſentire vectores ſuos Gradivus videbatur: ita ſe ſuperbè inferebat!

Omnium tamen rerum pulcherrimum ipſa *Leovverdia* præbebat ſpectaculum, naturâ ſitus, & deſcriptione elegantiaque ædificiorum, & annonæ copiâ, & virtute civium, & Reip. adminiſtratione inprimis nobilis. Salve inclyta *Leovverdia*, dulce meum quinque luſtris hoſpitium, XII. Liberorum meorum parens: ſive illos nutris; ſive tegis. In te à *quinto & vigeſimo ætatis meæ anno* melioris ævi curſum confeci. Tu *octo mei in te amoris obſides*, & viva noſtri ſanguinis habes pignora: tu meos amicos, tu meæ ſedulitatis induſtriæque monumenta. Oſſa quoque mea, ſi porrò benigna & propitia fueris, habitura. Quid in te, mea *Leovverdia* prius, quid potius amem & laudem? An Ædificiorum elegantiam, lautitiam, ſplendorem? Omnia in te nitida ſunt, expolita, decentia, plena venuſtatis, plena magnificentiæ. Civium Domus nō ad ſpeciem magis expolitæ ſunt, quam ad uſum accommodatæ: neque immani & inani laxitate vaſtæ; neque immodicâ parvitate anguſtiiſque exiles: plus in receſſu habentes; quam fronte promittunt. Triclinia, cænacula, culinæ, veſtibula exquiſitæ ſunt dignitatis atque

que elegantiæ. Supellex copiosa, & singulari dispositā in ornatu. Parietes insignibus tabulis, lecti cubiculares veste stragulâ elegantissimi operis, & pretiosis ex plumâ culcitris, sellæ pictis acu pulvillis, mensæ aulæis, tota domus splendidis ex ligno capsis, multoq; culinę cultu nitet: in quo non opificum magis artem; quam mulierculárum curam industriamque laudes. Plateæ ut plurimum latæ sunt & patentes, perpetuis perviæ fossis, in quas omnes per canales & aquagia sordes eluuntur. Illæ verò lateritio ab utraque parte vallo prætenduntur, superius solidis loricato saxis, ad operis firmitatem atque ornamentum. Multis in locis arcuatis stratæ fornicibus ad exponendas merces, & ambulationis voluptatem usui sunt. Tota Civitas in quatuor distinguitur Parochias: quæ ab ortu in occasum perpetuâ Fossâ finduntur. Illi amplis spatiis tria adjacent Fora: Frumentario ita patente, ut in eo commodè Civium explicari Legiones possint. Hoc magnificentissimi operis Tabernâ Trutinarum; Medium publicæ ignominiæ edito Suggestu & Catastâ est insigne. Nunc quoque ad extimā Vrbis partem, intra Austrinum pomœrium, Boarium fit forum: ne interius deambulatio contaminetur. Vulgo, à primo fundationis initio, quâ in Occidentem porrigitur, Novæ Vrbis appelationem accepit, marinis

 quondam

quondam fluctibus pulsata. Passim tota Vrbe splendida Nobilium visuntur palatia: inter quæ Præfecti Principis Prætorium, Provincialis Senatorum Curia, IX-virorũ Domus Collegialis, Delectorum Ordinum Augustale, Valetudinarium, Orphanotrophium, Ergastulum operatorium, Gymnasium Literarium: tum præcipuæ vetustatis atque amplitudinis Kammingana, Ebbingana, Svvartzenbergia, Burmanniana Nobilium palatia, & tot publici privatique juris Ædificia, Templa, Cœnobia, Armamentaria eminent, multæ profecto dignitatis atque elegantiæ. Ad Meridiem validæ quondam munitionis Arx jacet: quæ cum sub alieno esset imperio Frisia, summæ potestatis honorisque domicilium erat: nunc edendis suppliciorum exemplis, & publicâ facinorosorum custodiâ infamis. Austrinum illius tergum Turris oppidanæ imminens Fossæ claudit, diris Religiosorum suppliciis nobilis, Hispanicæ crudelitatis sempiterno monumento. In medio multæ profunditatis est puteus, in quem per cæcos limites ducti fideles furtim demergebantur. Cives pertæsi cruda Carnificum imperia facto concursu diversorium tantæ sævitiæ expugnarunt: pulchro strategemate Monachis & præsidiariorum uxoribus in primâ fronte ad tormentorum ictum objectis. Ita suâ sese manu in libertatem vendicavit Leovvardia.

Vt

Vt ad ſingularem dignitatem elegantiamque interius Leovverdia eſt exculta: ita exterius militaribus Vallorum propugnaculis foſſiſque circumvenitur: quæ editis in cœlum faſtigiis ſeptem Portarum aditus opere magnifico diſtinguunt. Copiis omnium rerum floret affluentibus: ut in nullo non Friſiæ tantum; ſel Belgii totius loco annona & uberior ſit, & vilior. Ovillæ carnis, ſuillæ, bubulæ, parabili ſumptu, mira eſt per omnem annum in macellis abundantia. Butyri, caſei, frugum fructuumque forum uberrimum. Non minor à propinquo mari crebriſque lacubus piſcium affluit proventus, tam divitum gulæ, quam plebeiæ fami explendæ. Par ad paſtum homini præbendum Aëris eſt largitas, incredibilem omnis generis avium copiam affundens. Plurimum verò juvat rem familiarem ſuburbana Hortorum opulentia: quæ pro uſu civium major Friſiam paſcit univerſam, ad exteros quoque onuſtis navibus ſolita tranſmitti. Potio eſt ex Cereviſiâ vernaculâ, ita pollens potenſque, ut dignam ſæpè Baccho in cauponis excitet tempeſtatem, & obſtupefactis ſenſibus ruſticum valentem de poteſtate mentis dejiciat. Focum foſſititius alit Ceſpes, qui erutus ex terræ fodinis, & ſole excoctus, ventoque arefactus, obvium Vulcano pabulum præbet: ad fovendum ſub cineribus ignem, multò

quam fabuloſa Promethei ferula commodior. Neque deeſt ex proximis ſylvis Lignorum copia, quæ maternis immixta glebis, ad Flacci & Martialis votum, perennem lucentis camini focum miniſtret. Ita conjurata in commodum noſtrum Elementa auxiliares ad nutriendam Leovverdiam copias videntur conferre.

Tot fortunæ naturæque felix dotibus *Leovverdia*, nullâ tamen re mihi videtur commendatior, ac plus ſolidę laudis mereri, quam quod omni honoris genere excellentibus redundet viris: quorum conſiliis & prudentiâ Friſia univerſa nititur. Iactent aliæ Civitates longè porrectos imperii ſui terminos, prædicent multarum magnarumque rerum poſſeſſionem, quæſtuoſas emendi & vendendi mercaturas, celebres hominum concurſus & frequentiam: Leovverdia, præter uberem rerum proventum, præter herbida paſcua & feraces agros, præter ædificiorum ſplendorem atque elegantiam, in Virtute præſtantium virorum, ſive illos genuit, ſive nutrit, jure præ aliis gloriatur. Quod vobis tribuam debiti honoris præconium *Illuſtres Ordinum Delegati*, qui collatis in commune conſiliis de maximis Reip. negotiis ſolemnia in Vrbe noſtra Comitia habetis? Vos Friſia florem totius populi, lumina patriæ, ſeminaria ampliſſimi honoris agnoſcit: qui fortunæ pariter ac naturæ

omnibus

omnibus exculti muneribus, miſerorum defenſione, improborum odio, ſtudiorum magnitudine, æquitate, induſtriâ, temperantiâ, magnam & immortalem vobis laudem paratis. Quâ vos ornabo laude IX-*viri Ordinum Delecti*, principes ſummę dignitatis, cuſtodes poteſtatis, præſides ſalutis mentiſque publicæ, propugnatores patriæ? Vos in ſummâ laude gloriaque verſantes omnium Civium oculi, tanquam maximarum virtutum ſpeculum intuentur. Quem vobis honorem habebo, quam impartiar laudem, graviſſimi *Senatores*, qui juri dicundo publico Tribunali præſidetis? Eſtis nobilitate generis illuſtres, authoritate graves, dignitate honorabiles, ſingulari doctrinâ, præcellenti virtute, admirabili civilium rerum prudentiâ, ad ſalutem Civium, & propugnationem communium fortunarum, & dignitatem Reip. nati. Quâ vos efferam prædicatione præclariſſimi *Cauſarum Advocati*? Plurima ſunt in vobis honorum ornamenta, magna virtutis dignitas, magna fidei conſtantiæque commendatio: cui adjectâ ingenii doctrinæque gloriâ, ſummâ in foro exiſtimatione floretis. Quo vos verborum honore alloquar, integerrimi *Eccleſiæ Paſtores*? Veſtra multarum magnarumq; rerum ſcientia, eloquendi vis, vitæ ſanctimonia, in explicandis Scripturis dexteritas, in curando Religionis negotio induſtria, fides, conſtantia, omnium

omniũ bonorũ ſermone linguiſq; celebratur. Quibus verbis veſtras laudes perſequar, cæteri *Cives, ac populares mei*: ſive ingenio doctrinaque præſtatis: ſive aliis honorum ornamentis præcellitis? Veſtræ eſt virtutis, ut civitas noſtra in ampliſſimâ gloriâ verſetur, conſtituta bonis legibus, exculta rectis moribus, copiis firma, opibus locuples, virtute honeſta, dignitate illuſtris. Nihil hîc volo de tuis memorare laudibus, *Erneſte Caſimire*, Gubernator Friſiæ inclyte, Atlas alter Belgicæ Reip., vindex libertatis, conſervator patrię, propugnator ſalutis noſtrę, manu ſtrenue, animo invicte, ad omnes belli labores impiger: cujus virtutes reſque fortiter geſtas omnium mortalium fama celebrabit. Nihil de veſtris, *Henrice & VVillhelme* Naſſovii Fratres, duo lumina & columina Domus veſtræ: quos natura ad omnem laudis nominiſque nobilitatem magnos atque excelſos produxit, voluntas exercet, fortunæ benignitas ſervat. O te felicem tantis Viris, Leovverdia, quam te diu illis benignam magis matrem; quam aſperam novercam præbueris.

Civitatis gubernatio penes XII-viralem eſt Magiſtratum, qui à Delectis per ſortem ex populo Viris conſtituitur. Quadriennale ſingulorum imperium. Sortitio annua, tribus novis in Veteranorum locum ſurrogatis. Si deliberatio

liberatio consilii capiendi difficilior fuerit, jurati plebis Tribuni in consultationem advocantur. Cives armis habiles in x. cohortes sunt descripti: quarum Capitanei & Signiferi armorum & vigiliarum jus curamque habent, flos populi, seminarium Civici Senatus. Magistratus æquissimo jure civitatem regit, in molestâ magis, quam quæstuosâ provinciâ plus publico intentus commodo, ac suo. Itaque quietum suæ Spartæ molitus statum civium inprimis utilitati prospicit, luxata instruit, fulcit nutantia, inclinata erigit, collapsa in gradum reponit, strenuè in omnibus partes suas obit. Fuit, cum plebs avida novarum rerum, factis insolenter turbis opulentiorum fortunis immineret, factionesque aleret: quam consulari providentiâ in ordinem redegit, partium contentiones composuit, Remp. ad quietem revocavit. Prçcipuo ad Religionē studio curaque advigilat: ne inquinata pestilentium opinionum toxico sed veritate ad posteros incolumi propagetur. Et quia sine rectâ Iuventutis educatione bonisque literis caducam Reip. atque Ecclesiæ felicitatem intelligit, *inclytum utriusque in Civitate suâ Seminarium*, & uberrimum *Copiæ Fontem* instituit, & consulari curâ conservat: qui perenni fluxu scaturientium laticum universam Frisiæ regionem hactenus irrigavit.

Hic

Hîc veros Helicon sudat Solymæius imbres,
Doctrinæque scatent & Pietatis opes.
Sparge tuas Fons uber aquas, & flumine largo
Mentes, Ora, Forum, Templa, Laremque riga.

Magnam verò etiam laudem illa in Pauperes benignitas, & tutelaris inopiæ juvandæ providentia meretur: quâ magnis impensis amplissimum Nosocomium & Orphanotrophium sustentat, erogataque liberaliter in domesticam penuriam stipe omnem ex Vrbe suâ mendicitatem profligat.

Senex pauperculus. Postquam me hoc amœnissimo Vrbis adspectu aliquamdiu detinuissemus, digressus paulum ulterius sub munitiones hominem obvium habebam squallidum, sordidum, annis pannisque obsitum. In manu rudis erat stipes. In tergo mantica, quam lacera tegebat penula. Coma hispida incomposito capillo, horrida barba, frons in Cynicam severitatem contracta, superciliis rigentibus. Iuxtà ibat canis herilem comitatus gressum, ex pecuariorum grege Hybrida, rostro caudaque enormiter protensâ, colore fuligineo albis dispuncto centunculis, prorsus ad domini similitudinem. *Diogenem* me aut *Antisthenem* vitæ redditum videre putabam: ita sub tenui paupertatis habitu contemptor humanarum rerum animus delitescere videbatur. Vt ventum propius, ille me salutat prior, darique sibi stipem petit, si so-

ſi ſoleam in pauperum fortunis habere miſericordiam, & cordi eſſet communis humanitas. Ego pauperculi miſertus Senecionis, Vt tuam, *dicebam*, intimo animi ſenſu fortunam doleo, pater! cui præter gravem ſenectutis ſarcinam moleſta oneri eſt paupertas. Πενίαν φέρειν καὶ γῆρας, ἐστὶ δύσκολον. Gravis eſt homini & moleſta per ſe ipſam ſenectus; cui ſi accedat ponderoſæ paupertatis onus, quomodo ſit ferendo? Cum ætatem naturæ deſtituunt præſidia, illius imbecillitas alienis fulciri præſidiis debet. Quibus ab inopiâ ſubtractis, quis labentem & propè cadentem ſenectutem ſuſtentet?

Paupertas frugalis valetudinem conſervat.

Tum ille: Vt quidem tibi bene faxit bonus Deus, vir bone! quem ſic alliciunt aliena ad miſericordiam incommoda: ſecus quam multorum fert inhumanitas, quibus ludibrio eſt indigentium hominum fortuna. Cæterum, mitte omnem quæſo de me ſollicitudinem: cui neque eſt oneri paupertas; neque ſenectus moleſta: quam in feliciſſimâ opum vacuitate non ſenſi quidem adveniſſe. Quod de Iſraëlitarum Duce *Moſe* in ſacris aliquando concionibus audivi, cum ad ſummam vixiſſet ſenectutem, eo fuiſſe animi corporiſque robore, quo fuiſſet inter prima initia integræ ætatis: hoc de me audio gloriari, in extremâ vitæ metâ ſalvis viribus. Itaque rogatus ſæpè à multis,

an ita provectâ ætate manere in vitâ cupiam? Quid ni? dicere ſoleo, cum nihil habeam quod accuſem ſenectutem. Quæ quod illis vacat incommodis, de quibus malè vulgò audit, non aliunde eſt, quam à ſecuræ frugaliſque vitæ paupertate: quæ ad hos me annos incolumi valetudine perduxit, non afflictum curis, non affectum morbis. Probè ſtomachus, quando ſuppetit pabulum, partes ſuas obit. Sine curâ, lætus, lautus, cum tribulibus, exertis malis, expedito brachio, celſus, alacer, flagrantibus intus foculis, æſtuante gulâ, lupino expecto impetu quod abſumam. Pedes ad decurrendum longi itineris ſpatium ſufficiunt. Manibus non facilius quiſquam illum bacillum; ac Herculi clavam extorqueat. Non caligat luminum acies. Non ſtupet audiendi ſenſus. Nulla corporis pars facultaſque defectis viribus languet. Tot vitæ commoda liberæ ſine moleſtiis paupertati debeo: quæ ſemel in familiaritatem vitæque admiſſa contubernium, minimè ſumptuoſus hoſpes, corpori ſecundam valetudinem, animo ſecuram tranquillitatem præſtitit. Maxima malorum pars, quæ Senectutis jactantur opprobrio, à luxurioſa rerum copia proficiſcitur. Illa corporis vires crebro voluptatum uſu enervat. Illa perpetua infelix ſollicitudine mille curis moleſtiiſque animum excruciat. Paupertati

expedita

expedita ſunt omnia. Non irretitur gravibus negotiorum moleſtiis, non urgetur parandæ ſervandæque rei ſollicitudine. Libera immuniſque ab omni triſtitiâ & motu vitam vegeto incolumem corpore ad extremam ſenectam ducit. Si tu hanc vitæ meæ ſectam atque inſtitutum ſequereris ſuſceptâque lætæ ſecuritatis manticâ ad iter te mecum expedires, datâ benigne ſtipe vitam oblectaturus, non illa te juncei corporis macies, & exanguis in vultu pallor deformaret.

Riſum mihi movebat ille Cynicæ dicacitatis Sal, converſuſque ad hominem, Tu, *inquam*, miſeræ indigentiæ manticam quoque mihi imponeres, cui in hac afflicti corporis valetudine, & tot negotiorum curarumque ſarcinâ, manticæ à tergo & à pectore pluſquam eſt ſatis. Οὐδὲν πενίας βαρύτερον ἐςὶ φορτίον. Si quid oneris preterea adjeceris, jacebo, quod dicitur, aſinus in luto. Neque in iſtâ quidem tui corporis gladiatoriâ firmitate, iſtis lateribus ac lacertis, manticæ eſſem hujus ferendæ: quæ mihi Æthnâ onus videtur gravius. Non Siſyphus ſuum moleſtius verſaviſſe ſaxum; non vinctum ad Caucaſi ſcopulos Prometheum, ad rupem Andromedam ſuſtinuiſſe graviorem credo miſeriam, quam qui in deteſtandæ paupertatis ſarcinam humeros ad patientiam contendunt. O dura, & dira paupertas! quid eſt

Paupertatis vituperatio.

tuorum onerum pressu gravius? quid acerbius? quid miserius? Quod novercæ fortunæ malum nocentius; quam cum tolerandæ vitæ pastu omnia & honoris ornamenta, & virtutis bonarumque artium præsidia homini detrahere? Sanè omnibus modis miserè pauperes homines vivunt: qui cum esse cupiunt, quod edãt, non habent: quod ut habeant, ægrè quærunt, ægerrime inveniunt. Sæpe frustra flagitatis divitum auxiliis nihil inveniũt: aut quod inveniunt, ita est putidũ putridumq;, ut odoratu nares, gustatu stomachus nauseet. Vt mucidi panis aut rancidi lardi frustulo latrantem placetis stomachum, vicos villasque omnes circulamini: non à frigorum asperitate, à calorum molestiá quietem famelica mendicitas permittit. Calcandæ sunt nives, vadandæ paludes, tolerandę tempestates: usque à mane ad vesperam adstandum ad ostium, ut exiguam avaro Domino stipem extorqueatis. Quid est eo molestius? Vivitis alienâ semper benignitate, sectamini spes cibarias, conflictamini cum fame, quasi mures inventum fortuito arroditis panem, neque vocati unquam à quoquam, neque invocati. Interea contumelias in quæstu habetis, probrosas maledicorum voces patienter excipitis. Quid est eo tristius? Nudo utplurimum inceditis corpore, pudore vix satis obvelato. Non lectum habetis, non tectum, in quo

in quo liberè ſpiritum trahatis : quid eſt eo miſerius ? Aves plumarum ſuarum contextu veſtiuntur. Beſtiæ villoſis pellium integumentis obvelantur. Nidos habent & cubilia, in quibus deliteſcunt. Flumina potum, humus pabulum benignè offert. Vos paxillo nudiores, cui indormiatis, non habetis : ubi pedem in veſtro ponatis, non tenetis. Omni intra pallium & pellem concluſâ facultate, alienum miſeri ſalem lingitis, alienum liquorem mingitis : eo quoque carituri, niſi humili prece improbè flagitetis. Quid eſt eo infelicius ?

Quid verò eſt pauperculo mendiculo abjectius ? quid neglectius ? quid probroſum magis ? Cum incedit in viâ, rejectâ in tergum perulâ, hiante turpiter penulâ, pueri digitos in eum intendunt, faciunt miſero contumelias, vocant, vellicant, nutant, nictant, ſibilant, moleſti ſunt. Cum ad oſtium adſtat, malignis vocibus excipitur, convitiis inceſſitur, audit ignarum mendicabulum, nequam infamiſque circulator, Cappadox de grege venalium abreptus, fucus alienæ induſtriæ fructum decerpens. Canis intra tectum recipitur, blandè comiterque appellatur, benignè habetur: Pauper emaceratur pluviis, emaciatur inediâ, æſtu frigoribuſque excoquitur. Non eum aditu quiſquam, non congreſſu, non ſermone,

non convivio dignum putat. Omnes aſpernantur, omnes abhorrent, omnes ut infame propudium & prodigium fugiunt. Non reſpicitur magis, quam ſi natus nunquam, aut quaſi homullulus ex argilla & luto fictus ſiet. Si quid dicit, ne flocci penditur. Si quod benè gerendæ rei conſilium proponit, ſibilo excipitur. Τῶν γὰρ πενήτων εἰσὶν οἱ λόγοι κενοί. Vnus inter homines idoneus videtur, in quem illudat impunè protervia. Quis non mori malit; quam tot probroſæ paupertatis incommoda ſuſtinere, & ab omni inopem exiſtimatione infra omnes infimos homines, turpiſſimæ inſtar ſordis & fecis abjici? Hoc verò maximũ turpiſſimumq; paupertatis eſt vitiũ, quod ad virtutem ſapientiamq; vadenti remoram objiciat, publicæ ſæpè privatęq; felicitatis curſum interrumpens. Quam multos excellẽti homines ingenio paupertas impedivit; quo minus ſummi honoris doctrinæque arcem invaderent? Quoties aliquem à medio gloriæ revocatum curriculo, ad primos, unde exierat, carceres, fruſtratâ induſtriæ contentione, dejecit? Quam ſæpè civitatem ſtudio novarum rerũm in perniciem deduxit? Quæ magis res hominem ad furta, ad rapinas, ad latrocinia, ad perjuria, ad inſidias, denique, ad Dei hominumque contemptum impellit; quam paupertas?

Stoma-

Paupertatis laudatio.

Stomachun his verbis facere ſeniculo videbar; cum interpellans ſermonem meum, Tu verò, *inquit*, malarum artium genitricem dicis paupertatem, quæ ſapientiæ eſt vernacula & virtutis magiſtra, ſub illius primum diſciplinâ educatæ, ſub illius eductæ? Non alia olim; utà præſtantibus viris audire me memini; ſapientiæ fuit officina, quam paupertas. Sub illius diſciplinâ homines ad magnarum rerum cognitionem informabantur. Illam, quiſquis ingenii doctrinæque laudem proferre ad poſteros volebat, profitebatur. Sub illo vitæ fortunæque meæ cultu major mundo Animus habitabat. Trita corpus lacernula obtegebat. Pera & baculus ampliſſimi comitatus & commeatus vicem ſupplebat. Intra corporis menſuram opes omnes conſtabant. Quo quis erat collectior, eo ſibi magis egredi mortalitatis modum credebat. Nihil præter animum in pretio erat: qui ſub vili fortunæ habitu ad Deorum prȩſtantiam quam proximè accedebat. Nullum eſt ſapientiæ cum Deo divitiarum principe contubernium, nulla amicitiæ familiaritas. Iſte fluxa fortunæ bona in pretio habet; illa præter immortales animi opes nihil magni facit. Iſte defixâ humi mente congerendis tantum pecuniis, & ſtruendis in terrâ opibus incumbit; illa omnem curam atque operam ad veritatis cogni-

 tionem

tionem confert, deſpectiſque divitum hominum theſauris in cœleſtium rerum cogitatione curaque aſſiduò verſatur. Vera eſt ſapientia, contemnere fluxas mortalium opes, coërcere immodicas cupiditates, circumſcribere naturæ deſiderio divitias, in cœlum, unde anima ducitur, curam & cogitationem referre. Non vacare ſimul ſapientiæ ac divitiis quiſquam poteſt. Non permittit magnæ fortunæ ſtrepitus liberum animo ad meditandam veritatem ceſſationem. Revocant à ſtudiis mentem Divitiæ, impediunt cogitationem, evertunt induſtriæ conatum, vim ingenii objectis caducarum rerum curis obtundunt. Vt denſa ſpinarum & virgultorum ſylva ſementem ſuffocat: ita fortunæ altitudo animo affert impedimentum; quo minus promptè munus ſuum exequatur. Cum relegendis ponendiſque pecuniis, conſerendis agris, ſtatuendis ædibus, parandis opibus vis animi omnis intenditur, quid in magnarum artium diſciplinis valeret? Si quis ſapit, imò ut ſapiat, projicere omnem fortunæ apparatum debet, & ad bonam mentem libero curſu contendere. Si quid eſt, quo tenetur; ſi adhæreſcit ad opulentiæ metam, expediat ſe: ut ſolutus intergerque in ſapientiæ ſtudio verſetur. Si vacare animo vis, aut pauper ſis oportet, aut pauperi ſimilis, abdicatâ corporis voluptate. Toleranda

leranda est ſapientiæ ſtudioſis fames, inhibenda gulæ cupiditas, vivendum parcè duriterque. Nullus eſt in delicatæ Cereris & Liberi regno ſapientiæ locus. Nemo bonæ mentis ingredi poteſt ædem; niſi quem aut fortuna ſua pauperem fecit, aut voluntas.

Quam parum hominem à Sapientiâ revocat paupertas; tam parum obſiſtit virtuti: quæ illus educata nutrimentis adoleſcit, & expletam perfectamque honeſtatis formam conſequitur. Neque enim aliud eſt paupertas; quam compendiaria ad virtutem via breviſque & concinna legum obſervandarũ inſtitutio. Divites multis benè vivendi præceptis, atq; operoſis philoſophiæ diſciplinis ad bonas mores informantur. Quod illa verbo ſuadet, paupertas opere cogit: tanto melior temperantiæ author; quantò neceſſitatis imperiũ eſt validius hortationum incitamentis. Si neque obſequor voluptati, neq; oblector ludis & cõviviis, neq; do ullum gutturi ventrique meo gaudium, neque incedo per hominum ora magnificè, neque efferor infinitis cupiditatibus, non ſinit hoc egeſtas facere me, ſi fortè voluntas adeſſet. Fames nunquam conſcivit adulterium, neque pecuniæ inopia admiſit luxuriam, neque mendicitas ſuo dives demenſo per alterius incommodum & calamitatem in altiorem honoris locum adſcendit. Omnem impoten-

tis animi Cupiditatem, quâ ipsi nobis infesti sumus, paupertas refrœnat, fractoque impetu exarmat, ac si feris mansuescere edoctis dentes quoque atque unguium aciem subtraxeris. Dediscit suam pertinaciam Voluptatis desiderium: quod si, velut ex cinere, igniculum concipiat, cum nullum habeat alendæ luxuriæ pabulum, statim refrigeratur. Hebescit Superbię stimulus vilis despectæque inopiæ fastidio retusus. Ira, invidia, timor, tumor, audacia, & cætera mentium inquietarum mala in paupertate, velut alimentis destituta incendia, expirant. Maxima quæque scelera, si omnem excutias memoriam, divitiarum edita sunt præsidio. Qui in aliquâ virtutis sapientiæque laude ponitur, eum ab incunabulis paupertas nutricata est.

Vsque adeò verò miserum & miserandum tibi videtur, pauperculis esse rebus, & tenui ad cultum curamque corporis fortunâ? Quanti autem est, circumfluere omnium rerũ copiis, nitidâ veste, quæstuosis prædiis, superbis ædibus, multo luxuriæ instrumento abundare? Parvo quidem naturæ desiderium expletur. Exiguo fames constat, sine ullo mensæ dapalis apparatu gulæque illecebris, aquâ & pane ad pastum corporis contenta. Nemo, qui intra hæc suum claudit desiderium, paupertatis mala queritur. Qui minimo contentus, tenuissi-

mo

mo vivit cultu, cum Iove de felicitate ſua contendit. Cœlitum perfectio ſibi in ſe ipſis ſufficit. Infirmitatis præberent indicium, ſi multis indigerent. Nihil mihi habenti nihil deeſt tamen. Potum obvia ſubminiſtrant flumina, panem publica humanitas. Illa ſi ad porrigendam ſtipem difficilior fuerit, ager inemptas olerum fructuumque dapes elargitur: quæ urgente fame jucundius in ventrem meum deſcendunt; quam divitibus Anglicana conchylia, aut avis Aſiæ, perdicumve & leporum edulcata condimentis caro. Quam eſt iſta vivendi ratio ab omni ſollicitudine libera! quam ab omni moleſtiâ expedita! quam omni inquietudine curiſque turbidis ſoluta! Divites in vitâ, tanquam in alto, ventis fluctibuſque verſantur; pauperes tuto & clauſo in portu hærent: non obnoxii tempeſtatum violentiæ, non veriti gravem jacturam. Vt ad natandum melior eſt, qui onere liberior: Ita illi ad vivendum, omnibus moleſtiis expediti, nullâ alternantis fortunæ expectatione implicati. Cum canitur claſſicum, non verētur ſpoliationem. Cum conclamantur vaſa, non quid efferat, quærunt. Cum excreſcunt maria, non metuunt inundationem. Cum aut flagrant incendia, aut ſæviunt tempeſtates, nullius damni metu percelluntur. Vis ſcire, quam minus afficiatur mœroris ſenſu pauper, ac dives? vul-

tum utriuſque inſpice. Sæpius pauper, & fidelius ridet, non premens altum intus dolorem. Etiam ſi qua corrugatæ frontis inhorreſcat tempeſtas, facilè diſcutitur, parvæ ſtipis munuſculo ſerenata. Divitum ſæpè ficta eſt hilaritas, gravi in alto ſollicitudine: quod ſub ipſo miſeriæ preſſu palam eſſe miſeris non licet. Ille, qui reſupinato corpore magnificè in ſcenâ incedit, regio ſuperbus fortunæ cultu; tenuiſſimæ ſortis eſt homunculus. Idem de Divitibus dicere licet, quorum perſonata felicitas multis intus miſeriis afficitur. Contemnes illos, ſi detractâ copiâ nudos, ſine mangonii cultus lenocinio, inſpexeris. O quantum ſub illo ſuperbię apparatu doloris latet! Quantum curarum & ſollicitudinum Regii capitis faſcia involvit! quam ſi jacentem humi invenirem, nolim profectò attollere. Vides faſtigiata ſplendidiorum in Leovverdiâ tuâ ædium tecta? quam illæ ſæpè acerbis redundarunt lacrymis! quam nunc multos parietibus dolores abſcondunt! quam in poſterum multos continebunt! Si æſtimare vis hominum infelicitatem, evolutos intuere: domum, pecunias, dignitatem exue: in cœnaculi ſeceſſum penetra, intus conſidera. Hoc ſi feceris, quam ſit pauperum fortuna divitiis lætior, cognoſces.

Quò magis miror, probri à te pauperta-

tem

tem inſimulari, quæ integerrimis Mundi temporibus ornamento fuit, excellentibus viris, ut certiſſimum virtutis teſtimonium, laudi data. De Romanis quandoque principibus audire me memini, quod paupertatis magis gloriâ; quam Reip. dignitate ſe ornaverint. Quorum alii ampliſſimis functi honoribus non ſufficientes in Exequiarum impenſam facultates reliquerunt: alii anguſtiâ rei familiaris aut boves paverunt; aut agreſtem aratri ſtivam tenuerunt, aut contemptis Regum muneribus vilibus rapis & napis famem ſedarunt; aut expedire dotem in filiarum nuptias nequiverunt. Quorum hominum inopiæ an tu divitum copiam præferres? Sanctiſſimi Religionis noſtræ Antiſtites nullas opes, nullas facultates tenuerunt, in tenui victu atque amictu opum ſuarum conſtituto cenſu. Quos tu Dei viros auſis aliquâ turpitudinis notâ deformare? Arduæ eſt virtutis, parvo contentum nihil concupiſcere. Magnæ opulentiæ, nihil poſſidentem omnia habere. Divinæ felicitatis, ſe ſibi ſufficientem nullius indigere. Quis in tanto bonorum cumulo aliquam paupertati dedecoris inhærere maculam dixerit? Si Equus dignâ virtute polleat, in curſum pernox, ad ferendum ſeſſorem validus & tractabilis, quis vitio illi dabit, quod ſplendido phalerarum ornamento

mento destituatur? Quis Leonem, aut Aquilam, aut Taurum ob pabuli culpet inopiam? Cur hominem spernis, quod angusto vivit lare, quod parcius pascit, tenuius vestitur, minore sumptu obsonat? Quod in cespitio habito tugurio, quod sordido corpus centone obtego, non ideò me minoris æstimo; quam si magnis abundans opibus auro gemmaque quotidie biberem, & Tyrio sub ostro pictisque arcu stragulis dormirem. Quod Regibus suum est diadema, quod Cydaris Turcarum Tyranno lunata, quod trifidus Pontifici apex, quod calces Equitibus aurati: hoc meus mihi est baculus, & suspensa de collo pera, & illa tot obsita panniculis lacernula. Quam ego vitam nullis rebus indigam, nullis curis inquietam, nullis molestiis impeditam, magistram virtutis, officinam bonarum artium, consortem divinæ felicitatis, non cum superi inferiq; orbis imperio & divitiis cupiam permutare.

Sic elato spiritu humilis fortunæ dicebat Senecio: cum accepta stipe multam precatus salutem ad institutum mendicitatis suæ curriculum, plenus boni animi, reverteretur.

Ego miratus tantæ paupertatis patientiam, magnumque in tenui fortunâ animum, *Magni Macedonis* de Diogene judicium cogitatione repetebam. Qui cum apricantem in dolio suo Cynicum rogaret, *ut diceret, si quid sibi opus esset*:

atque ille responderet ; *Nunc quidem paululum à sole absis*: Rex dignam suâ fortunâ laudans animi magnitudinem, *Diogenes*, inquit, *esse vellem; nisi essem Alexander*. Exit sæpè parvâ de casâ vir magnus, & insignis sub sordido pallio habitat sapientia. Quam, Stulti, in fluxis molestisque opibus felicitatem ponimus? Quid usque eò fervemus avaritiâ, divitias supra bonum & honestum æstimantes? Parvo contenta est Natura, intra panem & aquam finito ejus desiderio. Omnia habet, qui nihil concupiscit; eò quidem certius, quam qui multarum rerum dives est. Quippe fragilis est ac caduca divitiarum possessio; bonæ mentis opulentia nullum recipit fortunæ tristioris incursum.

CAP. XX.

De Naturâ & Moribus paupertatis.

ITa tacitus cum animo meo cogitabam, quando ad campum fossæ subjectum versis vestigiis eminus à sinistrâ horsum video pergere Ecclesiasten *B. Fullenium*, Virum eximiâ virtutis doctrinæque laude clarum, de Ecclesiâ Leovverdiensi annos XXXIX optimè meritum. Paucos feceram gradus; cum ad dextram venientem à portâ prospicio *Doctorem de Veno*, Civitatis nostræ Scabinum, & Gymnasii

Inspecto-

Inſpectorem, hominem egregiâ fide, ac ſingulari animi candore præſtantem. Cum utroque mihi ſunt omnes amicitiæ neceſſitudines: quas XXIV annos ſanctè inter nos coluimus. Lætabar tam auſpicato amiciſſimorum hominum conſpectu, quæſitoque opportuno ad quieſcendum loco, in editiore ripæ tumulo conſidebam, dum illi ad me propius adirent. Prior congreſſus *Fullenius*; ut ſolet gradum inferre fortius; Tu, *Inquit Neuhuſi*, decem fortè paſſuum à domo tuâ fatigatus itinere hic acquieſcis in gramine, iſtac ætate, iſtoc animo? Ohe! tam te parva deambulatio ad languorem dedit? Quantum mutatus ab illo Hectore, qui quondam! Ego jam exacto ſeptuageſimo ætatis anno confecto longiuſculi itineris ſpatio, per illas teſqui ſuburbani ambages, nullam in iſtis pedibus laſſitudinem ſentio. Non deficerent curſorem genua, ſi hoc die Franicam ad *Profeſſorem Filium* eundum mihi eſſet. Ego quam potui properè allevato à terrâ corpore. Non equidem invideo, *dicebam*; miror magis. Eſt ſanè, quod gratiam habeas Deo, *Fulleni*, qui ad ſummam ſenectutem optimâ vixiſti valetudine, corpore animoque par *Vrſini rigoris Nomini tuo*. Ego animo valens integerque corporis affecti queror infirmitatem: quam mihi quotidiano laniatu carnifex infert Calculus. Nam abſque

abſque illo eſſet, nihilo me nunc debiliorẽ cognoſceres; ac cum lætâ vernantem lanugine vidiſti, ſub primum in hanc urbem ædeſque tuas acceſſum. Veniet aliquando dies, & jam fortè ille in propinquo eſt, qui me ex hoc corpore cum omnibus exſolvet moleſtiis & tormentis. Intereâ divino auxilio firmabo animum adverſus dolorem, gravius habiturus malum, ſi ferre malum non poſſem. Inter hæc verba accedebat *D. Veno*, vehementer ſibi gratulatus, quod tam dextro in congreſſum & colloquium utriuſque omine veniſſet. Et ego, *inquam*, cui à longo tempore non jucundior fluxit; ac preſens iſte dies. Vix pedem in propinqua extuleram paſcua, cum mihi ex Cynicorum ordine *Homo lepidus* & facetus obviam in viâ veniret: ex cujus ſermone mirificã delectationem percepi: ita ſcitè eleganterque de tolerandâ humanæ vitæ conditione diſſerebat. Et quid tu, *dicebat Fullenius*, Cynici oris ac ordinis laudas hominem ita virginali pudens verecundiâ? Cynicorum hominum natio inimica eſt verecundiæ: quos ore vultuque ferreo nihil pudet, nihil piget, ad ferenda pariter atq; inferenda obduratos convitia: à quo, ut te jam dudum novi, tui animi modeſtia atq; illa humanitatis indoles abhorret. Atque eo, *inquam*, viſa mihi hominis inſolentior oratio, quod eâ in re voluptatem, decus, felicitatem

vitæ

vitæ mortalis poneret, quam alii, ut pestem perniciemq; humani generis exitialem, fugiunt & aversantur. Copiam & facultates, tanquam gravem hominibus molem & molestiam, quæ beatæ quietis otium interpellaret, repudiabat. Inopiam, virtutum seminarium, philosophiæ officinam, omnium bonarum artium parentem & magistram esse. Pauperes homines simillimam cœlitibus vitam agere. Non indigere quæsitis anxiè terrâ marique copiis, non cruciari sollicitis opum studiis & custodiis. Non distrahi infinitis negotiorum agendorum curis. Nihil concupiscere, certissimas esse divitias. Nullas opes possidere plenissimam voluptatem. Divites inquietam, acerbam, miseram in abundanti rerum copiâ vitam agere. Hæc ille tantâ dicebat confidentiâ, tam elato spiritu, ut magni *Pythagoræ*, aut *Diogenis* animus immigrasse in seniculi hujus corpus putaretur.

Pauperum indoles varia. Hic tum *Fullenius*. Magna, ut tute nosti, mi *Neuhusi*, pauperum est diversitas, varia morum naturæque indoles. Quidam sub humili fortunâ magnos animos gerunt, sub vili penulâ ingenti spiritu efferuntur. Hoc tui fortè ex Cynicorum familia Senecionis fuit ingenium: qui in despectâ fortunæ conditione alto erectoque eminens spiritu, nihilo se Regio inferiorem fastigio æstimat. Attalicis se vivere conditio-

conditionibus, ſupra omnes homines ſapere atque eminere. In magnis copiis inopiam, in ſecurâ paupertate certas divitias poni. Qui ſuæ ſufficit indigentiæ, locupletem eſſe. Quam animi vim atque altitudinem Chriſtiana quoque profitetur paupertas: niſi quod non ſuperbo aliorum faſtidio, & immodicâ ſuæ virtutis æſtimatione; ſed cœleſtium rerum admiratione fluxa mortalium bona contemnit. Alii cum contractis domi rebus animum contrahunt & demittunt, non auſi adverſus fortunæ incommoda aſſurgere, non erigere ſe ſub acerbo indigentiæ preſſu: ut vinculis & compedibus, ita reſtricti domeſticæ penuriæ anguſtiis. Multos paupertas ad perferendi laboris induſtriam, ad agendi cogitandique ſolertiam concitavit. Sunt, qui urgente inopiâ in malis artibus ſtudium ponunt. Reip. otium perturbant, ſicas vibrant, furtis ſe adſtringunt, prædas ex alieno agunt, mendaciis & fallaciis incautos circumveniunt. Ab animo & ſtudiis hominum diverſis tanta eſt varietas: quæ pro ſuâ indole atque affectione in diſſimiles habitus moreſque paupertatem efformant: erigunt attolluntque; aut dejiciunt: excitant atque incendunt ad diligentiam; aut remittunt: ad bonas malaſve artes impellunt. Eſt, cum jure culpes inopiam; cum laudes. Alias ad virtutem; alias ad improbitatem ducem magiſtramque

que ſe offert. Sapiens non premitur perditurve paupartatis damno; ſed eo in rem ſuam utitur: ut bonorum rector; ita malorum victor. Improbus neque in ſecundis, neque in adverſis rebus virtutem exhibet, quamcunque acceperit fortunam, eam in nequitiæ ſuæ uſum convertens. Vt ægroti nihilo valent melius, ſive in ſtramine cubent, ſive aureo in lecto: Ita parum refert ad mores, diveſne ſis, an pauper, ſi animus malè habeat. Fruſtra altum caveris mare, ſi in ſtagnantium aquarum lacunis ſubmerſionis ſit periculum. Nihil profuerit, edita turrium declinare faſtigia, ſi te humilis caſulæ ruina poſſit obvolvere. Ab inopiâ pariter, ac à copiâ facilis eſt ad pereundum via, niſi rationis conſiliique boni ductum ſequaris.

Paupertatis Chriſtianæ mores.

Chriſtianæ paupertatis patientia nihil profectò aliud eſt, quam ludus atque officina pulcherrimarũ virtutum, ad quas pii homines per compendium exercentur. Divites multâ hortatione præceptiſque ad virtutis ſtudium excitamus: Paupertas ſibi ipſi ad pietatem eſt magiſtra, ſibi legem coërcendæ libidinis dicit, ſuâ ſponte frugalitatis modeſtiæque ingreſſa curriculum ductu alieno non indiget. Non alibi feriæ pietatis ſtudium fervet ardentius, non ad preces incumbitur ſtudioſius: non fiducia divinæ opis, contemptio caducarum rerum, cogitatio admiratioque cœleſtium bonorum viget ube-

get uberius; quam ſub domeſticâ rigidæ Egeſtatis diſciplinâ. Cujus ordinis ſectæque homines ut profectam à cœli duriorem fortunam credunt: ita patriâ Dei benignitate emolliendam ſperant, de tolerandæ vitæ ſubſidiis non anxiè admodum ſolliciti. Si avibus & pecudi quæ in diem vivunt, nihil deſit; ſi ſolitudo feris beſtiis alimentum præſtet; ſi deſertis corvorum pullis cibus præbeatur, nō dubitant ſibi quoque Deum in uſuram mortalis vitę paſtionem præbiturum.[a] *Confidunt eſuros pauperes, & ſaturatum iri.* [b] *Expediendum ſuis anguſtiis penuriæ inopem:* [c] *exſolvendum violenti manibus:* [d] *non negligendum à Deo perpetuo.* Intereà aſſiduis precibus cœlum fatigant, divinamque opem poſcunt. Nihilo minus operi incumbunt: rati non votis tantum inanibus; ſed agendo, curandoque auxilia divina parari. Parcè continenterque in omni vitâ vivunt, ad naturæ deſiderium exacto paſtionis modo. Ventris ſaginandi delicias neque habent, neque affectant, fame parvo admodum conſtante. Mira eſt in hoc hominum genere animi demiſſio: dum intra fortunæ ſuæ coërciti menſuram non efferunt ſe ſupra quenquam inſolenter, non ſumunt ſibi quicquam arroganter. Erecti tamen excelſique in tenui fortunâ fluxas mortalium opes & gaudia deſpiciunt, verſiſque in cœlum cogitationibus immortales tantum opes in pretio

a *Pſ.22.27.*
b *Iob.36.15.*
c *Iob 5.15*
d *Pſal.10.14.*

 habent:

habent: non esse posse magnos arbitrati, qui parva terrarum bona magni æstiment. Rem domi pauperculam, si recte parta sit, fastidiosam præcellere divitum copiam e, & pauculum cum Domini timore magnis prævalere thesauris statuunt.

e Prov. 15 & 16.

Isto fuit virtutis ingenio prisca Sanctorum hominum natio, quæ æquos semper asperis in rebus animos gessit: quantò hominibus despectior, tantò Deo acceptior: non à divitiis magis, quam à vitiis atque improbitate vacua. Quàm erat in tenui fortunâ fidens animi f *Iacobus*; cum nudo ad iter baculo instructus, transito Iordane, in Syriam à patriâ domo profugeret! Quàm in pauperculis rebus plenus bonæ spei g *Moises*; cum pascendis in deserto gregibus operam socero locaret! Quàm composito benè animo h *Ruthis*: & i *vidua Sareptana*: & cum k *Elisæo* prophetarum filii, sub structis temerè tuguriolis inopiam tolerarunt! Quam certam in divino auxilio fiduciam collocavit l *Tobias*; cum filium ad sustinendam fortiter paupertatem hortaretur: quam vacantem à peccato ampla maneant præmia. Nullas habuit facultates *Deipara Virgo*, ipsiusque sponsus *Iosephus*, fabrili operâ vitam tenuiter sustentans. Nullas possedit opes flagitans ad januam Epulonis m *Lazarus*. Nullas illa tenuiculæ Minervæ n *Vidua*, munificâ duorum nummulorum

f Gen. 32.
g Ex. 3. 1.
h Ruth. 2.
i 1 Reg. 17.
k 2. Reg. 4.
l Tob. 4.
m Luc. 16
n Luc. 21.

mulorum eleemosynâ celebris. o *Petrus* auri argentique inopiam de sè est professus. p *Paulus* cum collegis suis sitiit, esurivit, nudo corpore tempestatum incommoda sustinuit. At quantū virtutis splendorē illi Dei homines ab istis angustiis effuderunt; in contractâ fortunæ tenuitate splēdidis animi dotibus amplissimi, in rerum omnium vacuitate nullius indigentes, in penuriâ nihil desiderantes, in inopiâ non deficientes, in extremâ paupertate opum maximarum divites. Quippe qùi, cum nihil haberent, in Domino rerum omnium Deo omnia possederunt, opes immortales, honores perpetuos, felicitatem nullo mœroris incursu perturbandam. Atque istis virtutum documentis præluxit suis discipulis q *Servator Dominus, qui cum esset dives, propter nos factus est pauper, ut nos illius paupertate ditesceremus*: in extremâ humani cultus indigentiâ specimen sanctitatis, exemplar perfectionis, regula vitæ ad omnem honestatem dirigendæ.

o *Act. 3. 6.*
p *1. Cor. 4. 11.*
q *2 Cor. 8 9.*

Paupertas Civilis.

Excipiebat ea verba de *Veno*: Non adeo miror, *Fulleni*, sanctissimos Dei viros sequutos cœlestem veritatis facem & δαδȣ̃χον Christum, tantam in contractis domi rebus virtutem exhibuisse: quod factum à Gentilibus miror vehementius. Quam felix & gloriosa fuit paupertatis patientia apud priscos Philosophos: qui cum præter baculum & ingenium

nihil poſſiderent, in ſummâ penuria pares Regiæ fortunæ ſpiritus nutriebant. Abjiciebant opes, ut libero ſolutoque animo ſapientię ſtudiis omnem mentem & cogitationem defigerent. Contemnebant ampliſſima Regum munera, quorum illis nullus erat in frugi & ſeverâ vitâ uſus. Deſpiciebant magnificos Epularum apparatus atque opulentię cultum, intra Cenſoriam continentiæ legem & Naturæ prę-ſcriptionem revocatâ cupiditate. Quanto erant egentiores, tanto expeditius ad benè vivendi ſapiendique diſciplinas incumbebant. Quam à fortunæ præſidiis nudi; tam à divinis ingenii bonis inſtructi atque ornati. Aliis fluxas opes & momentanea voluptatum gaudia; ſibi æternam doctrinæ virtutiſque gloriam accedere volebant. Quemvis è vulgo ad magnas divitias; non item ad ſapientiam pervenire poſſe ſtatuebant. Atque ut eruditus ille Scholarum pulvis & umbracula, ita publicæ mentis conſiliique auguſta Templa fertilem maximarum virtutum inopiam protulerunt. Quorum olim Principes tam ampla clari virtute; quam contracta tenues paupertate vixerunt. Ea fuit apud Græcos in *Ariſtide* juſta, in *Phocione* benigna, in *Epaminonda* ſtrenua, in *Liſandro* fortis, in *Socrate* ſapiens, in *Homero* diſerta, in *Diogene* atque *Antiſthene* voluptatum contemptrix. [r] *Ariſtides* quidem tam obiit pau-

r *Plut. Ariſt.*

per,

per,ut domeſtico funerari ſumptu nequiverit. [s] *Phocion* ductor magnorum exercituum, Regumque uſus amicitia paupertatem ſibi gloriæ duxit. [t] *Epaminondas* abſtinens divitiarum unica contentus veſte fuit, publicâ ob inopiam impenſâ à Thebanis elatus. [v] Liſandri Regis filias, ob paternam egeſtatem, mariti, defuncto patre, repudiarunt. *Socrates*, *Homerus* aliique nihil præter ſemetipſos poſſederunt: qui quoties veſtigia facerent, omnia ſua ſecum portabant. Tam copioſa maximarum virtutum ſupellectili iſta tenuitas abundavit! In populo Romano non alii magis & geſtarum rerum gloria, & ſtrenuitatis continentiæque laude præcelluerunt; quam qui jejunos atque inopes pecuniæ penates habitarunt. Inter conſulares magnæ glorię faſces, inter eburneos illuſtrium Dictaturarum Scipiones, in Triumphalibus victorum quadrigis, impenſa publicè funera, inopes dotium filiæ, ſordidi operis aratra, lignei cum rapis catini relucent. Illæ manus, quæ agreſtem ſtivam tenebant, fulgentem in acie gladium vibrarunt, ingentes hoſtium copias fuderunt, Remp. ex ore faucibuſque exitialium bellorum liberarunt. Neque rubori fuit, depoſitis ſummi imperii inſignibus, ad vomerem, & ſeptem jugerum agellum redire. Paupertas [x] Poplicolas, Æmilios, Fabricios, Curios, Scipiones, & cætera Romanæ

s *Plut. Phoc.*

t *Plut. Epam.*

v *Sub. l. 2. En. 4.*

x *Valer. & Plut.*

virtutis robora produxit: quæ fidis domesticæ penuriȩ uberibus publicam Imperii gloriã nutriverunt. *Poplicola* ille Regum exactor, & *Menenius* publicæ pacis arbiter, sui præstare funeris expensas non potuerunt. *Curius* & *Fabricius*, temptis Regum populorumque muneribus, fictilibus de vasis rapa comederunt. *C. Scipionis*, & *V. Levini* Filiæ publicè, ob domesticam in tanta gloria tenuitatem, dotatæ nuptias iniverunt. Victor Macedonum *Paulus*, postquam hostili præda immunem à tributis populum fecisset, ita decessit inops, ut restitui sua uxori dos non posset, nisi fundus, quem habebat unicum, væniret. His domesticæ inopiæ subnixa fulcris res quondam Romana stetit; quam neque Crassi Syllæque opes, neque Pompeii Cæsarisque magnitudo potuit sustentare. O gloriosam excellentium virorum paupertatem: quæ solidæ laudis cupidinem non extinxit; sed ad virtutis exercendæ studium, subdita quasi face, inflammavit!

Paupertas philosophorum simulata.

Equidem veris, *Amice de Veno*, laudibus, *dicebam Ego*, illam priscæ paupertatis patientiam exornasti: cujus nutrimentis virtus primum nutricata est, Resp. fundata, sapientiæ disciplina constituta est. Atque ut illa præstantissimorum hominum laudem meretur: ita Sophistarum arrogans & simulata fœdam habet turpitudinem, sub sobriæ frugalisque modestiæ

habitu

habitu plausum captans & famam obduratæ virtutis. Quod genus hominum Histrionibus non est absimile : qui in scenâ resupini Regum & Dominorum gerunt personam ; domi inter infimæ conditionis servulos venalem volentibus operam locant. Sub tristi frontis severitate horridaque barbâ difficilis arrogantia habitat. Veste sordidâ superbam animi elationem , tenui fortunæ apparatu gloriosum insolentiæ Spiritum tegunt. y *Alexander*, nonnullis Antipatri laudantibus frugalitatem, quod alienam ab omnibus deliciis vitam ageret, *Antipater*, inquit , *foris albo utitur pallio; intus totus purpureus est.* Hoc de illa simulatæ paupertatis familiâ dicatur: Vultu & cultu modestiam ostentant ; intus fastidiosam in alios mentem gerunt. Quem in Cynico homine spiritum lepido cavillo a *Demonax* perstrinxit: cui supra peram baculumque suum elato,& jactāti, quod Antisthenis & Diogenis discipulus esset,*Impudēter*,inquit,*mentiris*, *cum sis Hyperidæ discipulus.* Ita Cynicæ elationis despicientiam arguit, quod ὑπεριδεῖν significat. Tanti fastidii insolens animus in angusto cum Diogene dolio potuit habitare: qui etsi gloriaretur, in se tragicas convenire detestationes, quod esset ἄπολις, ἄπατρις, πτωχὸς, ἀλήτης, καὶ ἡμερόβιος; in illâ tamen fortunæ vilitate tam sibi placebat , quam in terrarum

y *Plut. in Apoph.*

a *Eras. l. 7 Apoph.*

orbis imperio Alexander, cum victis Indis Babylonem contenderet. Quo ſpiritu cum Plutonis conculcans lectum, *ejus ſe Superbiam conculcare* diceret; *ſed ſuperbiâ*, inquit Plato, *majore.* Alias cum intenſo frigore nudus ſtatuam amplecteretur, *Secedite ab homine*, Plato inquit, *ne, dum obfirmatæ patientiæ laudem aucupatur, gravius ſe in conſpectu noſtro excruciet.* Quod b Cynicæ virtutis edentem documentum conſpicatus *Lacon*, cum rogaſſet, *Num algeret?* illo negante, *Quid igitur*, inquit, *magnum facis?* Putabat Lacon nihilo hoc ipſi ex longâ conſuetudine difficilius eſſe; quam ſi faceret per æſtatem. Non vidit pendentem à tergo ſuo manticam Diogenes; quam tamẽ Cynicâ in aliis acie perſtrinxit. Rhodios videbat juvenes pulchris magnificè veſtibus incedere. Tum ille: c *Hæc quidem inſignis eſt ſuperbia.* At cum Lacones in ſordidis togis glorioſos adſpiceret: *Hæc*, inquit, *longè alia eſt ſuperbia.* Quo perſpicacitatis oculo d *Plato* ridiculam *Antiſthenis* vanitatem per pallii ſciſſuras vidit: quas iſte in documentum ingenuæ paupertatis oſtentabat. Et Cratetis *Stilpo*: quem cum hybernis menſibus rubentẽ ex gelu cerneret, δοκεῖς, inquit, μοι χρείαν ἔχειν ἱματίου καὶ-νοῦ. Ambigua καὶ-νοῦ notatione *mentem & pallium novum* Cynico apprecatus. Hunc ſimulatæ frugalitatis continentiæque fucum eleganter in *Zenone Antigonus*

b *Plut. Lac.*

c *Æli. l.9.v.hiſt*

d *Laert. l.2.c.12.*

e *Idem.*

Rex

Rex indicavit. Cõmendabat multis verbis paupertatem philoſophus, divitiis nullâ bonorum poſitis in parte: cum Rex falſo ipſi nunciari fecit, prędia ejus ab hoſte direpta atq; everſa eſſe. Ad quẽ nuncium perculſo Zenone, *Vide*, inquit, Antigonus, *quanti æſtiment philoſophi divitias: quarum glorioſa deſpectione popularem laudem capiant.*

Et Monachorum.

Iſtius ſectę Homines, dicebat *Fullenius*, Chriſtiana Eccleſia in fœcundâ *Monachorum* patitur pullitie: quæ ſub devotiſſimę paupertatis modeſtiæque ſpecie, ſupra radiata Regum capita, & humani juris potentiæque eminentes apices ſeſe effert: nullis coërcita legibus, nullis circumſcripta imperiis, in ſuperos pariter atque inferos faſtidioſa. Quid enim aliud ſunt illi Mendicantium Ordines; quàm exactionum & violentiæ Antichriſtianę Proxenetæ, Vultures unguibus in fortunas omniũ evaginatis, Lupi faucibus in prædã diſtentis, Ventres abdomini ſaginando nati, immani avaritiâ, infinita cupiditate? quorũ ſatiandæ gulæ Chriſtianus orbis vix eſt ſatis. Quid illi *Minores*, *Majores*, *Humiliati*, & ceteræ Sacrorum ſive Saccorum familię? qui ſordidæ prætextu paupertatis hoc unũ intendunt, ut aliorũ facultates exhauriant, magnas ſibi opes parẽt, in voluptatũ omniũ fruitione, ſoluto cõtinentiæ frœno, debacchentur. Cum faciem cultumq; vides corporis, putantur quantivis precii. Cum vitam conſideras,

ſcurras

ſcurras dixeris ex colluvione turpitudinum natos, animo gladiatorio, moribus efferatis, terram, ubicunque pedem deponunt, ſuis veſtigiis violantes. Aliud ore profitentur, aliud opere pręſtant. Dici boni; quam eſſe malunt. Nihil eſt ſub illâ Religioſæ paupertatis larvâ demiſſum, nihil humile, nihil modeſtũ. Qui ſe nihil habere dicunt, omnia poſſidẽt. Qui contemptionẽ Mundi præ ſe ferunt, omnibus voluptatũ deliciis paſcuntur. Qui humiles Chriſti ſervos ſimulant, Diabolico ſuperbiæ ſpiritu efferuntur. Si Chriſtum paupertini Ordinis principem ſequuntur, quid turpi avaritiâ pecuniis aliorum inhiant, regali ſtructa luxu palatia habitant, opes immenſas poſſident? illo Domino ita rerum omnium inope, ut, quo caput reclinaret, non haberet. Si Apoſtolicæ frugalitatis & modeſtiæ ſectam ingrediuntur, quid ſe eſſe primos omnium rerum volunt, in otio & deliciis conquieſcunt, ſuo magis ventri, quam Eccleſiæ paſcendæ incumbunt? illis Dei legatis in difficili vocationis ſuæ munere domi inopiam, foris ſuperbum ſui contemptum patientibus. Si vacare in ſolitudine ſecuræ pietati volunt, quid celebres hominum cœtus frequentant, Ægyptiacarum more Ranarum Principum curias atque atria perreptant, imperia & dominationes affectant? Quod in illâ Ranarum vermiculatione Chriſtianæ frugali-
tatis,

tatis, abſtinentiæ, modeſtiæ deprehendas veſtigium? quæ ſummum ſibi in homines atque angelos imperium ſumit, Chriſtum de honoris ſui ſede deturbat, cœli ſalutiſque ſuperbam nundinationem exercet, in Spiritus S. oracula, in divinas leges & ritus, in dies & tempora, in corpora atque animas, in vivos & mortuos, in Deum ipſum, cujus loco panem Deum colit, dictatoriæ jus poteſtatis uſurpat. Hæ ſunt illæ, *Neuhuſi*, [f] Apocalypſios tuæ Locuſtæ: quę ex caliginoſo Traditionū natæ Aëre, Gradivorum inſtar Equorum, ad oppugnandam veritatis aciem ſunt paratę. Capita Antichriſtianæ dignitatis apicibus coronantur, facies humanitatem, capilli muliebrem mollitiem præ ſe ferunt: ſed Dentes leoninam truculentiam minantur. Pectora ferreis immunitatum Loricis; Latus utrumque glorioſæ Poteſtatis viriumque humanarum alis munitur: quarum ſonitu hoſtes obloqui auſos percellunt. In Caudis Scorpionum virus gerunt: quæ ſuis armatæ aculeis exitialem hominibus noxam afferunt. Quando, quando erit, ut vis illa Caudarum peſtilens ſtimulique divinitus retuſi noxam inferre hominibus deſinant?

f Apoc. 9.

Quid dubitas *Fulleni*? dicebam: poſtquam, poſt exiccatum Euphratem, & per Ieſuiticas *ſextæ phialæ* Ranas, jam à centum annis, vocatos in Armageddon, hoc eſt conſertam ſacri

Belli

Belli aciem, Terræ Reges; *Septimæ phialæ* prodigiosa Tempestas [g] in Aerem, quaqua ille per orbem porrigitur, se effudit. Illa nunc hos, convulso, emotoque suis sedibus mundo, Terræmotus, & fulgura tonitrusque, à natis hominibus maximos, concitat: quæ vocatam in Dei memoriam Babylonem *in tres partes scindent*, Fœtusque Bestiæ ac Pseudoprophetæ abominabiles in ruinam dabunt. Et jam *Sex Coronatæ Meretricis Capita*, & Imperatoriæ per Germaniam Familiæ, quæ Regiorum Capitum vicem scorto præstitere, ceciderunt. [h] Regnat nostro tempore ille incestæ stirpis *Austriaco-Bavaro-Hispanus*: F R D S,.

g Apoc. 16.9.

h Apoc. 16.

Spes Septima & ultima Romanæ:

Qui post breve immanissimæ Dominationis tempus, libratâ in ictum GOTHICA DEI VIRGA, in fatalem impactus periodum suâ Babylonem ruinâ obvolvet.

Paupertas ultronea. Intereà, dum maturescente Dei judicio decretorius Babylonicæ ruinæ accedit dies, *Vltroneæ paupertatis* studium opus est Ecclesiæ: ut in copiis frugalitatem excolat, in abundantia fortunarum libidinem coerceat, in sufficientiâ necessariarum rerum voluptatis desideria refræ-

net, inter opes ſobriam ſibi egeſtatem imperet, divitias ſuas eſſe magis audiat, quam ſentiat. Hæc eſt illa Sapientium hominum in cultu corporis moderatio, & Spontanea quaſi paupertas: quæ ut animum ad virtutis doctrinęque ſtudia exerceat, non ſaburrat immodico cibo & potione corpus, non uſurpat ſuas ad paſtum gulæ fortunas; parco ſibi ſufficiens ingenio magis, quam genio ventrique indulget. Corpori tantum ſufficit, quantum vitæ & valetudini ſatis eſt. Cibus famem ſedat, potio ſitim extinguit, ventrem ſine faſtidio implet. Veſtis & domus munimentum eſt adverſus frigorum ventorumque violentiam. Quæ utrum ſint ex peregrino Serũ vellere, & vario Gentis alicujus lapide; an ex laná lutoque vernaculo, parum curat. Divitias non in amplo patrimonii cenſu; ſed in recto animi ſapientis ſenſu ponit. Parum eſt paupertatem & indigentiam, quando nihil ad manum eſt, ſuſtinere. Hoc veræ eſt laudi, ſuâ ſponte ac voluntate, nõ fortunę coactu temperantiæ præceptis obtemperare. Neque aliâ itur ad ſapientiam viâ, quam illâ ſpontaneæ paupertatis: quã ego eſſe ingenii puto magiſtrã, memoriæ cuſtodẽ, recti judicii conſiliiq; gubernatricem, virtutum deniq; omnium parentem. Ex hoc paupertatis ordine fuit ille Laconum *Leotychidas*: qui rogatus,

Cur

Cur Spartiatæ ita parcè biberent? [i] Ne, inquit, *alii pro nobis consulant*. Et ex eadem Gente [k] *Archidamus*: cui cum aliquis vinum suave polliceretur, *Quorsum opus est*, ait, *quando plus, ac naturæ convenit, absumetur?* Neque defecit à patria frugalitate. [l] *Agesilaus*, cum in castris cibo & vestitu vulgari uteretur, *Principis esse*, perhibens, *non delitiis & divitiis; sed temperantiâ privatis antecellere*. Quam in *Epaminondâ* crassus Bœotiorum aer virtutem produxit. Ille cum Persarum legatos cum muneribus veniẽtes ad tenuissimi apparatus cænam invitasset, [m] *Significate*, inquit, *Domino vestro, hominem ita cœna item corrumpi auro non posse*. Qui si nostras Regifici luxus epulas, & cupediarum fora videret, nonne cum Socrate exclamaret; *Hui! quantum hic est rerum, quibus non indigeo*. Sapientissimi homines isto spontaneæ difficultatis studio non ad præclaras tantum scientias; sed ad difficultatem ipsam, si qua subeunda esset, se prepararunt, animo contra fortunæ injurias inter ejus beneficia confirmato. Vt in mediâ pace miles editis pugnarum simulacris exercetur, in campo decurrit, supervacuo labore lassatur, ut sufficere necessario possit: Ita illi paupertatis imitatione ferre paupertatem didicerunt: ne unquam extimescerent fortunam, ad quam se familiari usu preparavissent. Ita securius divites erant, cum scirent, quam non esset grave pauperem esse.

[i] Plut. in Lac.
[k] Idem.
[l] Idem.
[m] Stob. Ser. 5.

Propria

Propria quidem Chriſtianorum, dicebat *Fullenius*, illa eſt Virtus: qui [n] *pietatem cum ſufficientia magno in quæſtu ponunt*, & [o] *induti Dominum Ieſum Chriſtum carnis deſideria reſtringunt*. Cujus abſtinentiæ inſigne præbuit documentum [p] *Daniel* Propheta cum Sociis popularibus: qui ſpretis Regiæ menſæ dapibus, tenui legumi- num victu & aquæ potu naturæ deſiderium expleverunt. Quâ indole Chriſti præcurſor [q] *Baptiſtes* famem ſylveſtri melle & locuſtis in eremo ſatiavit.

n 1 Tim.6 6.
o Rom.13 14.
p Dan.1. 8.
q Mat.3. 4.

Paupertas Invita & Flagitioſa.

Hic tum *Veno* Ingenuam præſtantium virorum paupertatem memoratus: quam quis ultro ſubit, ut emancipatus ſervitio corporis animo valeat liberius. Ejus ego malim eſſe Ordinis; quam illius *Invitæ* ac coactę, quæ multos homines fieri improbos ſubegit, domos depeculari, vias latrociniis obſidere, dolos fallaciaſque comminiſci, infamium artium ſtudiis operam dare. Quid enim non maleſuada fames, & duris urgens in rebus egeſtas deſignat? Ex hoc ſeminario conjuratæ Latronum atque Excurſorum copiæ prodierunt: quæ maleficio & ſcelere paſtæ tantum habent, quantum rapere poſſunt. Ex hoc Piratici Myoparones in alto navigant, & infeſta prædationibus maria faciunt. Sub hujus educata diſciplinâ Mendicitas aſſidue in locupletum fortunas imminet; ſi ſors ad manum veniat,

 pleno

pleno furoris impetu grassatura. Hac magistrà [r] *Cilices* olim quicquid pelagi à Gadibus in Syriam excurrit & Hellespontum fœdo latrocinio occuparunt. Hac Brutii ex fugitivorum collecti colluvione Italiam; Scythæ, Arabes, Isauri, Iberi, Normanni, Vandali, Cimbri, Hunni, Turcę per Caspias effusi portas, Orbem terrarum igne ferroque peragrarunt. Hæc *Spartacum* ex gladiatoria arena in campum evocavit, *Viriatum* ex venatore Lusitaniæ principem fecit, *Othomanum* I ex agricola Saracenis ducem dedit, *Tamirlanem* in fatalem Asiæ perniciem eduxit. Non alia pestis sæpius urbes & regna populari tumultu exagitavit. [s]Semper in civitate, quibus opes nullę sunt, bonis invident, malos attollunt, vetera odere, nova exoptant, odio suarum rerum Reip. statum mutare student, turba & seditionibus impensè aluntur, si quo populi tumultu emergere ipsi per maleficia possint. Hinc toties Roma concitatæ multitudinis jactata furore inter sacrum & saxum, incerta salutis spe, fluctuavit. Hinc *Sparta* sub *Agide*, *Argi* sub Nabide Tyranno, *Megara* post expulsum Theagenem, *Thurii* prævalente plebe, extremum perdundæ libertatis periculum incurrerunt. Hinc toties novæ tabulæ flagitatæ, agrorum divisio optimatibus extorta, bonorum æquatio introducta. Quos enim primo res, tum spes fidesque deficit,

r Sab. l. 4 Enn. 5.

s Sall.

deficit, omnem novandarum rerum occasionem arripiunt, impro borum hominum societates conquirunt, in aliorum fortunas impetum meditantur. Quidvis imperat egestas, extrema sæpè cogens pati. Grave est homini onus inopia:non ob famem tantum,quâ nihil est acerbius, sed ob insitum cuique paupertatis pudorem,ipsâ plerumque paupertate urget vehementius. Itaq; difficillimũ esse [t] *Aristoteles* asserit, ut *non res novas moliatur paupertas.* [v] *Cicero* verò author est, *Inopia & avaritia potissimum ad turpe compendium homines commoveri.* Quod in *Ottone* Tacitus innuit, *cum in illo inopiam arguit vix privato tolerandam.* Et in [y] *Sylla, quem præcipuam audaciam à familiari traxisse angustia dicit.* Quæ quantos sæpè in Belgica nostra motus exitaret; quas turbas daret,nisi onerosa Reip. indigentium sentina castris & classibus, quasi ductis alio coloniis, exhauriretur! Itaque sapientissimo Civitatis nostræ instituto; quod [x] *Sardios* etiam & *Argivos* fecisse legimus; in otiosam atque egenam plebem quotannis inquiritur, quibus artibus domi vitam toleret: exclusa omni mendicitate; ne aut gravet annonam nimis; aut novandarum rerum publicam quietem turbet.

t *Polit.5*
v *Rhet.4*
x *Tac. in Ottone.*
y *In Syl.*
z *Alex. l.3.c.3.*

Illa est, *dicebam Ego*, Flagitiosæ Mendicitatis indoles: quam & [a] Divinæ leges, & Humanæ prohibent; non minus pastu civitati gravem,

a *Deut. 25.4.*

quam audacia atque importunitate intolerabilem. Cujus homo notæ cum à Lacone stipem peteret, [b] *Si didero*, inquit, *tibi, eo mendicabis magis. Nam huic tuæ deformitati causam præbuit is, qui primus tibi dedit, eoque te ignarum atque impudentem reddidit.* Alia est Innoxiæ paupertatis natura, quæ suæ conscia tenuitatis animo semper est demisso. Loquitur pudenter, rogat verecunde, fert æquo animo superbum sui contemptum. Nihil in ea fastidiosum, nihil importunum, nihil insolens. *Pauper cum deprecatione; dives rigide superbeque verba facit.* [c] Quid audeat? quid dicat? γλῶσσα καὶ χεὶρ οἱ δέδεται. Illa verò semper singularem industriæ laudem obtinuit, à priscis sæculis omnium artium repertrix, præsidium humanæ vitæ, opifex præstabilium operum.

b *Plut. in Lacon.*

Paupertas Innoxia.

c *Prov. 18 23.*

Quis expedivit Psittaco suum χαῖρε,
Picasque docuit nostra verba conari?
Magister artis, ingeniique largitor
Venter est, negatas artifex sequi voces.

Quæritis prima Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ, Musicæ, Astrologiæ, cæterarumque artium initia? In paupertatis officina reperietis. Petitis prisca Mechanicæ industriæ rudimenta? Ea sub inopiæ posita sunt disciplina. Illa terram arat, fodit, obserit, repastinat, & cætera

tera ruris officia obit. Illa domos ædificat, vicos ordinat, civitates à parvis initiis ad ſummam amplitudinem deducit. Illa rei faciendæ Mercaturam inſtituit, maria navibus tranſmittit, per ignes currit. Quis in caſtris vitam prodigeret, niſi cogeret paupertas? Quis diurno nocturnoque opere manus atque animum fatigaret, niſi urgeret res domi anguſta? Quis Deum debito pietatis officio coleret, niſi injungeret imminens adverſę fortunæ tempeſtas?

Et jam circulati Vrbem eramus propè univerſam, cum quærere *Fullenius*, num longulâ deambulatione fatigarer, & in pedibus laſſitudinem ſentirem? Quæ, *inquam*, Fulleni, laſſitudo tam gratæ confabulationis ſatietatem mihi faceret? in qua longum tecum ſolem cupiam condere. Si ita viæ pedes ſufficerent ut valet caletque ad colloquutionem animus,

Antè diem clauſo reſeraret veſper Olympo;

quam mihi faſtidium obreperet tam jucundæ vobiſcum deambulationis. Et jam dies penè ad talos mortuus eſt, noſtraque nos domi expectant negotia. Itaque, ſi hoc ita vobis placet, recipiamus nos per hoc diverticulum ad portam proximam: quando publica illa via & multi pulveris tempeſtate fœda eſt, & Ruſticorum à mercatu redeuntium turbis inquieta. Videte mihi illos temulentorum Exercitus,

quàm incompoſitis gradiuntur veſtigiis! Vt ineptit bacchabunda protervitas! Vt perſonant implicatæ viris fœminæ barbaro ululatu! Quantum iſtæ fauces, iſta latera vernaculi Bacchi hauſerunt! Fontes, ſi geniali ſcateant liquore, interbiberent: tanta arent ſiti fauces, tanto flagrant guttura incendio! Declinemus illam tempeſtatem: ne incondito ſtrepitu, aut protervâ dicacitate moleſta ſit. Ita verſis recta ad urbem veſtigiis, porta, quæ proxima erat, introivimus, precatique mutua benevolentia ſalutem ad ſua quiſque diſceſſerunt.

PERORATIO

Ad Florentiſſimam juventutem Gymnaſii Leovverdienſis.

ROmanæ civitatis præclari Principes magnorum virorum Imagines in larariis ſuis habebant; ut quotidiano illarum intuitu ad virtutem animos vehementius accenderent. Diverſas ego vobis, *Macti annis animiſque Adoleſcentes*, hominum Imagines; aut potius Speculum Naturæ amplum atque illuſtre propoſui: in quo Morum atque Animorum, in quos quiſque natus factuſque eſt, figuram videatis, virtutis decentiam diligatis, vitiorum turpitudinem fugiatis. Duxi Vos, inquam, in THEATRVM

ATRVM

ATRVM Orbis Terrarum: in quo *varios humani pectoris habitus*, *& Ingenii secretioris Indolem curiosis oculis notetis*. Præbete vos hic mihi faciles, præbete dociles Spectatores: ut in Vobis aliisque ingenitas Animorum cupiditates observetis, observatas ad Virtutis studium transferatis. Sua omnibus adgenerata sunt virtutum vitiorumque semina, quæ cum ætatis procursu adolescunt, disciplinæ moderatione conformata, usu atque exercitatione multa confirmata. Efferunt sese illa à primis incunabulis, Naturâ in ipsâ Pueritię teneritudine moliente cuiq; suę honestatis & opprobrii fundamentum. Clara est [b] *Papyrii* capax publicæ mentis consiliique Prætexta. Effulsit in pastore [c] *Cyro* Spiritus, qui totius Asiæ vires & imperium infregit. Protulit se in puero [d] *Alexandro* indoles, quæ majorem Macedoniâ suâ fortunam quæsitura Philippo patri videbatur. Timuerunt Latinorum Legati contractum in ephebo [e] *Catone* rigidæ severitatis supercilium, quo totâ deinceps vitâ terribilis fuit. Alius impetu quodam animi ad Literarum studia; alius ad Castra, ad illustrem Honoris gloriæque campum rapitur. Plebeiæ vilitatis indoles ad sordidi quæstus opificia, aut ignaviam, præeunte Natura, dejicitur. Vt in variam effigiem humanos Natura vultus effinxit: ut sidera dissimilem à cœlo fun-

b *Gell. l. 1 c. 23.*

c *Xenoph. Cyr.*

d *Plut. Alex.*

e *Val. l. 3. c. 1.*

dunt lucem; Terra mater diverſam generandæ ſobolis indolem habet : Ita ſuo quiſque genio in diverſa ducitur ſtudia, magnum prorſus virtutum vitiorumque graveſcentibus annis momentum. Ne ſingulos homines dicam, Gentibus univerſis certos animorum habitus, ſive natalis patriæ ſpiritus; ſive genitalis parentum ſanguis; ſive conſuetudo victus & familiaritas ingeneravit. In aliis altitudo ingenii animique perſpicacia benè audit. In quibuſdam contemptor periculorum ſpiritus ; in multis aut innocua ſimplicitas, apertique pectoris rectitudo; aut hoſpitalis benignitas; aut ſpectabilis morum gravitas laudatur. Illorum in conficiendo celeritas; iſtorum in providendo conſilium & circumſpectio ; aliorum fortior impetus; aliquorum durabilis conſtantia nomen habet. Illis nationibus ſenſus ad intelligendum hebetes Natura dedit. Iſtæ incertis fluctuant conſiliis, in ſuſcipiendâ re præcipites, in gerendâ fluxi atque inſtabiles. Hæ capiendis tardæ conſiliis, morâ & cunctatione animos cum tempore amittunt. Illic cupida ultionis iracundia; iſtic contemtrix imperii ferocitas; ibi ſub contracto ſupercilio ſuperba granditas culpatur. Sunt, quas in Venerem, in Bacchum in turpes cupiditates & deſideria vernacula patriæ indoles abducit. Durat illa in omni populo virtutum vitiorumque propagata per tot

ætates

ætates hæreditas: quæ æternam illi boni malive nominis famam apud omnem posteritatem impertivit.

Hos animorum habitus difformemque indolem ita vos contemplari velim, *mei Adolescentes*, ut non magis oblectet infinita ludentis Naturæ varietas; quam juvet. Inspicite vosmet ipsos, intra secretos pectorum recessus oculis demissis, & quas melioris ingenii dotes deprehendetis, excolite, expolite; vitia nævosque emendate. Dedit Natura *Frisiis* ingenia maximarum artium virtutumque capacia: quæ cum par accedit industria laborisq; assiduitas, suis facilè viribus ad illustrem nominis gloriam assurgunt. Nostra nobis incuria est injuria; dum remissâ studiorum contentione non patimur insita Naturæ semina adolescere, & ad maturitatem pervenire. Studio diligentiaque vobis opus est, *Adolescentes*, ut jacentem in cunabulis virtutem educetis, producatis. [f] *Furius Cresinus* pellectarum veneficio frugum reus, dictâ sibi die, rusticum omne instrumentum in forum attulit: quod cum obduratis callo manibus ostentans, *Hæc*, inquit, *veneficia mea sunt, Quirites: Neque possum vobis ostendere curas industriamque meam, quam in agro colendo adhibui.* Hæc vos seduli laboris diligentiæque adhibere veneficia plusquam beneficia oportet: nisi amittere speratam frugum bonarum

Vt insitas Naturæ dotes excolat diligenter.

f *Plin. l.18.c.6.*

messem velitis. Labor, si nescitis, cœlestis quidam est nummus, Gygisque fortunatus annulus: quo uno, cũ auxiliari pietatis functione, præclara omnia à Deo extorquebitis. Quicquid homines arant, navigant, ædificant, labori acceptum ferunt. Quicquid in rebus nostris prosperè cedit, labori debemus. Ille obtegendo corpori domum & vestes, protegendo arma & munitiones, alendo rem pastumque sufficit. Ille jugum feris bestiis imponit, terram matrem frugum partu gravidat, maria claustris frœnat, flumina pontibus sternit, paludes siccat, arenas irrigat. Si quid est clari nominis gloria, si quam laudem Civitatum meretur amplitudo, si in aliquâ sunt dignatione vineæ hortique eleganter consiti, à labore omnia proficiscuntur. Quid accusatis cum scientiarum difficultate ingeniorum vestrorum hebetudinem? Nihil tam est arduum, quod non labor enitatur: nihil tam remotum, quod non contingat: tam profundum, quod non eruat: tam obscurum, quod non explicet: tam difficile molestumque, quod non subigat. Debiles formicæ nocturno per illustrem Lunam opere asperrimos silices atterunt. Minuta stillicidia durissima saxa cavant. Ille capax omnium rerum Mundus; si *Democrito* credimus; ex volitantibus in sole pulvisculis concrescit. Illa patens & potens Roma à paupere Romuli

casa

casa & rusticâ pastorum manu, *vigilando, agendo, benè consulendo* in stupendam imperii magnitudinem excessit. Illa Librorum ingentia Volumina ex transpositis Alphabethi literulis in tantam amplitudinem excreverunt. Omnia vel tenuis atque imbecilla potest sedulitas, si insistat graviter: non ut sua quemque debilitas ab instituto gloriæ curriculo avertat. Quod cum sciret [g] *Demosthenes*, hærentem in dicendo [g] Val. l. 6.
linguam summo studio diligentiaq; ad facilem c. 7.
pronunciationem expedivit, plus olei lucubrando, quam vini lurcando absumens. Pari solertiâ [h] *Cleanthes* tarditatem ingenii emenda- [h] Cælius
vit; ut angusti oris vasa, quanto quid caperet l. 10.
difficilius, tanto se id retenturum fidelius, ar- c. 20. Ant. L.
bitratus. Verum namque est illud Demosthenis effatum: διὰ παιδείαν τοῖς μὲν ἀφυεστέροις αὐτῶν βελτίοσι γίγνεσθαι· τοῖς δ᾽ εὐφυέσι καὶ τῶν ἄλλων συμβαίνει διενεγκεῖν. Experiundo namque didici, pręstantibus ingeniis tardiora palmam plerumque diligentiæ subsidio præripere. Mirum vero videatur, si evagantem longius à scopo præpetem impigrè prorepens Testudo prævertat? Cum pilâ luditis palmariâ, nihil cunctamini, urgetis, festinatis, in omnem campi partem excurritis, omnem obnixi pro victoriâ operam præstatis. Quid in Sapientiæ studio cessatis? quæ hominem cum cælitum dignatione præstantiaque quam

proximè

proximè junctum omnibus ſine radio, quod dicitur, & hoſtorio bonis cumulat. Cum à tonſoriâ reditis tabernâ, ſpeculo & manu vultum & capillum exploratis. Cur ab erudito domum reverſi pulvere, non colligitis vos ad meditationem? non percunctamini animum de illis quæ audiviſtis? non perſpicitis cogitatione longius; quam oculis? non mente ulterius; quam gradu auribuſque progredimini? Neque cogitatis quidem, ut Solis lumen reflexione condenſatum roboratumque Terram matrem ad animandam edendamque ſobolem fovet: ita frequenti mentis agitatione ſtudioque impigro conceptos ingenii partus vitam & lucem haurire? Vt pareret ex cerebro Minervam Iupiter, Vulcani malleo erat opus. Vt vos doctrinam vobis paretis, diligentiæ incudem crebris tundere ictibus oportet. Atque ut Struthiocameli ova excludere continuo adſpectu creduntur: ita laborando, cogitando, ſtudioſe omnia meditando, ſapientię fœtus efformatur. Nihil ad valetudinem confert, multum ediſſe. Nihil ad laudabilem eruditionem, multa legiſſe, multa audiviſſe; niſi benefico meditationis igne in commodum vitę uſum, tanquam in ſuccum & ſanguinem convertantur. Igitur cum Apelle lineam quotidie ducite. Cum fabris fabricando fabricari diſcite. Secundum

militares

militares[i] *Veſpaſiani* & *Pertinacis* teſſeras, in literarum ſtudiis *Laboremus, Militemus* : neque ullum unquam ab ingenii contentione tempus remittamus.

i Sueton. & Dion.

Ita vero vos laborare in illâ ſtudiorum palæſtrâ volo, ut cognitâ perſpectâque animi veſtri indole, eo potiſſimum incumbatis, quo vos naturæ impetus ducit. Σὺν Ἀθηνᾷ καὶ χεῖρας κίνει : quâ invitâ nihil unquam, magna dignum laude efficietis. Videte illam in obſcuro ſumptuoſi operis Domum, quæ aperto cœli deſtituta lumine inſalubrem Domino ſuo habitationem præſtat. Ita homo nullum pulchræ gloriæ fructum percipiet, ſi nō inſtructus aliquo benevolæ Naturæ auxilio ad opus acceſſerit. Moliendo, movendo fruſtra ſe torquebit; ut agricola cum glebæ contumacis fundo colluctatus nihil niſi damnum moleſtiamque lucratur.

Artem moribus cognatam eligat prudēter.

------- *Non omnis fert omnia tellus.*
Hic ſegetes; illic veniunt felicius uvæ;
Arborei fœtus alibi.

Vt vero congruum ingenio ſuo locum planta nacta eſt, à cœleſtis auræ fotu in copioſos fructus exundat. Non minus animus humanus ad producendam ſapientiæ frugem ſeſe explicat, ſi conformem ſuo genio ſortitus artem, benigno induſtriæ radio irrigetur. Hanc, ſi eminere vultis, egregiæ laudis orcheſtran, hunc

honoris

honoris campum quærite: in quo omnes animi corporisq; vires exerceatis. Quē ut contingatis, ductu consilioq; sapientiū opus est: ne præcipitato temeritatis impetu eo descēdatis, unde cū pudendâ studiorum jacturâ regredi oporteat.

Illi insistat constanter. Nacti vero convenientem naturæ vestræ arenam, pedem firmate: ne candidati alicujus disciplinæ in diversa studia, quasi desultorii in quadrigarum curriculum incurratis. Sacrorum ædes & mortuorum sepulchra à sua dimoveri sede non debent. Eadem vos religione, quam amplexi estis semel studiorum rationem, tanquam insertâ rapaci manu, tenete. Plantæ sæpe suis evulsæ sedibus radices non agunt: neque vagus & commeans in diversa studia animus solidæ sapientiæ gloriam consequitur. [k] Delos insula incertis fluctuans sedibus, ut Apollini præbuit incunabula, perpetuis defixa radicibus certo in loco consedit. Doctrina stabili delectata domicilio nunquam ad fluxæ levitatis temporaria ingenia divertit. Itaque Artem præcipue unam, moribus vestris cognatam, in qua excellatis, cum judicio deligite, cum fide diligite. Ab illâ nulla vos impedimenta revocent, nullum diversæ rei studium abstrahat, non oblata foris oblectamenta, non peregrina in alienis literis novitas abducat. In sua quemque Arte, tanquam domi, habitare oportet: in secundariis, hospitum more,

k Plin l.4 cap.12.

re, divertere, & quaſi fatigatum de viâ ad punctum temporis commorari. Magno ille mihi parandæ eruditionis argumento in literis verſatur, qui Artem, quam exercere profitetur, non deflexis alio ſtudiis, unice unam amat.

Dum vero in illo Naturæ Theatro Veſtra, dum aliorum Ingenia, varioſque animorum impetus curioſo lumine obitis, in cœlum, ad illum fontem fomitemque bonorum omnium, referre mentem & cogitationem oportet. Ab illo luminum patre melioris ingenii dotes petite. Illius virtutem ſempiternis in cœlum laudibus tollite. Omnem veſtram vitam, actiones, cogitationes ad Divini Nominis gloriam referte. Quanta eſt tua, ô Deus, potentia, qui ut vultus atque ora; ita mentes humanas, inde uſque à primo Mundi ortu, rerumque naſcentium incunabulis, in tam varios habitus efformaſti! Quanta tua eſt ſapientia: qui ex diſſimilibus animorum motibus & moribus tam efficis pulchrum Naturæ concentum, tam admirabilem conſenſum: ut ſicut in contentis æqualiter fidibus; ornata, diſtincta, concinna ſint omnia! Quanta tua eſt benignitas: qui ingeneras homini virtutum maximarum ſemina, quibus abunde ad felicitatem proficeret, ſi culturam illis rectam adhiberet! Nulla lingua tuam, ter Opt. Max. Sator Rectorque rerum, magnitudinem efferre, nulla mens ſapientiam

Ad Dei gloriam referat omnia.

pientiam & bonitatem tuam penetrare atque assequi valet. Vt beneficiis tuis omnibus; ita laudibus minores sumus: quæ non humanis; sed majoribus tantum *Cœlitum Theatris* proponi debebant: neque ibi satis digna celebratione commemorandæ.

Interea O Deus, dum in hoc caducæ mortalitatis versamur diversorio, doce nos, duce nos: ut capiamus veritatem, cupiamus virtutem, magnitudinem tuam sancte veneremur, sapientiæ tuæ divitias studiose venemur: omnem denique animi cupidinisque natalis impetum in tuam laudem, & publicum usum convertamus. Hoc velis faxisque bone Deus.

FINIS.

TABVLA ORDINIS

LIB. II.

Signa Indolis Extra Hominem referuntur ad illius

- Perſonam, ratione
  - Animi, in
    - Educatione. Cap. 1.
    - Commercio: ubi mores ſæculorum. Cap. 2.
  - Corporis: cujus ſunt
    - Nutrientia,
      - Potulenta: quorum
        - Priſcus ritus. Cap. 5.
        - Significatio. Cap. 6.
      - Eſculenta. Cap. 7.
    - Ambientia.
      - Veſtes: quarum
        - Priſcus ritus. Cap. 3.
        - Significatio. Cap. 4.
      - Aer. Cap. 8.
- Fortunam, in
  - Familiæ Nobilitate
    - Generaliter. Cap. 9.
    - Specialiter, in Nobilitate
      - Ficta. Cap. 10.
      - Flagitioſa. Cap. 11.
      - Sanguinis. Cap. 12.
      - Virtutis. Cap. 13.
      - Chriſtiana. Cap. 14.
      - Illius moribus. Cap. 15.
  - Facultatibus:
    - Divitiis: quarum eſt
      - Splendor & ubertas. Cap. 16.
      - Diviſio, in
        - Divites probos. Cap. 17.
        - Improbos. Cap. 18.
    - Paupertate: quæ deſcribitur
      - Generaliter. Cap. 19.
      - à Natura & Moribus, Cap. 20.

Benevole Lector,

Nævos præli evidentiores corrige.

In lib. I.


PAg.5 pro Exprobas, *lege* Exprobrat.
Ibid.ſocietatis,ſocialis.
6 exempli,plis.
11 pretexta,præt.
13 Anaximenæ, mene.
16 præterea,præclara.
Concitati,concitat:
21 Vidimus,videmus.
26 petulancia,tia.
Solemo, polemo.
28 Peruvii,vi.
Sobolen,lem.
tanto,tento.
31 inſidam,incedam.
38 æſtu,aſtu.
39 tegmentis,tegum.
41 cum,eum.
42 facitias,facetias.
44 deliteſcunt,cant.
52 qui,quæ.
58 erit, eris.
nauſeum,am.
59 ſummis, ſummus.
63 Contretandarum, contrect.
invertit, invergit.
70 quiſque,am.
71 probata, tæ.
77 Solido,to.
87 præcepitis, præcip. Achilli,e.
90 ſuggrunda,dia.
92 annorum,animorum.
93 dedicatū, delicat.
ſucceſſu,ſuccuſſu.
95 demitte, demite.
96 dormis,io.
97 Chryporū,Gryp.
103 Lophar. Lothar.
105 Virgines,virag.
109 arcam,arram.
ducta,data.
110 me,næ.
120 præcip. prærip.
128 Iſcarios,Icar.
Crepunt,crepant.
141 conſiliiſque, conſiliique.
144 greſū, greſſum.
148 Affric. Afric.


149 Pruſi,

149 Prusi,Drusi.
160 Non,nam.
198 quum,quam.
199 *lege* ; opinionum consensio.
206 multum,nullum.
207 objectus , obtectus.
240 si,se.
248 solito,soluto.
255 æstus,as.
261 *lege* ; mordet , apicula.
264 prolapsus,as.
292 quisq;, quisquam. Nunquã , *redundat*.
304 quo,quæ.
310 coercent, eant.
324 te,se.
Suecorum,Suevorũ.
327 pullutante,pullul.


In Lib. II.

Pag. 11. pro Numos, Mimos.
81 pelliculum,am.
rapido,vapidô.
88 velut,velit.
89 irrigabit,vit.
96 status,as.
109 succu,suctu.
111 Bacchæ,e.
152 gerendis,ferendis.
156 Virtuti,e.
162 clariss.chariss.
231 quisque, am.
234 probas,os.
248 placereturne,placeretne.
298 hostẽ,hęreditatẽ.
310 affensas,offensas.
345 census , sensus.
352 mundinis , nund.
403 gariæ,gaviæ.
414 detinuissemus,em
419 ignarum , ignavum.
422 liberum,am.
425 Asiæ, Afræ.
efferat,ant.
431 presens,præsens.
434 paupart.paupert.
435 cœli,cœlis.
446 Romanæ,Romæ
449 memoratus,is.
452 didero,dedero.
ignarum,ignavum.
457 beneficia , beneficæ.
458 quod,quò.
462 rapaci,porpaci.





B



Blatner
ingenij Hu
mani

